This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

HD WIDENER
HW S435 3

C 9307.9(8)

Harvard College
Library

FROM THE BEQUEST OF

JOHN HARVEY TREAT

OF LAWRENCE, MASS.

CLASS OF 1862

Digitized by Google

648/10

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

OFFICIA PROPRIA

ARCHIDIŒCESIS

SANCTÆ FIDEI BOGOTENSIS

A SEDE APOSTOLICA

CONCESSA.

PARS HIEMALIS.

RATISBONÆ, NEO EBORACI & CINCINNATII.
SUMPTIBUS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,
S. SEDIS APOST. ET S. RIT. CONGR. TYPOGR.
MDCCCLXXXIX.

Digitized by Google

C.9307.9(8)

KALENDARIUM PERPETUUM

AD USUM CLERI

ARCHIDIŒCESIS SANCTÆ FIDEI IN NEOGRANATENSI.

December.

1.
2. S. Bibianæ Virg. Mart. *semiduplex.*
3. S. Francisci Xaverii Conf. *duplex.*
4. *(In Civitate)* S. Barbaræ Virg. Mart. Patron. min. princ. *duplex majus. (In Diœcesi)* S. Barbaræ Virg. Mart. *duplex.* pag. 9*
5. S. Petri Chrysologi Episc. Conf. et Doct. *duplex.* Comm. S. Sabbæ Abbatis.
6. S. Nicolai Episc. Conf. *duplex.*
7. S. Ambrosii Episc. Conf. et Doct. *duplex.* Comm. Vigiliæ in Missa.
8. Immaculata Concept. B. M. V. Patron. Princip. Indiarum. *duplex 1. classis cum Octava.* 9*
9. S. Leocadiæ Virg. Mart. *duplex.* Comm. Oct. 9*
10. Translatio Almæ Domus Lauretanæ. *dupl. maj.* Comm. S. Melchiadis Papæ Mart. 9*
11. S. Damasi I. Papæ Conf. *semidupl.* Comm. Oct.
12. B. M. V. de Guadalupe. *duplex majus.* 10*
13. S. Luciæ Virg. Mart. *duplex.* Comm. Oct.
14. S. Eulaliæ Emeritensis Virg. Mart. (D. a. ex 10. hujus) *duplex.* Comm. Oct. 10*
15. Dies Octava Immaculatæ Conceptionis B. M. V. *duplex.*
16. S. Eusebii Episc. Mart. *semiduplex.*
17.
18. Exspectatio Partus B. M. V. *duplex majus.* 12*
19. Commem. S. Joseph Conf. Sponsi B. M. V. *duplex.* 12*
20. S. Dominici Sylensis Conf. *duplex.* Commem. Vigiliæ in Missa. 19*
21. S. Thomæ Apost. *duplex 2. class.*
22.
23. B. Nicolai Factoris Conf. *duplex.* 19*
24. Vigilia.
25. Nativitas D. N. J. C. *dupl. 1. class. cum Oct.*

HARVARD COLLEGE LIBRARY
TREASURER'S
CHARTRAND COLLECTION
JUNE 8, 1928
Digitized by Google

26. S. Stephani Protomart. *dupl. 2. class. cum Oct.* Commem. Oct. Nativitatis.
27. S. Joannis Ap. et Evang. *dupl. 2. class. cum Oct.* Comm. Octavarum.
28. Ss. Innocentium Mm. *dupl. 2. class. cum Oct.* Commem. Octavarum.
29. S. Thomæ Episc. Mart. *semidupl.* Commem. Octavar.
30. De Dominica infra Octav. Nativitatis. *semidupl.* Comm. Octavar. *vel* De Octava Nativitatis. *semidupl.* Comm. Octavarum.
31. S. Silvestri I. Pap. Conf. *duplex.* Comm. Octavarum.

Januarius.

1. Circumcisio D. N. J. C. *duplex 2. classis.*
2. Dies Octava S. Stephani Protom. *duplex.* Comm. Octav. S. Joannis et Ss. Innocentium.
3. Dies Octava S. Joannis Apost. et Evang. *duplex.* Comm. Octav. Ss. Innocentium.
4. Dies Octava Ss. Innocentium Mm. *duplex.*
5. Vigilia Epiph. *semid.* Comm. S. Telesphori Pap. Mart.
6. Epiphania Domini. *duplex 1. class. cum Octava.*
7. De Octava. *semidupl.*
8. De Octava. *semidupl.*
9. De Octava. *semidupl.*
10. De Octava. *semidupl.*
11. De Octava. *semidupl.* Comm. S. Hygini Pap. Mart.
12. De Octava. *semidupl.*
13. Dies Octava Epiphaniæ. *duplex.*
14. S. Hilarii Ep. Conf. et Doct. *dupl.* Comm. S. Felicis Mart.
15. S. Pauli primi Eremitæ Conf. *dupl.* Comm. S. Mauri Abb.
16. S. Marcelli I. Pap. Mart. *semidupl.*
17. S. Antonii Abb. Conf. *duplex.*
18. Cathedra S. Petri Ap. Romæ. *duplex majus.* Commem. S. Pauli Apost. et S. Priscæ Virg. et Mart.
19. Commemoratio S. Joseph Sponsi B. M. V. *dupl.* Comm. Ss. Marii et Soc. Mm. pag. 19*
20. *(In Civitate)* Ss. Fabiani et Sebastiani Mm. Patron. min. princip. *duplex maj. (In Diœcesi)* Ss. Fabiani et Sebastiani Mm. *duplex.* 19*
21. S. Agnetis Virg. Mart. *duplex.*
22. Ss. Vincentii et Anastasii Mm. *duplex.* 19*
23. S. Ildephonsi Episc. Conf. *duplex.* Commem. S. Emerentianæ Virg. Mart. 19*
24. S. Timothei Episc. Mart. *duplex.*
25. Conversio S. Pauli Apost. *dupl. maj.* Comm. S. Petri Ap.

Digitized by Google

26. S. Polycarpi Episc. Mart. *duplex.*
27. S. Joannis Chrysostomi Episc. Conf. et Doct. *duplex.*
28. S. Juliani Episc. Conf. *duplex.* Comm. S. Agnetis Virg. Mart. secundo. pag. 19*
29. S. Francisci Salesii Episc. Conf. et Doct. *duplex.*
30. S. Martinæ Virg. et Mart. *semidupl.*
31. S. Petri Nolasco Conf. *duplex.*

Dominica II. post Epiph. Ss. Nominis Jesu. *duplex 2. class.* Comm. Dominicæ.

Dominica III. post Epiph. B. M. V. de Bethlehem, *duplex maj.* Comm. Dominicæ. 19*

Feria III. post Dom. Septuag. Orationis D. N. J. C. in monte Oliveti. *duplex maj.* 28*

Feria III. post Dom. Sexages. Commemoratio Passionis D. N. J. C. *duplex maj.* 28*

Februarius.

1. S. Ignatii Episc. Mart. *duplex.*
2. Purificatio B. M. V. *duplex 2. classis.*
3. S. Fulgentii Episc. Conf. (D. a. ex 16. Januarii.) *duplex.* Comm. S. Blasii Episc. Mart. 28*
4. S. Andreæ Corsini Episc. Conf. *duplex.*
5. S. Agathæ Virg. Mart. *duplex.*
6. S. Titi Ep. Conf. *dupl.* Comm. S. Dorotheæ Virg. Mart.
7. S. Romualdi Abbatis. *duplex.*
8. S. Joannis de Matha Conf. *duplex.*
9. Ss. Fructuosi Episc. et Socior. Mm. (D. a. ex 21. Januar.) *duplex.* Comm. S. Apolloniæ Virg. Mart. 28*
10. S. Scholasticæ Virg. *duplex.*
11. S. Valerii Ep. Conf. (D. a. ex 29. Januar.) *duplex.* 28*
12. S. Eulaliæ Virg. et Mart. *duplex.* 28*
13. S. Raymundi de Peñafort Conf. (D. a. ex 23. Januarii.) *semidupl.* 28*
14. S. Canuti Regis Mart. (D. a. ex 19. Januarii.) *semidupl. ad libit.* Comm. S. Valentini Mart. 29*
15. S. Cyrilli Episc. Alexandr. Conf. et Eccl. Doct. (D. a. ex 9. huj.) *duplex.* Comm. Ss. Faustini et Soc. Mm. 29*
16. Ss. VII Fundator. Ordin. Servor. B. M. V. Conf. (D. a. ex 11. huj.) *duplex.* 29*
17.
18. S. Simeonis Episc. Mart.
19. Commemor. S. Joseph Conf. Sponsi B. M. V. *dupl.* 29*
20.
21.

Digitized by Google

22. Cathedra S. Petri Apost. Antiochiæ. *duplex maj.* Comm. S. Pauli Apost.
23. S. Petri Damiani Episc. Conf. et Doct. *duplex.* Commem. Vigiliæ *nisi annus fuerit bissextilis.*
24. *vel* 25. S. Mathiæ Apost. *duplex 2. class.*
25. *vel* 26. B. Sebastiani ab Apparicio. Conf. *duplex.* pag. 29*
26.
27.
28.

In anno bissextili Februarius habet dies 29.

Feria VI. post Cineres. Sacr. Spineæ Coronæ D. N. J. C. *duplex maj.* Comm. Feriæ. 29*

Martius.

1. S. Rudesindi Episc. Conf. *duplex.* 30*
2.
3. Ss. Hemetherii et Soc. Mm. *duplex.* 30*
4. S. Casimiri Reg. Conf. *semiduplex.* Commem. S. Lucii I. Papæ Mart.
5.
6.
7. S. Thomæ Aquinatis Conf. et Doct. *duplex.* Commem. Ss. Perpetuæ et Soc. Mm.
8. S. Joannis de Deo Conf. *duplex.*
9. S. Franciscæ Romanæ Vid. *duplex.*
10. Ss. Quadraginta Martyrum. *semidupl.*
11.
12. S. Gregorii I. Pap. Conf. et Doct. *duplex.*

Digitized by Google

DECRETA

SACRÆ RITUUM CONGREGATIONIS.

SANCTÆ FIDEI IN NEOGRANATENSI.

Rev. D. Vincentius Arbelaez Archiepiscopus Sanctæ Fidei in Neogranatensi, cupiens ut quæ volventibus annis accesserunt additamenta in Kalendario sibi concreditæ Archidiœceseos apprime Rubricis et Sanctæ Sedis Decretis respondeat, Kalendarium in usum prædictæ Archidiœceseos concinnare studuit, illudque Sanctissimo Domino Nostro Pio Papæ IX. humiliter exhibuit, supplicibus additis votis, ut suprema auctoritate sua approbare dignaretur.

Placuit vero eidem Sanctissimo Domino Nostro hujus Kalendarii examen Sacrorum Rituum Congregationi committere, quæ omnibus accurate perpensis, exquisitoque etiam voto alterius ex Apostolicarum Cæremoniarum Magistris, Kalendarium ipsum probari posse censuit; attamen sub modo et forma, cura Sacræ Congregationis in suprascripto Exemplari adnotatis.

Quam porro Sacræ Congregationis sententiam quum Sanctitas Sua, referente subscripto ejusdem Sacræ Congregationis Secretario, ratam habere dignata sit; indulsit, ut a Clero Archidiœceseos memoratæ Sæculari et Regulari, Diœcesano Kalendario utente, tam in Horis canonicis persolvendis, quam in Missis celebrandis Kalendarium ipsum sub modo et forma prædictis in Superiori Exemplari dispositum perpetuo servetur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 9. Decembris 1875.

C. Episcopus Ostiensis et Velitern.

Card. Patrizi S. R. C. Præfectus.

Loco † Sigilli.

Plac. Ralli S. R. C. Secret.

Digitized by Google

SANCTÆ FIDEI IN NEOGRANATENSI.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX., referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, clementer deferens supplicibus votis Rmi. D. Vincentii Arbelaez Archiepiscopi Sanctæ Fidei in Neogranatensi, benigne indulsit, ut in Archidiœcesi præfata Officia et Missæ propriæ assumi valeant a S. Sede approbata, vel pro Regno Hispaniarum, vel pro aliqua ex Diœcesibus Americæ, tum a Clero Sæculari tum a Regulari, Diœcesano Kalendario utente, in insequentibus Festis, nimirum: In Festis Beatæ Mariæ Virg. de Bethlem Dominica III. post Epiphaniam, Beatæ Mariæ Virginis de Chiquinquira die 9. Julii et Beatæ Mariæ Virg. de Guadalupa die 12. Decbr. Item in Festis Sancti Philippi Nerii Confessoris, Sancti Ferdinandi Regis Confessoris, Sancti Michaelis a Sanctis, Sanctæ Rosæ Virginis Limanæ, Sanctæ Teresiæ Virginis, et Sanctæ Gertrudis itidem Virginis. In Festis vero Mysteriorum et Instrumentorum Dominicæ Passionis ex Proprio Cleri Sæcularis Urbis Romæ.

Indulsit insuper ut a Clero prædictæ Archidiœceseos in aliis Festis Sanctorum et Beatorum vel ad Hispaniam vel ad Americam pertinentium Orationes, Lectiones secundi et tertii Nocturni, necnon respondentes Missæ assumi valeant ex Proprio Hispaniæ, vel ex Propriis Americæ jam approbatis: sub conditione tamen quod in omnibus supraenunciatis Festis conservetur ritus in Diœcesano Kalendario iisdem Festis assignatus; et quod, postquam Proprium tum Officiorum tum Missarum ad tramitem harum concessionum fuerit typis commissum, authenticum ipsius Exemplar ad Sacram Rituum Congregationem transmittatur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 9. Decembris 1875.

C. Episcopus Ostiensis et Velitern.

Card. Patrizi S. R. C. Præfectus.

Loco † Sigilli.

Plac. Ralli S. R. C. Secret.

Digitized by Google

SANCTÆ FIDEI IN NEOGRANATENSI.

Ne a Clero Sanctæ Fidei in Neogranatensi umquam omitti debeant Officia illorum Festorum, quæ in Kalendario Diœcesano, a Sancta Sede hac die approbato, affixa conspiciuntur, determinatis vel Dominicis, vel Feriis, quibus aliquoties impeditis transferri nequeunt juxta Decreta, Rm̃us Dn̄us Vincentius Arbelaez Archiepiscopus Sanctæ Fidei in Neogranatensi a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX. humillime postulavit, ut juxta concessionem factam aliis Diœcesibus hæc Officia Festorum Mobilium in casu impedimenti reponi valeant primis insequentibus diebus liberis Sanctitas Sua, referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, precibus clementer annuere dignata est: sub conditione tamen ut Officia Mysteriorum et Instrumentorum Dominicæ Passionis ultra Quadragesimam non transferantur, ac Rubricæ in omnibus serventur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 9. Decembris 1875.

C. Episcopus Ostiensis et Velitern.

Card. Patrizi S. R. C. Præfectus.

Loco † Sigilli.

Plac. Ralli S. R. C. Secret.

Digitized by Google

OFFICIA PROPRIA

ARCHIDIŒCESIS

SANCTÆ FIDEI BOGOTENSIS.

PARS HIEMALIS.

Die 4. Decembris.

S. Barbaræ Virg. et Mart.
Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis eadem die in Brev. Rom. præter Orat. Deus, qui. (In Civit.) Eadem duplex maj.

Omnia ut supra, sed in I. Noct. Lect.: De Virgínibus. de Communi 1. loco.

Die 8. Decembris.

Immaculatæ Concept. B. M. V.
Patron. princip. Indiarum.
Duplex 1. cl. cum Oct.

Omnia ut in Brev. Romano eadem die.

Die 9. Decembris.

S. Leocadiæ Virginis et Martyris.
Duplex.

Omnia ut in Propr. Hispan. eadem die.

Die 10. Decembris.

Translationis
Almæ Domus Lauret. B. M. V.
Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis in Breviario Rom. eadem die.

Digitized by Google

Die 12. Decembris.

B. M. V. de Guadalupe.

Duplex majus.

Omnia ut in Propr. Hispan. die 26. Febr. Et fit commem. Adventus tantum.

Die 14. Decembris.

S. Eulaliæ Emeritensis

Virg. Mart.

Duplex.

Omnia de Communi Virg. et Mart. præter sequ.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas: da nobis in festivitáte sanctæ Vírginis et Mártyris tuæ Eulálie cóngrua devotióne gaudére; ut et poténtiam tuam in ejus passióne laudémus, et promíssum nobis percipiámus auxílium. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones de Script. occurr. In Quat. Temp. Lect. Confitébor. 2. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Eulália virgo, Libérii nóbilis Emeriténsis civis fília, a presbýtero Donáto fidem Christi edócta, patérna cura ob metum persecutiónis sub Maximiáno imperatóre in loco, qui dicebátur Porcejána et paréntis possésio erat, in fínibus provínciæ Bæticæ prope Eméritam milliário trigésimo, custodiebátur cum Felíce Confessóre, et Júlia vírgine, aliísque Deum timéntibus. Adeo síquidem ejus viri boni præcéptis Eulália sitiénter adhæsit, ut non christiános solum exácte ritus serváret, verum dari sibi occasiónem expéteret, qua per martýrium posset ad cœlum evoláre. Aúdiens autem Daciánum multos christianórum torméntis affícere ob Christi nomen, egréssa domo nocte, pédibus per ínvia pergens, una cum Júlia sibi convirgináli (quæ étiam eódem die martýrium passa est) in civitátem devénit.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Civitátem autem ingréssa, ad tribúnal Calphurniáni, quem legátum in urbe Emérita Daciánus relíquerat, accédens, increpáre cœ-

Digitized by Google

pit illíus sævítiam et insániam, quod Deum verum coléntes supplíciis vexáret et dæmonum simulácra cólere fáceret. Quam præses aúdiens primum verbis demulcére aggréditur, ne in tam ténera ætáte (tértium décimum enim annum agébat) vitam pérdere vellet. Adhortabátur étiam, ut diis incénsum adoléret. Quod beáta virgo rénuens fústibus cæditur, et úngulis ab utróque látere usque ad ossa dilaniátur. In quo torménto virgo læto ore notas númerans, in hæc verba prorúpit: Scríberis ecce mihi, Dómine; quam juvat hos ápices légere, qui tua, Christe, trophæa notant: noménque tuum elíciti sánguinis púrpura lóquitur.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Ad hæc insániens præses jussit eam collo tenus in vivam calcem immérgi, aqua super infúsa, ipsámque vírginem liquefácto plumbo perfúndi. Verum cum nec ardor ille Euláliæ nocéret, novíssime in equúleo exténditur, et ardéntibus fácibus lampadibúsque látera ejus adurúntur, quarum flammam in caput et fáciem involitántem virgo apérto ore hausit. Unde progrédiens colúmba candidíssima in cœlum spectántibus cunctis evolávit quarto Idus Decémbris. Lictóribus autem fugiéntibus, sancto córpore in equúleo relícto, magna nivis cópia descéndit, quæ forum corpúsque virgíneum vice líntei cándidi tegébat. Inde clam a christiánis ablátum sepultúræ tráditum est, et in Hispaniárum devastatióne a Saracénis in Oveténsem ecclésiam translátum est: ubi magna cum veneratióne cólitur. Eámque Urbánus octávus, Póntifex Máximus, in patrónam perpétuam dicti episcopátus Oveténsis concéssit, anno incarnatiónis Dómini millésimo sexcentésimo trigésimo nono.

℟. Afferéntur Regi.

In III. Nocturno Lectiones de Homília in Evang. Símile erit regnum cœlórum. de Communi I. loco.

Digitized by Google

Die 18. Decembris.

Exspectatio Partus B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis in Breviario Rom. eadem die.

Die 19. Decembris.

Commemoratio

S. Joseph Sponsi B. M. V. Confessoris.

Duplex.

In I. Vesperis.

Ant. 1. Jacob autem génuit Joseph, virum Maríæ, de qua natus est Jesus, qui vocátur Christus.

Psalmi ut in I. Vesperis de Communi Apost.

2. Missus est Angelus Gábriel a Deo ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María.

3. Cum esset desponsáta Mater Jesu María Joseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu sancto.

4. Joseph, vir ejus, cum esset justus, et nollet eam tradúcere, vóluit occúlte dimíttere eam.

5. Angelus Dómini appáruit Joseph, dicens: Joseph, fili David, noli timére accípere Maríam, cónjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spíritu sancto est: páriet autem fílium, et vocábis nomen ejus Jesum.

Capitulum. Prov. 28. et 27.

Vir fidélis multum laudábitur; et qui custos est Dómini sui, glorificábitur.

Hymnus.

Te, Joseph, célebrent ágmina cœlitum,
Te cuncti résonent christíadum chori,
Qui clarus méritis, junctus es ínclytæ
Casto fœdere Vírgini.

Almo cum túmidam gérmine cónjugem
Admírans, dúbio tángeris ánxius,
Afflátu súperi Fláminis Angelus
Concéptum púerum docet.

Tu natum Dóminum stringis, ad éxteras
Ægýpti prófugum tu séqueris plagas;
Amíssum Sólymis quæris, et ínvenis,
Miscens gaúdia flétibus.

Digitized by Google

Post mortem réliquos
mors pia cónsecrat,
Palmámque eméritos glória súscipit:
Tu vivens, súperis par,
frúeris Deo,
Mira sorte beátior.

Nobis, summa Trias, parce precántibus:
Da Joseph méritis sídera scándere:
Ut tandem líceat nos tibi pérpetim
Gratum prómere cánticum.
Amen.

℣. Constítuit eum dóminum domus suæ. ℟. Et príncipem omnis possessiónis suæ.

Ad Magnif. Ant. Exsúrgens Joseph a somno, fecit sicut præcépit ei Angelus Dómini, et accépit cónjugem suam.

Oratio.

Sanctíssimæ Genitrícis tuæ Sponsi, quæsumus Dómine, méritis adjuvémur: ut, quod possibílitas nostra non óbtinet, ejus nobis intercessióne donétur: Qui vivis et regnas.

Et fit commem. Feriæ.

Ad Matutinum.

Invit. Christum Dei Fílium, qui putári dignátus est fílius Joseph, * Veníte, adorémus.

Hymn. Te Joseph. ut supra in I. Vesperis.

In I. Nocturno.

Ant. Ascéndit Joseph a Galilæa de civitáte Názareth in Judæam, in civitátem David, quæ vocátur Béthlehem, ut profiterétur cum María.

Psalmi trium Nocturnorum de Comm. Conf. non Pont.

Ant. Venérunt pastóres festinántes: et invenérunt Maríam et Joseph, et infántem pósitum in præsépio.

Ant. Ecce Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe púerum, et matrem ejus, et fuge in Ægýptum.

℣. Constítuit eum dóminum domus suæ. ℟. Et príncipem omnis possessiónis suæ.

Lectiones de Script. occurr. in Feria Quat. Temp. Lect. Beátus vir. de Comúni Conf. non Pont. 2. loco.

℟. i. Fuit Dóminus cum Joseph, et dedit ei grátiam in conspéctu príncipis cárceris: * Qui trádidit in manu illíus univérsos vinctos. ℣. Quidquid fiébat, sub

Digitized by Google

ipso erat: Dóminus enim erat cum illo, et ómnia ópera ejus dirigébat. Qui.

℟. ii. Esuriénte terra Ægýpti, clamávit pópulus ad regem aliménta petens. Quibus ille respóndit: * Ite ad Joseph, et quidquid vobis díxerit, fácite. ℣. Crescébat quotídie fames in omni terra, aperuítque Joseph univérsa hórrea, et vendébat Ægýptiis. Ite.

℟. iii. Fecit me Dóminus quasi patrem regis, et dóminum univérsæ domus ejus: nolíte pavére: * Pro salúte enim vestra misit me Deus ante vos in Ægýptum. ℣. Veníte ad me, et ego dabo vobis ómnia bona Ægýpti, et comedétis medúllam terræ. Pro salúte. Glória Patri. Pro salúte.

In II. Nocturno.

Ant. Consúrgens Joseph, accépit púerum et matrem ejus nocte, et secéssit in Ægýptum: et erat ibi usque ad óbitum Heródis.

Ant. Defúncto Heróde, Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph in Ægýpto, dicens: Surge, et áccipe púerum et matrem ejus, et vade in terram Israël: defúncti sunt enim qui quærébant ánimam púeri.

Ant. Accépit Joseph púerum et matrem ejus, et venit in terram Israël.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Sermo S. Bernárdi Abbátis.

Homilia 2. super Missus.

Lectio iv.

uis, et qualis homo fúerit beátus Joseph, cónjice ex appellatióne, qua, licet dispensatória, méruit honorári ádeo, ut pater Dei et dictus et créditus sit; cónjice et ex próprio vocábulo, quod Augméntum non dúbitas interpretári. Simul et meménto magni illíus quondam Patriárchæ vénditi in Ægýpto, et scito ipsíus istum non solum vocábulum fuísse sortítum, sed et castimóniam adéptum, innocéntiam assecútum et grátiam.

℟. Ascéndit Joseph a Galilæa de civitáte Názareth in Judæam, in civitátem David, quæ vocátur Béthlehem: * Eo quod esset de domo et família David. ℣.

Digitized by Google

Ut profiterétur cum María desponsáta sibi uxóre. Eo.

Lectio v.

Síquidem ille Joseph, fratérna ex invídia vénditus, et ductus in Ægýptum, Christi venditiónem præfigurávit: iste Joseph, Herodiánam invídiam fúgiens, Christum in Ægýptum portávit. Ille dómino suo fidem servans, dóminæ nóluit commiscéri: iste dóminam suam, Dómini sui Matrem, Vírginem agnóscens, et ipse cóntinens, fidéliter custodívit. Illi data est intelligéntia in mystériis somniórum: isti datum est cónscium fíeri atque partícipem cœléstium sacramentórum.

℟. Surge et áccipe púerum et matrem ejus, et fuge in Ægýptum: * Et esto ibi, usque dum dicam tibi. ℣. Ut adimplerétur quod dictum est a Dómino per Prophétam dicéntem: Ex Ægýpto vocávi fílium meum. Et.

Lectio vi.

Ille fruménta servávit non sibi, sed omni pópulo: iste panem vivum e cœlo servándum accépit tam sibi, quam toti mundo. Non est dúbium, quin bonus et fidélis homo fúerit iste Joseph, cui Mater desponsáta est Salvatóris. Fidélis, inquam, servus et prudens, quem constítuit Dóminus suæ Matris solátium, suæ carnis nutrítium, solum dénique in terris magni consílii coadjutórem fidelíssimum.

℟. Cum indúcerent púerum Jesum paréntes ejus, ut fácerent secúndum consuetúdinem legis pro eo: * Accépit eum Símeon in ulnas suas, et benedíxit Deum. ℣. Et erat pater ejus, et mater mirántes super his quæ dicebántur de illo. Accépit. Glória. Accépit.

In III. Nocturno.

Ant. Aúdiens Joseph quod Archeláus regnáret in Judæa pro Heróde patre suo, tímuit illo ire.

Ant. Admónitus in somnis Joseph secéssit in partes Galilææ, et véniens habitávit in civitáte quæ vocátur Názareth: ut adimplerétur quod dictum est per Prophétas: Quóniam Nazaræus vocábitur.

Digitized by Google

Ant. Erat pater Jesu et mater mirántes super his quæ dicebántur de illo; et benedíxit illis Símeon.

℣. Justus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 1. c.

Cum esset desponsáta mater Jesu María Joseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu sancto. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbýteri.

Lib. 1. Comm. in c. 1. Matth.

uare non de símplici vírgine, sed de desponsáta concípitur? Primum, ut per generatiónem Joseph orígo Maríæ monstrarétur: secúndo, ne lapidarétur a Judæis ut adúltera: tértio, ut in Ægýptum fúgiens habéret solátium. Martyr Ignátius étiam quartam áddidit causam, cur a desponsáta concéptus sit: Ut partus, ínquiens, ejus celarétur diábolo, dum eum putat non de vírgine, sed de uxóre generátum.

℟. Dicit Mater Jesu ad illum: Fili, quid fecísti nobis sic? * Ecce pater tuus, et ego doléntes quærebámus te. ℣. Et ait ad illos: Quid est quod me quærebátis? nesciebátis quia in his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse? Ecce.

Lectio viii.

Antequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu sancto. Non ab álio invénta est, nisi a Joseph, qui pene licéntia maritáli futúræ uxóris ómnia nóverat. Quod autem dícitur: Antequam convenírent, non séquitur ut póstea convénerint: sed Scriptúra, quod factum non sit, osténdit.

℟. Descéndit Jesus cum eis, et venit Názareth: * Et erat súbditus illis. ℣. Proficiébat sapiéntia, et ætáte, et grátia apud Deum et hómines. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

Joseph autem vir ejus, cum esset justus, et nollet eam tradúcere, vóluit occúlte dimíttere eam. Si quis fornicáriæ conjúngitur, unum corpus efficitur: et in lege præcéptum est, non solum

Digitized by Google

reos, sed et cónscios críminum obnóxios esse peccáti: quómodo Joseph, cum crimen celáret uxóris, justus scríbitur? Sed hoc testimónium Maríæ est, quod Joseph sciens illíus castitátem, et admírans quod evénerat, celat silléntio, cujus mystérium nesciébat.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

et per Horas.

Ant. 1. Ibant paréntes Jesu * per omnes annos in Jerúsalem, in die solémni Paschæ.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Cum redírent, * remánsit puer Jesus in Jerúsalem et non cognovérunt paréntes ejus.

3. Non inveniéntes * Jesum, regréssi sunt in Jerúsalem, requiréntes eum; et post tríduum invenérunt illum in templo, sedéntem in médio doctórum, audiéntem, et interrogántem eos.

4. Dixit mater ejus * ad illum: Fili, quid fecísti nobis sic? Ecce pater tuus et ego doléntes quærebámus te.

5. Descéndit Jesus * cum eis, et venit Názareth, et erat súbditus illis.

Capitulum. Prov. 28. et 27.

Vir fidélis multum laudábitur; et qui custos est Dómini sui, glorificábitur.

Hymnus.

Cœlitum, Joseph, decus atque nostræ
Certa spes vitæ, columénque mundi,
Quas tibi læti cánimus, benígnus
Súscipe laudes.

Te sator rerum státuit pudícæ
Vírginis sponsum, voluítque Verbi
Te patrem dici, dedit et minístrum
Esse salútis.

Tu Redemptórem stábulo jacéntem,
Quem chorus vatum cécinit futúrum,
Aspicis gaudens, humilísque natum
Numen adóras.

Rex Deus regum, Domínator orbis,
Cujus ad nutum tremit inferórum
Turba, cui pronus famulátur æther,
Se tibi subdit.

Digitized by Google

Laus sit excélsæ Tríadi perénnis,
Quæ tibi præbens súperos honóres,
Det tuis nobis méritis beátæ
Gaúdia vitæ. Amen.

Ad Bened. Ant. **Ipse Jesus erat incípiens quasi annórum trigínta, ut putabátur fílius Joseph.**

Oratio.

Sanctíssimæ Genitrícis tuæ Sponsi, quæsumus Dómine, méritis adjuvémur: ut, quod possibílitas nostra non óbtinet, ejus nobis intercessióne donétur: Qui vivis et regnas.

Ad Tertiam.

Capit. **Vir fidélis.** ut supra.

℟. br. **Constítuit eum * Dóminum domus suæ. Constítuit.** ℣. **Et príncipem omnis possessiónis suæ. Dóminum. Glória. Constítuit.**

℣. **Magna est glória ejus in salutári tuo.** ℟. **Glóriam et magnum decórem impónes super eum.**

Ad Sextam.

Capitulum. Eccli. 45.

Diléctus Deo et homínibus, cujus memória in benedictióne est. **In fide et lenitáte ipsíus sanctum fecit illum, et elégit eum ex omni carne.**

℟. br. **Magna est glória ejus * In salutári tuo. Magna.** ℣. **Glóriam et magnum decórem impónes super eum. In. Glória. Magna.**

℣. **Justus germinábit sicut lílium.** ℟. **Et florébit in ætérnum ante Dóminum.**

Ad Nonam.

Capitulum. Sap. 10.

Prófugum justum dedúxit Sapiéntia per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus.

℟. br. **Justus germinábit * Sicut lílium. Justus.** ℣. **Et florébit in ætérnum ante Dóminum. Sicut.** Glória Patri. **Justus.**

℣. **Plantátus in domo Dómini.** ℟. **In átriis domus Dei nostri.**

In II. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud., Ps. et Hymn. ut in I. Vesp.

℣. **Glória et divítiæ in domo ejus.** ℟. **Et justítia ejus manet in sæculum sæculi.**

Ad Magnif. Ant. **Ecce fidélis servus, et prudens,**

Digitized by Google

quem constituit Dóminus super famíliam suam.

Die 20. Decembris.
S. Dominici Sylensis Confessoris.
Duplex.
Omnia ut in Propr. Hispan. eadem die.

Die 23. Decembris.
S. Nicolai Factoris.
Duplex.
Omnia ut in Propr. Hispan. eadem die.

Die 19. Januarii.
Comemoratio
S. Joseph Sponsi B. M. V.
Duplex.
Omnia ut die 19. Decembris in hoc Proprio. pag. **12***

Die 20. Januarii.
Ss. Fabiani Papæ et **Sebastiani** Mart.
In civitate Duplex majus.
Omnia ut in Brev. Romano eadem die præter Lect. I. Noct. **Fratres: Debitóres.** de Comm. plurim. Mart.
In Diœcesi Duplex.
Omnia ut in Brev. Romano eadem die.

Die 22. Januarii.
Ss. Vincentii et **Anastasii** Martyrum.
Duplex.
Omnia ut in Brev. Romano eadem die.

Die 23. Januarii.
S. Ildephonsi Episc. Conf.
Duplex.
Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 28. Januarii.
S. Juliani Episc. Conf.
Duplex.
Omnia ut inter festa pro aliqu. locis in Breviario Rom. eadem die.

Domin. III. post Epiph.
B. M. V. de Bethlehem.
Duplex majus.

In I. Vesperis.

Ant. 1. **Ascéndit Joseph a Galilæa de civitáte Názareth in Judæam, in civitátem David, quæ vocátur Béthlehem, ut profiterétur cum María.**

Psalmi ut in Festis B. M. V. per annum.

2. **Compléti sunt dies Maríæ ut páreret Fílium suum primogénitum, et pannis**

Digitized by Google

eum invólvit, et reclinávit eum in præsépio.

3. **Transeámus usque Béthlehem, et videámus hoc verbum, quod factum est, quod Dñs osténdit nobis.**

4. **Et venérunt festinántes: et invenérunt Maríam, et Joseph, et infántem pósitum in præsépio.**

5. **María autem conservábat ómnia verba hæc, cónferens in corde suo.**

Capitulum. Eccli. 24.

Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris, et flores mei fructus honóris, et honestátis. Ego Mater pulchræ dilectiónis, et timóris et agnitiónis, et sanctæ spei.

Hymn. **Ave maris stella.** ut in Festis B. M. V. per annum.

℣. **Post partum, Virgo, invioláta permansísti.** ℟. **Dei Génitrix intercéde pro nobis.**

Ad Magnif. Ant. **O admirábile commércium! Creátor géneris humáni, animátum corpus sumens, de Vírgine nasci dignátus est: et procédens homo sine sémine, largítus est nobis suam deitátem.**

Oratio ut infra ad Laudes.

Et fit comm. Domin. occurr.

Ad Complet. et alias Horas, in fine Hymnor. dicitur: **Jesu, tibi sit glória, Qui natus es de Vírgine.**

Ad Matutinum.

Invit. **Sancta María, Dei Génitrix, Virgo, * Intercéde pro nobis.**

Ps. **Veníte, exsultémus.**

Hymnus. **Quem terra.** ut in Festis B. M. V. per annum.

In I. Nocturno.

Ant. **Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui.**

Psalmi trium Nocturnorum ut in Festis B. M. V.

Ant. **Sicut myrrha elécta odórem dedísti suavitátis, sancta Dei génitrix.**

Ant. **Benedícta, fília, tu a Dómino: quia per te fructum vitæ comunicávimus.**

℣. **Spécie tua, et pulchritúdine tua.** ℟. **Inténde, próspere procéde, et regna.**

De Cánticis Canticórum.

Lectio i. Cap. 2.

Ego flos campi, et lílium convállium. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias. Sicut malus inter ligna silvárum, sic diléctus meus inter fílios. Sub umbra il-

Digitized by Google

líus, quem desideráveram, sedi; et fructus ejus dulcis gútturi meo. Introdúxit me in cellam vináriam, ordinávit in me caritátem. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis, quia amóre lángueo. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. En diléctus meus lóquitur mihi: Surge, própera, amíca mea, colúmba mea, formósa mea, et veni. Jam enim hiems tránsiit, imber ábiit, et recéssit. Flores apparuérunt in terra nostra, tempus putatiónis advénit: vox túrturis audíta est in terra nostra; ficus prótulit grossos suos: víneæ floréntes dedérunt odórem suum.

℟. O magnum mystérium, et admirábile sacraméntum, ut animália vidérent portáre Dóminum natum, jacéntem in præsépio! * Beáta Virgo, cujus víscera meruérunt portáre Dóminum Christum. ℣. Ave María grátia plena, Dóminus tecum. Beáta.

Lectio ii.

Surge, amíca mea, speciósa mea, et veni, colúmba mea, in foramínibus petræ, in cavérna macériæ: osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in aúribus meis: vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra. Cápite nobis vulpes párvulas, quæ demoliúntur víneas: nam vínea nostra flóruit. Diléctus meus mihi, et ego illi, qui páscitur inter lília, donec aspíret dies, et inclinéntur umbræ. Revértere, símilis esto, dilécte mi, cápreæ, hinnulóque cervórum super montes Bether. Adjúro vos, fíliæ Jerúsalem, per cápreas, cervósque campórum, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam, donec ipsa velit. Quæ est ista quæ ascéndit per desértum, sicut vírgula fumi ex aromátibus myrrhæ et thuris, et univérsi púlveris pigmentárii?

℟. Confirmátum est cor Vírginis in quo divína mystéria, Angelo nuntiánte, concépit; tunc speciósum forma præ fíliis hóminum castis suscépit viscéribus: * Et benedícta in ætérnum Deum nobis prótulit, et hóminem. ℣. Domus pudíci péctoris templum repénte fit Dei: intácta nésciens

Digitized by Google

virum, verbo concépit fílium. Et.

Lectio iii.

En léctulum Salomónis sexagínta fortes ámbiunt ex fortíssimis Israël, omnes tenéntes gládios, et ad bella doctíssimi: uniuscujúsque ensis super femur suum propter timóres noctúrnos. Férculum fecit sibi rex Sálomon de lignis Líbani: colúmnas ejus fecit argénteas, reclinatórium aúreum, ascénsum purpúreum; média caritáte constrávit propter fílias Jerúsalem. Egredímini, et vidéte, fíliæ Sion, regem Salomónem in diadémate, quo coronávit illum mater sua in die desponsatiónis illíus, et in die lætítiæ cordis ejus. Quam pulchra es, amíca mea, quam pulchra es! Oculi tui columbárum, absque eo quod intrínsecus latet. Capílli tui sicut greges caprárum, quæ ascendérunt de monte Gálaad. Duo úbera tua, sicut duo hínnuli cápreæ geménlli, qui pascúntur in líliis.

℟. Benedíota et venerábilis es, Virgo María, quæ sine tactu pudóris invénta es Mater Salvatóris: * Jacébat in præsépio, et fulgébat in cœlo. ℣. Dómine, audívi audítum tuum, et tímui: considerávi ópera tua, et expávi, in médio duórum animálium. Jacébat. Glória Patri. Jacébat.

In II. Nocturno.

Ant. Speciósa facta es, et suávis in delíciis tuis, sancta Dei Génitrix.

Ant. Pulchrióra sunt úbera tua vino, et odor vestimentórum tuórum super ómnia arómata.

Ant. Sicut lætántium ómnium nostrum habitátio est in te, sancta Dei Génitrix.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Sermo S. Leónis Papæ.

Serm. 1. de Nativitate Domini.

Lectio iv.

irgo régia Davídicæ stirpis elígitur, quæ sacro gravidánda fœtu, divínam, humanámque prolem prius concípere mente quam córpore. Et ne supérni ignára con-

Digitized by Google

sílii ad inusitátos pavéret affátus, quod in ea operándum erat a Spíritu sancto, collóquio discit angélico, nec damnum credit pudóris, Dei Génitrix mox futúra. Cur enim de conceptiónis novitáte despéret, cui efficiéntia de Altíssimi virtúte promíttitur? Confirmátur credéntis fides étiam præeúntis attestatióne miráculi, donatúrque Elísabeth inopináta fœcúnditas, ut qui concéptum déderat stérili, datúrus non dubitarétur et Vírgini. Verbum ígitur Dei, Deus, Dei Fílius, qui in princípio erat apud Deum, per quem facta sunt ómnia, et sine quo factum est nihil, propter liberándum ab ætérna morte hóminem factus est homo.

℟. Beáta víscera Maríæ Vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium: et beáta úbera, quæ lactavérunt Christum Dóminum; * Qui pro salúte mundi de Vírgine nasci dignátus est. ℣. Dies sanctificátus illúxit nobis: veníte gentes, et adoráte Dóminum. Qui pro salúte.

Lectio v.
Serm. 2. de Nativitate Domini.

Adveniéntibus ergo temporibus, dilectíssimi, quæ redemptióni hóminum fúerant præstitúta, ingréditur hæc ínfima Jesus Christus Dóminus noster de cœlésti sede descéndens, et a patérna glória non recédens, novo órdine, nova nativitáte generátus. Novo órdine, quia invisíbilis in suis, visíbilis factus est in nostris; incomprensíbilis, vóluit comprehéndi, ante témpora manens esse cœpit ex témpore: universitátis Dóminus servílem formam obumbráta majestátis dignitáte suscépit; impassíbilis Deus non dedignátus est homo esse passíbilis, et immortális mortis légibus subjacére. Nova autem nativitáte génitus est, concéptus a vírgine, natus ex vírgine, sine patérnæ carnis concupiscéntia, sine matérnæ integritátis injúria: quia futúrum hóminum Salvatórem talis ortus decébat, qui et in se habéret humánæ substántiæ natúram, et humánæ carnis inquinaménta nescíret. Au-

Digitized by Google

ctor enim in carne nascéntis Deus est, testánte Archángelo ad beátam Maríam Vírginem: Quia Spíritus sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi: ideóque quod nascétur ex te sanctum, vocábitur Fílius Dei.

℟. Nésciens Mater Virgo virum, péperit sine dolóre: * Salvatórem sæculórum, ipsum Regem Angelórum sola Virgo lactábat úbere de cœlo pleno. ℣. Domus pudíci péctoris templum repénte fit Dei: intácta nésciens virum, verbo concépit Fílium. Salvatórem.

Lectio vi.

Orígo dissímilis, sed natúra consímilis: humáno usu et consuetúdine, quod crédimus, caret; sed divína potestáte subníxum est, quod virgo concéperit, quod virgo pepérerit, et virgo permánserit. Non hic cogitétur pariéntis condítio, sed nascéntis arbítrium, qui sic homo natus est, ut volébat et póterat. Si veritátem quæris humánæ natúræ, cognósce matériam: si ratiónem scrutáris orígnis, virtútem confitére divínam. Venit enim Dóminus Jesus Christus contágia nostra auférre, non pérpeti, nec succúmbere vítiis, sed medéri. Venit, ut omnem languórem corruptiónis, et univérsa vúlnera sordéntium curáret animárum: propter quod opórtuit, ut novo nascerétur órdine, qui novam impollútæ sinceritátis grátiam humánis corpóribus inferébat. Opórtuit enim, ut primam Genitrícis integritátem nascens incorrúptio custodíret et complácitum sibi claustrum pudóris, et sanctitátis hospítium divíni Spíritus virtus infúsa serváret, quæ statúerat dejécta erígere, confrácta solidáre, et superándis carnis illécebris multiplicátam pudicítiæ donáre virtútem: ut virgínitas, quæ in áliis non póterat salva esse generándo, fíeret in áliis imitábilis et confiténdo, et renascéndo.

℟. Beatíssima Virgo María, hortus conclúsus, fons signátus, Regína Angelórum, Dómina mundi, * Per quam Deus descéndit in terras, ut hómines ascéndere mereréntur ad cœlos.

Digitized by Google

℣. Ad te clamámus, éxsules fílii Evæ: recordáre nostri, sanctíssima Virgo. Per. Glória Patri. Per.

In III. Nocturno.

Ant. Gaude, María Virgo, cunctas hæreses sola interemísti in univérso mundo.

Ant. Pulchra es et decóra, fília Jerúsalem, terríbilis ut castrórum ácies ordináta.

Ant. Post partum, Virgo, invioláta permansísti: Dei Génitrix, intercéde pro nobis.

℣. Elégit eam Deus et præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 2.

In illo témpore: Pastóres loquebántur ad ínvicem: Transeámus usque Béthlehem, et videámus hoc verbum quod factum est, quod Dóminus osténdit nobis. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 2. in cap. 2. Luc.

Vides festináre pastóres. Nemo enim cum desídia Christum requírit. Vides pastóres Angelo credidísse: et tu Patri, Fílio et Spirítui sancto, Angelis, Prophétis, et Apóstolis crede. Vide quam signánter Scriptúra singulórum libret moménta verbórum. Festínant, inquit, Verbum vidére. Etenim cum caro Dómini vidétur, Verbum vidétur, quod est Fílius.

℟. Benedícta fília, tu a Dómino, quia per te fructum vitæ communicávimus: * Sola sine exémplo placuísti Dómino nostro Jesu Christo. ℣. Nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus nostris, et a perículis cunctis líbera nos, sancta Dei Génitrix. Sola.

Lectio viii.

Non mediócre fídei tibi hoc videátur exémplum, quod vilis sit persóna pastórum. Certe quo vílior ad prudéntiam, eo pretiósior ad fidem. Non gymnásia choris referta sapiéntum, sed plebem Dóminus símplicem requisívit, quæ phaleráre audíta et fucáre nescíret. Simplícitas enim quæritur, non ambítio de-

Digitized by Google

siderátur. Nec contemnénda putes quasi vília verba pastórum. A pastóribus enim María fidem cólligit: a pastóribus pópulus ad Dei reveréntiam congregátur. Miráti étiam sunt omnes qui audiérunt, de iis quæ dicebántur a pastóribus ad ipsos. María autem conservábat ómnia verba hæc, cónferens in corde suo. Discámus sanctæ Vírginis in ómnibus castitátem, quæ non minus ore pudíca quam córpore, arguménta fídei conferébat in corde.

℟. Beáta es, María Dei Génitrix, patróna et auxiliátrix nostra, et omni laude digníssima: * Ex qua ortus est sol justítiæ Christus Deus noster, per quem salváti et redémpti sumus. ℣. Ipsa est stella ex Jacob, cujus rádius univérsum orbem illúminat. Ex. Glória Patri. Ex.

Lectio ix. de Dominica.

Ad Laudes

et per Horas.

Ant. 1. Beáta es, * Virgo María, Dei Génitrix, quæ credidísti Dómino: perfécta sunt in te, quæ dicta sunt tibi.

Psalm. Dóminus regnávit. cum reliquis de Dominica.

2. Beáta víscera Maríæ * Vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium, et beáta úbera, quæ lactavérunt Christum Dóminum.

3. Rubum, quem víderat * Móyses incombústum, conservátam agnóvimus tuam laudábilem virginitátem: Dei Génitrix, intercéde pro nobis.

4. Germinávit radix Jesse, * orta est stella ex Jacob; Virgo péperit Salvatórem: te laudámus, Deus noster.

5. Ecce María * génuit nobis Salvatórem, quem Joánnes videns exclamávit dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi.

Capitulum. Eccli. 24.

Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris, et flores mei fructus honóris, et honestátis. Ego Mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis et sanctæ spei.

Hymnus. O gloriósa.

℣. Benedícta tu in muliéribus. ℟. Et benedíctus fructus ventris tui.

Digitized by Google

Ad Bened. Ant. Quando natus es ineffabíliter ex Vírgine, tunc implétæ sunt Scriptúræ: sicut plúvia in vellus descendísti, ut salvum fáceres genus humánum: te laudámus, Deus noster.

Oratio.

Deus, qui pro nobis ex intácto beátæ Maríæ Vírginis útero Béthlehem nasci voluísti; tríbue, quæsumus; ut ad percipiéndum reparatiónis nostræ fructum Genitrícis tuæ méritis ac précibus adjuvémur: Qui vivis et regnas.

Et fit comm. Domin. occurr.

Ad Primam.

In ℟. br. dicitur ℣. Qui natus es de María Vírgine.

Ad Tertiam.

Capit. Ego quasi. ut supra.

℟. br. Spécie tua, * Et pulchritúdine tua. Spécie tua. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Et. Glória Patri. Spécie tua.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Ad Sextam.

Capitulum. Eccli. 24.

Transíte ad me omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini. Spíritus enim meus super mel dulcis, et hæréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum.

℟. br. Adjuvábit eam * Deus vultu suo. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus. Glória Patri. Adjuvábit.

℣. Elégit eam Deus et præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Ad Nonam.

Capitulum. Eccli. 24.

Qui audit me, non confúndetur, et qui operántur in me, non peccábunt.

℟. br. Elégit eam Deus, * Et præelégit eam. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et. Glória Patri. Elégit.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

In II. Vesperis.

Ant., Ps., Capit., et Hymn. ut in I. Vesperis.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta. ℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Digitized by Google

Ad Magnif. Ant. Ave cleméntiæ Mater, consolátrix afflictórum, salus infirmórum. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri. O María, Virgo prudentíssima, ora pro nobis ad Dóminum.

Feria III.
post Dominicam Septuag.
Orationis D. N. J. C. in monte Oliveti.
Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis in Breviario Rom. eadem feria.

Feria III.
post Dominicam Sexages.
Commemoratio
Passionis D. N. J. C.
Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis in Breviario Rom. eadem feria.

Die 3. Februarii.
S. Fulgentii Episc. Conf.
Duplex.

Omnia ut in Propr. Hispan. die 16. Januarii.

Et fit comem. et ix. Lectio S. Blasii Episc. Mart. ut in Brev. Rom. eadem die.

Die 9. Februarii.
Ss. Fructuosi Episcopi et Socior. Mart.
Duplex.

Omnia ut in Propr. Hispan. die 21. Januarii.

Et fit comem. et ix. Lectio S. Apolloniæ Virg. Mart. ut in Brev. Rom. eadem die.

Die 11. Februarii.
S. Valerii Episc. Conf.
Duplex.

Omnia ut in Propr. Hispan. die 29. Januarii.

Die 12. Februarii.
S. Eulaliæ Virg. et Mart.
Duplex.

Omnia ut in Propr. Hispan. eadem die.

Die 13. Februarii.
S. Raymundi de Peñafort Confessoris.
Semiduplex.

Omnia ut in Brev. Romano die 23. Januarii.

In Quadrages. In I. Noct. Lect. Justus si morte. de Communi Conf. non Pont. 1. loco. (S. R. C. die 23. Maji 1835 in Namurc. ad 4.)

Digitized by Google

Die 14. Februarii.

S. Canuti Regis Mart.
Semidupl. ad libit.

Omnia ut in Brev. Romano eadem die.

Et fit commemor. S. Valentini Mart.

In I. Vesperis. Ant. **Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.**

℣. **Justus ut palma florébit.** ℟. **Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.**

Oratio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus: ut qui beáti Valentíni, Mártyris tui, natalítia cólimus, a cunctis malis imminéntibus, ejus intercessióne, liberémur. Per Dóminum.

In Laudibus. Ant. **Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit: fundátus enim erat supra firmam petram.**

℣. **Glória et honóre coronásti eum, Dómine.** ℟. **Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.**

Die 15. Februarii.

S. Cyrilli Ep. Alexandr. Conf. et Eccl. Doct.
Duplex.

Omnia ut in Breviario die 9. Februarii. Et fit commem. Ss. Faustini et Jovitæ ut in Breviario hac die.

Die 16. Februarii.

Ss. VII Fundatorum Ordin. Serv. B. M. V. Conf.
Duplex.

Omnia ut in Breviario die 11. Februarii.

Die 19. Februarii.

Commemoratio
S. Joseph Sponsi B. M. V.
Duplex.

Omnia ut die 19. Dec. in hoc Proprio pag. 12*

Die 25. vel 26. Februarii.

B. Sebastiani ab Apparitione Conf.
Duplex.

Omnia ut in Propr. Hispan. die 25. Februarii.

Feria VI. post Cineres.

Sacr. Spineæ Coronæ D. N. J. Chr.
Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis in Breviario Rom. eadem feria.

Digitized by Google

Die 1. Martii.

S. Rudesindi Episc. Conf. Duplex.

Omnia ut in Propr. Hispan. eadem die.

Die 3. Martii.

Ss. Hemetherii et Celedonii Martyrum. Duplex.

Omnia de Communi plurim. Mart. præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui gloriósos Mártyres Hemethérium et Celedónium in tui nóminis confessióne roborásti: concéde propítius; ut, quorum córpora venerámur in terris, eórum aspéctu perfruámur in cœlis. Per Dñm.

In I. Noct. Lect. Fratres: Debitóres. de Comm. plurim. Mart. Extra Quadrages. de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno:

Lectio iv.

Hemethérius et Celedónius fratres Legionénses, Marcélli centuriónis mártyris fílii, aliorúmque insígnium mártyrum, qui divérsis tempóribus et locis pro Christo passi sunt, germáni fratres, postquam diu fortitérque sub románis vexíllis meruérunt, mota in christiános sævíssima persecutióne, páribus votis constantíque ánimo semet ínvicem adhortántes decrevérunt relíctis gentílium castris ad Christi milítiam transíre. Ardóre ítaque fídei succénsi, dum álii veræ fídei cultóres in tentatióne deficiébant, illi ad martýrium properárunt: sciéntes ita ánimam servári, dum pérditur: sánguinem sacrári, dum fúnditur: et accéptis, non inflíctis vulnéribus, christiánam parári victóriam.

℟. Sancti tui.

Lectio v.

Christum ítaque palam proféssi et inánium deórum simulácra detestáti Deum verum líbere prædicáre cœpérunt. Quare ad mílitum tribúnal rapti, inde grávibus caténis onústi in tenebricósum fœtidúmque cárcerem protrahúntur. Ubi multis ærúmnis maceráti, cum nullis ártibus, sive verbórum blandítiis, sive beneficiórum promíssis, sæpiúsve repetítis supplíciis a sancto propósito dimo-

Digitized by Google

véri potuíssent, váriis cruciántur tormentórum genéribus, quæ vel ipsum tyránnum púduit publicári. Sevéro quippe prohíbuit edícto, gesta sacrórum virórum, sive quas passi sunt pœnas, sive quæ patrárunt mirácula, in apértum prodúci. Etsi vero gentílium versútia gloriósi agónis memóriam tentárit abolére, christianórum nihilóminus píetas stúduit conserváre.

℟. Vérbera carnífícum.

Lectio vi.

Illud vero imprímis memorábile, quod lata in eos cápitis sententia, ubi ad supplícii locum pervenérunt, ántequam lictóris ictum excíperent, suæ fídei pignora eo præmisérunt, quo mox ipsi erant perventúri. Primus ánnulum, secúndus orárium in altum projecérunt, quæ lenis auræ obséquio, splendescénte auro et candénte línteo, cunctis intuéntibus ad cœlos evécta sunt. Vidit hæc ipse cárnifex, qui manum représsit hærens et stupens; sed demum ictum perégit, ne períret mártyrum triúmphus. Secúri percússi juxta civitátem Calaguritánam prope torréntem Arenális tértio Nonas Mártii, ibídem sepúlti sunt. Unde póstea transláti ad ecclésiam cathedrálem prídie Kaléndas Septémbris, eo translatiónis die tamquam patróni, miráculis illústres, præcípua colúntur veneratióne.

℟. Tamquam aurum.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Cum audiéritis prælia. ut in Communi 1. loco.

℟. viii. Hæc est vera.

Lectio ix. et cõmem. Feriæ in Laud. in Quadrag.

Digitized by Google

ADPROBATIO.

Revisione rite peracta cum originalibus omnia concordare reperta sunt. In fidem etc.

Ex Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis
hac die 19. Augusti 1881.

Pro **R. P. D. Placidò Ralli** Secretario
Joannes Ponzi Substitutus.

Imprimatur.

Ratisbonæ die 2. Septembris 1889.

G. Erlenborn, Vic. in Spirit. Gen.

Digitized by Google

OFFICIA PROPRIA

ARCHIDIŒCESIS

SANCTÆ FIDEI BOGOTENSIS

A SEDE APOSTOLICA

CONCESSA.

PARS VERNA.

RATISBONÆ, NEO EBORACI & CINCINNATII.
SUMPTIBUS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,
S. SEDIS APOST. ET S. RIT. CONGR. TYPOGR.
MDCCCLXXXIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

KALENDARIUM PERPETUUM

AD USUM CLERI

ARCHIDIŒCESIS SANCTÆ FIDEI IN NEOGRANATENSI.

Februarius.

24. *vel* 25. S. Mathiæ Ap. *duplex 2. class.*
25. *vel* 26. B. Sebastiani ab Apparitione Conf. *duplex.* pag. 7*
26.
27.
28.

In anno bissextili Februarius habet dies 29.

Feria VI. post Domin. I. Quadrages. Lanceæ et Clavorum D. N. J. C. *duplex maj.* Comm. Feriæ. 7*
Feria VI. post Domin. II. Quadrages. Sacr. Sindonis D. N. J. C. *duplex majus.* Comm. Feriæ. 7*

Martius.

1. S. Rudesindi Episc. Conf. *duplex.* 7*
2.
3. Ss. Hemetherii et Soc. Mm. *duplex.* 8*
4. S. Casimiri Reg. Conf. *semiduplex.* Commem. S. Lucii I. Papæ Mart.
5.
6.
7. S. Thomæ Aquinatis Conf. et Doct. *duplex.* Commem. Ss. Perpetuæ et Soc. Mm.
8. S. Joannis de Deo Conf. *duplex.*
9. S. Franciscæ Romanæ Vid. *duplex.*
10. Ss. Quadraginta Martyrum. *semidupl.*
11.
12. S. Gregorii I. Magni Pap. Conf. et Doct. *duplex.*
13. S. Leandri Episc. Conf. *duplex.* 9*
14. S. Florentinæ Virg. *duplex.* 9*
15. S. Raymundi Abbat. *duplex.* 9*
16.
17. S. Patritii Episc. Conf. *duplex.*
18. S. Gabrielis Archang. *duplex majus.* 9*
19. S. Joseph Conf. Sponsi B. M. V. Catholicæ Eccl. Patr. *dupl. 1. cl.*
20. S. Braulii Episc. Conf. *duplex.* 10*

Digitized by Google

21. S. Benedicti Abbatis. *duplex majus.*
22. S. Cyrilli Ep. Hierosolymit. Conf. et Eccl. Doct. (D. a. ex 18. huj.) *Duplex.* pag. 10*
23.
24.
25. Annuntiatio B. M. V. *duplex 2. classis.*
26. Boni Latronis Conf. (D. a. ex heri.) *duplex.* 10*
27.
28.
29.
30.
31.

Feria VI. post Domin. III. Quadrag. Sacrorum Quinque Vulnerum D. N. J. C. *duplex majus.* Comm. Feriæ. pag. 18*

Feria VI. post Domin. IV. Quadrag. Pretiosiss. Sanguinis D. N. J. C. *duplex majus.* Comm. Feriæ. 18*

Feria VI. post Dom. Passionis. Septem Dolorum B. M. V. *duplex majus.* Comm. Feriæ.

Aprilis.

1.
2. S. Francisci de Paula Conf. *duplex.*
3.
4. S. Isidori Episc. Conf. et Doct. *duplex.*
5. S. Vincentii Ferrerii Conf. *duplex.*
6.
7.
8.
9.
10.
11. S. Leonis Magni Pap. Conf. et Doct. *duplex.*
12.
13. S. Hermenegildi Reg. Mart. *semidupl.*
14. S. Petri Gonzalez Conf. *dupl.* Comm. Ss. Tiburtii et Soc. Mm. 18*
15. S. Justini Mart. (D. a. ex heri.) *duplex.* 18*
16. S. Thuribii de Liebana Episc. Conf. *duplex.* 18*
17. B. Mariæ Annæ a Jesu Virg. *dupl.* Comm. S. Aniceti Papæ Mart. 18*
18.
19. Commem. S. Joseph Conf. Sponsi B. M. V. *duplex.* 18*
20. S. Agnetis a Monte Politiano Virg. *duplex.* 19*
21. S. Anselmi Episc. Conf. et Doct. *duplex.*
22. Ss. Soteris et Caji Pont. et Mart. *semidupl.*

Digitized by Google

23. S. Georgii Mart. *semidupl.*
24. S. Fidelis a Sigmaringa Mart. *duplex.*
25. S. Marci Evang. *dupl. 2. class.*
26. B. M. V. de Bono Consilio. *duplex majus.* pag. 20*
27. S. Thuribii de Mogrovejo Conf. *duplex.* 20*
28. S. Pauli a Cruce Conf. *duplex.* Comm. S. Vitalis Mart.
29. S. Petri Mart. *duplex.*
30. S. Catharinæ Senen. Virg. *duplex.*

Dominica III. post Pascha. Patrocinium S. Joseph Confessoris, Sponsi B. M. V. *dupl. 2. class.* Comm. Domin.

Majus.

1. Ss. Philippi et Jacobi Apost. *duplex 2. classis.*
2. S. Athanasii Episc. Conf. et Doct. *duplex.*
3. Inventio S. Crucis D. N. J. C. *duplex 2. classis.* Comm. Ss. Alexandri I. Pap. et Soc. Mm. ac Juvenalis Ep. Conf.
4. S. Monicæ Vid. *duplex.*
5. S. Pii V. Pap. Conf. *duplex.*
6. S. Joannis ante portam Latinam. *duplex majus.*
7. S. Stanislai Episc. Mart. *duplex.*
8. Apparitio S. Michaëlis Archang. *duplex majus.*
9. S. Gregorii Nazianzeni Episc. Conf. et Doct. *duplex.*
10. S. Antonini Episc. Conf. *duplex.* Comm. Ss. Gordiani et Soc. Mart.
11. S. Prudentii Episc. Conf. (D. a. ex 28. Aprilis.) *duplex.* pag. 20*
12. Ss. Nerei et Achillei et Soc. Mm. *semidupl.*
13. S. Petri Regalati Conf. *semidupl.* 20*
14. Ss. Cleti et Marcellini Pont. Mm. (D. a. ex 26. April.) *semidupl.* Comm. S. Bonifacii Mart. 20*
15. S. Isidori Conf. *duplex.* 20*
16. S. Joannis Nepomuceni Mart. *duplex.* 21*
17. S. Paschalis Baylon Conf. *duplex.*
18. S. Venantii Mart. *duplex.*
19. Commemoratio S. Joseph Conf. Sponsi B. M. V. *duplex.* Comm. S. Pudentianæ Virg. 21*
20. S. Bernardini Senensis Conf. *semidupl.*
21. Ss. Torquati et Soc. Ep. Mm. (D. a. ex 15. huj.) *dupl.* 21*
22. S. Petri Cœlestini Pap. Conf. (D. a. ex 19. huj.) *dupl.* 23*
23. S. Dominici Calceaten. Conf. (D. a. ex 12. huj.) *semid.* 23*
24. B. M. V. Auxilium Christianorum. *dupl. maj.* 23*
25. S. Gregorii VII. Pap. Conf. *duplex.* Commem. S. Urbani I. Papæ Mart.
26. S. Philippi Nerii Conf. *duplex.* Commem. S. Eleutherii Papæ Mart. 23*

Digitized by Google

27. S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virg. *semidupl.* Comm. S. Joannis Papæ Mart.
28. S. Augustini Episc. Conf. *dupl.*
29. S. Ubaldi Episc. Conf. (D. a. ex 16. huj.) *semidupl.* pag. 30*
30. S. Ferdinandi Reg. Conf. *dupl.* Com̃. S. Felicis I. P. M. 30*
31. S. Angelæ Merici Virg. *dupl.* Comm. S. Petronillæ Virg.

Junius.

1.
2. B. Mariæ Annæ de Paredes Virg. *dupl.* Comm. Ss. Marcellini et Soc. Mm. 30*
3.
4. S. Francisci Caracciolo. *dupl.*
5. S. Bonifacii Episc. Mart. *dupl.*
6. S. Norberti Episc. Conf. *dupl.*
7.
8.
9. Ss. Primi et Soc. Mm.
10. S. Margaritæ Regin. Scotiæ, Viduæ. *semidupl.*
11. S. Barnabæ Apost. *dupl. maj.*
12. S. Joannis a S. Facundo Conf. *dupl.* Comm. Ss. Basilidis et Socior. Mm.
13. S. Antonii de Padua Conf. *dupl.*

Digitized by Google



OFFICIA PROPRIA

ARCHIDIŒCESIS

SANCTÆ FIDEI BOGOTENSIS.

PARS VERNA.

Die 25. vel 26. Februarii.

B. Sebastiani ab Apparitione
Confessoris.

Duplex.

Omnia ut in Propr. Hispan. die 25. Februarii.

Feria VI.
post Domin. I. Quadrag.

Ss. Lanceæ et Clavorum D. N. J. C.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis Breviarii Romani eadem feria.

Feria VI.
post Domin. II. Quadrag.

Sacratissimæ Sindonis D. N. J. C.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis Breviarii Romani eadem feria.

Die 1. Martii.

S. Rudesindi Episcopi et Confessoris.

Duplex.

Omnia ut in Propr. Hispan. eadem die.

Digitized by Google

Die 3. Martii.

Ss. Hemetherii et Celedonii Martyrum.

Duplex.

Omnia de Communi plurim. Mart. præter sequentia.

Oratio.

eus, qui glorióSos Mártyres Hemethérium et Celedónium in tui nóminis confessióne roborásti: concéde propítius; ut, quorum córpora venerámur in terris, eórum aspéctu perfruámur in cœlis. Per Dñm.

In I. Noct. Lect. Fratres: Debitóres. de Comm. plurim. Mart.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Hemethérius et Celedónius fratres Legionénses, Marcélli centuriónis mártyris fílii, aliorúmque insígnium mártyrum, qui divérsis tempóribus et locis pro Christo passi sunt, germáni fratres, postquam diu fortitérque sub románis vexíllis meruérunt, mota in christiános sævíssima persecutióne, páribus votis constantíque ánimo semet ínvicem adhortántes decrevérunt relíctis gentílium castris ad Christi milítiam transíre. Ardóre ítaque fídei succénsi, dum álii veræ fídei cultóres in tentatióne deficiébant, illi ad martýrium properárunt: sciéntes ita ánimam servári, dum pérditur: sánguinem sacrári, dum fúnditur: et accéptis, non inflíctis vulnéribus, christiánam parári victóriam. ℟. **Sancti tui.**

Lectio v.

Christum ítaque palam profédssi et inánium deórum simulácra detestáti Deum verum líbere prædicáre cœpérunt. Quare ad míllitum tribúnal rapti, inde grávibus caténis onústi in tenebricósum fœtidúmque cárcerem protrahúntur. Ubi multis ærúmnis maceráti, cum nullis ártibus, sive verbórum blandítiis, sive beneficiórum promíssis, sæpiúsve repetítis supplíciis a sancto propósito dimovéri potuíssent, váriis cruciántur tormentórum genéribus, quæ vel ipsum tyránnum púduit publicári. Sevéro quippe prohíbuit

Digitized by Google

edícto, gesta sacrórum virórum, sive quas passi sunt pœnas, sive quæ patrárunt mirácula, in apértum prodúci. Etsi vero gentílium versútia gloriósi agónis memóriam tentárit abolére, christianórum nihilóminus píetas stúduit conserváre.

℟. Vérbera carnífícum.

Lectio vi.

Illud vero imprímis memorábile, quod lata in eos cápitis sententia, ubi ad supplícii locum pervenérunt, ántequam lictóris ictum excíperent, suæ fídei pígnora eo præmisérunt, quo mox ipsi erant perventúri. Primus ánnulum, secúndus orárium in altum projecérunt, quæ lenis auræ obséquio, splendescénte auro et candénte línteo, cunctis intuéntibus ad cœlos evécta sunt. Vidit hæc ipse cárnifex, qui manum représsit hærens et stupens; sed demum ictum perégit, ne períret mártyrum triúmphus. Secúri percússi juxta civitátem Calaguritánam prope torréntem Arenális tértio Nonas Mártii, ibídem sepúlti sunt. Unde póstea transláti ad ecclésiam cathedrálem prídie Kaléndas Septémbris, eo translatiónis die tamquam patróni, miráculis illústres, præcípua colúntur veneratióne.

℟. Tamquam aurum.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Cum audiéritis prælia. ut in Communi 1. loco. ℟. viii. Hæc est vera fraternitas.

Lectio ix. et cœtera. Feriæ in Laud. in Quadrag.

Die 13. Martii.

S. Leandri Episc. et Conf. Duplex.

Omnia ut in Propr. Hispan. eadem die.

Die 14. Martii.

S. Florentinæ Virginis. Duplex.

Omnia ut in Propr. Hispan. eadem die.

Die 15. Martii.

S. Raymundi de Fitero Abbatis. Duplex.

Omnia ut in Propr. Hispan. eadem die.

Die 18. Martii.

S. Gabrielis Archangeli. Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis in Brev. Romano eadem die.

Digitized by Google

Die 20. Martii.

S Braulii Episc. et Conf.

Duplex.

Omnia ut in Propr. Hispan. die 18. Martii.

Die 22. Martii.

S. Cyrilli Hierosolymit. Conf. et Eccl. Doct.

Duplex.

Omnia ut in Breviario die 18. hujus.

Die 26. Martii.

S. Boni Latronis Conf.

Duplex.

In I. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud. 16* Ps. ut in I. Vesp. de Comm. Apostolorum.

Hymnus.

Jesu coróna célsior,
Et véritas sublímior,
Qui confiténti sérvulo
Reddis perénne præmium.

Da supplicánti cœtui,
Hujus rogátu, nóxii
Remissiónem críminis,
Rumpéndo nexum vínculi.

Anni revérso témpore,
Dies refúlsit lúmine,
Quo sanctus hic de córpore
Migrávit inter sídera.

Proínde te piíssime
Precámur omnes súpplices,
Nobis ut hujus grátia
Pœnas remíttas débitas.

Patri perénnis glória,
Natóque Patris único,
Sanctóque sit Paráclito
Per omne semper sæculum.
Amen.

℣. **Amávit eum Dóminus, et ornávit eum.** ℟. **Stolam glóriæ índuit eum.**

Ad Magnif. Ant. **Ait latro ad latrónem: Nos quidem digna factis recípimus: hic autem quid fecit? Meménto mei Dómine, dum véneris in regnum tuum.**

Oratio ut ad Laudes. 17*

Ad Matutinum.

Invit. **Christum Regem crucifíxum, qui latróni in cruce paradísum donat, * Veníte adorémus.**

Ps. **Veníte, exsultémus.**

Hymnus. **Jesu coróna.**

In I. Nocturno.

Ant. **Beátus iste sanctus, qui confísus est in Dómino, et exaudítus est de monte sancto ejus.**

Psalmi trium Nocturnorum de Comm. Conf. non Pont.

Ant. **Póstula a me, et dabo tibi hæreditátem tuam.**

Ant. **Voce mea ad Dóminum clamávi, et exaudívit me de monte sancto suo.**

Digitized by Google

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Extra Quadrages. Lectiones de Scriptura occurrente.

De Isaía Prophéta.

Lectio i. Cap. 55.

Omnes sitiéntes veníte ad aquas, et qui non habétis argéntum, properáte, émite, et comédite: veníte, émite absque argénto, et absque ulla commutatióne vinum et lac. Quare appénditis argéntum non in pánibus, et labórem vestrum non in saturitáte? Audíte audiéntes me, et comédite bonum, et delectábitur in crassitúdine ánima vestra. Inclináte aurem vestram, et veníte ad me: audíte, et vivet ánima vestra, et fériam vobíscum pactum sempitérnum, misericórdias David fidéles. Ecce testem pópulis dedi eum, ducem ac præceptórem géntibus. Ecce gentem, quam nesciébas, vocábis: et gentes, quæ te non cognovérunt, ad te current propter Dóminum Deum tuum, et sanctum Israël, quia glorificávit te. Quæríte Dóminum, dum inveníri potest, invocáte eum, dum prope est.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, *Manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio ii.

Derelínquat ímpius viam suam, et vir iníquus cogitatiónes suas, et revertátur ad Dóminum, et miserébitur ejus, et ad Deum nostrum: quóniam multus est ad ignoscéndum. Non enim cogitatiónes meæ, cogitatiónes vestræ: neque viæ meæ, viæ vestræ, dicit Dóminus. Quia sicut exaltántur cœli a terra, sic exaltátæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitatiónes meæ a cogitatiónibus vestris. Et quómodo descéndit imber, et nix de cœlo, et illuc ultra non revértitur, sed inébriat terram, et infúndit eam, et germináre eam facit, et dat semen serénti, et panem comedénti: Sic erit verbum meum, quod egrediétur de ore meo: non revertétur ad me vácuum, sed fáciet quæcúmque vólui, et

Digitized by Google

prosperábitur in his, ad quæ misi illud.

℟. Iste cognôvit justítiam, et vidit mírabília, et exorávit Altíssimum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste invéntus est in número sanctórum. Ipse.

Lectio iii. Cap. 59.

Ecce non est abbreviáta manus Dómini ut salváre néqueat, neque aggraváta est auris ejus ut non exaúdiat: Sed iniquitátes vestræ divisérunt inter vos et Deum vestrum, et peccáta vestra abscondérunt fáciem ejus a vobis ne exaudíret. Manus enim vestræ pollútæ sunt sánguine, et dígiti vestri iniquitáte: lábia vestra locúta sunt mendácium, et lingua vestra iniquitátem fatur.* Non est qui ínvocet justítiam, neque est qui júdicet vere: sed confídunt in níhilo, et loquúntur vanitátes: concepérunt labórem, et peperérunt iniquitátem.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et. Glória. Et.

In II. Nocturno.

Ant. Invocántem exaudívit Dóminus sanctum suum: Dóminus exaudívit eum, et constítuit eum in pace.

Ant. Dómine inténde voci oratiónis meæ, Rex meus et Deus meus.

Ant. Eleváta est magnificéntia tua super cœlos.

℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. ℟. Et ad portas paradísi coronávit eum.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 2. de Cruce et Latr. t. 3.

Lectio iv.

Scio et ante me dixísse de latróne, sed habet divérsas intelligéntias Dei sermo. Iste latro de ligno mercátur salútem; hic latro furátur cœléste impérium. Vim facit majestáti, non virtúte própria, sed fide vincens. Ipsíus Dómini vox est, Regnum cœlórum vim pátitur, et violénti dirípiunt illud. In cruce duo latrónes imágo Judæórum et Gentílium. Latro quem

Digitized by Google

pœnitet, imáginem óbtinet pópuli ex Géntibus congregáti, qui prius in erróre ambuláverat, et post hoc veritátem agnóvit. Imáginem vero latro ille óbtinet Judæórum, qui usque in finem persevérat latro. Et usque ad tempus quidem crucis viam malignitátis iérunt: crux autem divísit utrúmque.

℟. Velum templi scissum est, * Et omnis terra trémuit: Latro clamábat de cruce, dicens: Meménto mei Dómine, dum véneris in regnum tuum. ℣. Petræ scissæ sunt, et monuménta apérta sunt, et multa córpora sanctórum, qui dormíerant, surrexérunt. Et.

Lectio v.

Viam namque cæcitátis et perditiónis, qui non crédidit, ingréssus est: viam autem salútis, qui crédidit, ingréssus est: viam salútis, qui crédidit, adéptus est. In cruce dídicit latro differéntiam viárum, quóniam novit Dóminus viam justórum: via autem impiórum períbit. Et vide Dei justum judícium, ut dicas et tu cum prophéta: Justus es Dómine, et rectum judícium tuum. Propter unum peccátum damnátur Adam, et propter unam fídei vocem latro salvátur. Unum peccátum ejécit illum, et una justítia introdúxit istum; et latro habitátor factus est paradísi. O admiránda rerum matéries! Nec Abrahæ data est per vocem repromíssio paradísi. Hæreditátur quidem per fidem: repromissiónem autem paradísi nemo ante latrónem accépit.

℟. Nemo repromissiónem paradísi ante latrónem accépit, cui Dóminus in cruce dixit: * Hódie mecum eris in paradíso. ℣. Dómine meménto mei, cum véneris in regnum tuum. Hódie.

Lectio vi.

Iste ergo vidit Salvatórem non super throno regáli, non adorári in templo, non loquéntem de cœlis, non per Angelos disponéntem, sed in pœna sociátum latróni; videt in torméntis, et tamquam in glória adórat; videt in cruce, et rogat quasi in cœlis sedéntem; videt condemnátum, et Regem ínvocat, dicens:

Digitized by Google

Dómine meménto mei, cum véneris in regnum tuum. Crucifíxum vides, et Regem prædicas! In ligno pendére cernis, et cœlórum regna meditáris! O admiránda latrónis convérsio!

℟. O admiránda latrónis convérsio! * Crucifíxum videt, et Regem prædicat. ℣. In ligno pendéntem cernit, et cœlórum regna meditátur. Crucifíxum. Glória Patri. Crucifíxum.

In III. Nocturno.

Ant. Dómine, iste sanctus habitábit in tabernáculo tuo, requiéscet in monte sancto tuo.

Ant. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Ant. Hic ascéndet in montem Dómini, et stabit in loco ejus.

℣. Hic accípiet benedictiónem a Dómino. ℟. Et misericórdiam a Deo salutári suo.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 23. f.

In illo témpore: Unus de his qui pendébant latrónibus, blasphemábat Jesum, dicens: Si tu es Christus, salvum fac temetípsum et nos. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

Serm. 49. de S. Latrone.

Quóniam hódie Evangélii léctio de latróne fecit mentiónem, videámus quis ille latro sit, qui in cruce Dómino constitúto non solum peccatórum suórum véniam conséquitur, sed étiam paradísi amœnitáte donátur; ut qui propter scélera damnátus fúerat ad pœnam, propter fidem transferrétur ad glóriam; fuerítque illi crux quam pértulit, non tam supplícii damnátio, quam salútis occásio. In cruce enim pósitus in Christum Dóminum nostrum crédidit crucifíxum. Et ídeo qui consórtio passiónis útitur, consórtio paradísi condonátur. Beátus enim latro, dum supplícium pátitur, regnum cœléste conséquitur. Ecce reus dícitur, sicut cui damnári illud tempus expetívit. Non enim perveníret ad glóriam, si non contráditus esset ad pœnam. Vi-

Digitized by Google

deámus, inquam, cur tantórum críminum reus tam cito a Salvatóre paradísum promerétur, cum álii multórum témporum lácrimis frequentibúsque jejúniis vix delictórum suórum véniam consequántur.

℟. Iste est beátus latro, qui in cruce pósitus Christum Dóminum nostrum crédidit crucifíxum: * Et dum supplícium pátitur, regnum cœléste conséquitur. ℣. Quem Judas Iscarióte in hórtulo paradísi distráxerat, iste in patíbulo confitétur. Et.

Lectio viii.

Magna, fratres, et múltiplex causa est. Primum, quod iste latro devotióne fídei tam repénte mutátus est, ut præséntem pœnam despícerèt, ac de futúra véniam precarétur; et magis créderet útile sibi esse de ætérno judício pétere, quam de temporáli supplício postuláre. Reminíscens enim scélerum suórum, et pœnitúdinem gerens, plus íncipit dolére quod sperat, quam sentíre quod pátitur. Pótuit enim, nisi de futúris ámplius cogitásset, qui in Christum semel credíderat, de præsénti magis supplício deprecári. Deínde illud ad grátiam ejus majóris est mériti, quod in Christum in cruce pósitum crédidit, et pássio, quæ áliis scándalum fecit, illi ad fidem profécit. Crucis enim pássio multis scándalum fuit, sicut dicit Apóstolus: Nos autem prædicámus Christum crucifíxum, Judæis quidem scándalum, Géntibus autem stultítiam. Recte ergo merétur paradísum, qui crucem Christi non putávit esse scándalum, sed virtútem. Dicit enim idem Apóstolus: Ipsis autem vocátis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtútem, et Dei sapiéntiam.

℟. Iste est qui crucem Christi non putávit esse scándalum, sed virtútem; ideóque paradísum merétur: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui honorificat patiéntem, quem Judas pródidit osculántem. Ipse. Glória Patri. Ipse.

Lectio ix. de Homil. Feriæ occurr.; alias

Digitized by Google

Lectio ix.

Recte plane et Dóminus huic donat paradísum, quia quem Judas Iscariótes in hórtulo paradísi distráxerat, hic in crucis patíbulo confitétur. Mira res! confitétur latro quem discípulus abnegávit. Mira, inquam, res! Latro honorífícat patiéntem, quem Judas pródidit osculántem. Ab hoc pacis blandiménta vendúntur, ab illo crucis vúlnera prædicántur. Ait enim: Meménto mei Dómine, eum véneris in regnum tuum. Hæc est fídei plena devótio, ut, cum de vulnéribus Dómini prófluens sanguis cérnitur, tunc de potestáte ejus vénia postulétur; cum vidétur ejus humílitas, tunc magis timeátur ejus divínitas; cum morti addíctus putátur, tunc Regis illi honorificéntia deferátur. Iste enim fidélis latro non crédidit moritúrum, quem annúntiat regnatúrum; non putat subdéndum ínferis, quem dominatúrum confitétur in cœlo; non arbitrátur eum apud tártarum detinéri, a quo se étiam póstulat liberári. Cernat licet ejus hiántia vúlnera, spectet ipsíus sánguinem profluéntem, Deum tamen credit, quem reum nescit; justum fatétur, quem non méminit peccatórem.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

et per Horas.

Ant. 1. Latro Christum * crucifíxum vidébat, et Regem invocábat, dicens: Dómine meménto mei, dum véneris in regnum tuum.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Qui me conféssus * fúerit coram homínibus, confitébor et ego eum coram Patre meo.

3. Cum conturbáta fúerit * ánima mea Dómine, misericórdiæ memor eris.

4. Salvum me fecit * Christus Redémptor, qui dixit: Hódie mecum eris in paradíso.

5. Ille qui talis * ad crucem venit ex culpa, ecce qualis a cruce recédit ex grátia.

Capitulum. Is. 59.

Ecce non est abbreviáta manus Dómini, ut salváre néqueat: neque aggraváta est auris ejus, ut non exaúdiat.

Digitized by Google

Hymnus.

Jesu Redémptor ómnium,
Coróna confiténtium,
In hac die cleméntius
Indúlgeas precántibus.

Tui sacri qua nóminis
Conféssor almus cláruit,
Hujus celébrat ánnua
Devóta plebs solémnia.

Hujus benígnus ánnue
Confessiónem nos sequi:
Hujus precátu, sérvulis
Dimítte noxam críminis.

Sit, Christe Rex piíssime,
Tibi Patríque glória,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

℣. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei Dómine. ℟. Glóriam et magnum decórem imposuísti super eum.

Ad Bened. Ant. Ait latro ad latrónem: Nos quidem digna factis recípimus; hic autem quid fecit? Meménto mei Dómine, dum véneris in regnum tuum.

Oratio.

Omnípotens et miséricors Deus, qui justíficas ímpios, te súpplices exorámus: ut nos benígno intúitu, quo Unigénitus tuus beátum traxit latrónem, ad dignam pœniténtiam próvoces; et illam, quam ei promísit, tríbuas nobis glóriam sempitérnam. Per eúmdem Dóminum.

Ad Tertiam.

Capit. Ecce non. 16*

℟. br. Amávit eum Dóminus, * Et ornávit eum. Amávit. ℣. Stolam glóriæ índuit eum. Et. Glória Patri. Amávit.

℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. ℟. Et ad portas paradísi coronávit eum.

Ad Sextam.

Capitulum. Is. 58.

Tunc invocábis, et Dóminus exaúdiet: clamábis, et dicet: Ecce adsum.

℟. br. Induit eum Dóminus lorícam fídei, * Et ornávit eum. Induit. ℣. Et ad portas paradísi coronávit eum. Et. Glória Patri. Induit.

℣. Hic accípiet benedictiónem a Dómino. ℟. Et misericórdiam a Deo salutári suo.

Ad Nonam.

Capitulum. Is. 38.

Tu autem Dómine eruísti ánimam meam, ut non períret: projecísti post

Digitized by Google

tergum tuum ómnia peccáta mea.

℟. br. **Hic accípiet * Benedictiónem a Dómino. Hic.** ℣. **Et misericórdiam a Deo salutári suo. Benedictiónem. Glória Patri. Hic.**

℣. **Vitam pétiit a te, et tribuísti ei Dómine.** ℟. **Glóriam et magnum decórem imposuísti super eum.**

In II. Vesperis.

Omnia ut in I. Vesperis. ℣. **Amávit.**

Ad Magnif. Ant. **Impíetas ímpii non nocébit ei, in quacúmque die convérsus fúerit ab impietáte sua.**

Feria Sexta
post Domin. III. Quadrag.
Sacror. V Vulnerum
D. N. J. C.
Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis in Breviario Rom. eadem feria.

Feria Sexta
post Domin. IV. Quadrag.
Pretiosiss. Sanguinis
D. N. J. C.
Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis in Breviario Rom. eadem feria.

Die 14. Aprilis.
S. Petri Gonzalez Conf.
Duplex.

Omnia ut in Propr. Hispan. eadem die.

Die 15. Aprilis.
S. Justini Martyris.
Duplex.

Omnia ut in Breviario Rom.

Die 16. Aprilis.
S. Thuribii de Liebana
Episc. et Conf.
Duplex.

Ut in Proprio Hispan. eadem die.

Die 17. Aprilis.
B. Annæ a Jesu Virginis.
Duplex.

Ut in Proprio Hispan. eadem die.

Die 19. Aprilis.
Commem. **S. Joseph** Conf.
Sponsi B. M. V.
Duplex.

Officium ut die 19. Martii in Brev. Rom. servatis servandis pro temp. pasch.

Sed Hymnus ad Matut. ut in I. Vesp. **Te Joseph.** et ad Laud. Hymn. **Cœlitum Joseph.** ut ad Matutinum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

Digitized by Google

Die 20. Aprilis.

S. Agnetis a Monte Politiano Virg.

Duplex.

Omnia de Communi Virg., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátam Agnétem, Vírginem tuam, cœlésti rore sæpe perfúndere, et oratiónis ejus loca divérsis enátis flóribus decoráre dignátus es: concéde propítius; ut, ejus précibus, perpétuo tuæ benedictiónis rore conspérsi, æternitátis fructus percípere mereámur. Per Dñm.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

gnétis de Monte Politiáno órdinis sancti Domínici vírginis integérrimæ, nativitátem faces divínitus accénsæ in cubículo matris illustrárunt. Claustrále institútum ampléxa est nono ætátis anno: et quintumdécimum necdum egréssa, Summi Pontíficis jussu moniálibus invíta præfícitur. Ejus léctulus nuda humus, cervical saxum fuit: et quíndecim annos in pane et aqua jejunávit. Sæpe inter orándum, nec major annis quatuórdecim, a terra cúbito tollebátur: ejúsque pállium roris cándidi guttis, quæ crucis effígiem síngulæ referébant, respergebátur: ac locus, ubi génua fixísset, súbito pulchérrimis flóribus ornabátur.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

A sacra Deípara Jesum forma lacténtis púeri orans excépit: eúmque aliquámdiu sinu compléxa, párvulam crucem ténui filo nexam ab ejúsdem collo detráxit. Terram quoque Christi sánguine in passióne fuso cruentátam divínitus accépit, ac frustum pelvis, ubi ipsè infántulus Jesus a Vírgine Matre fuit ablútus. Sed et sancti Apóstoli Petrus et Paulus partículis suárum véstium eámdem pro magno múnere donárunt. Sæpius eídem Angelus Eucharístiam sua manu porréxit.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Virtútibus et miráculis illústris, ac pretiósa vir-

Digitized by Google

ginitátis coróna redimíta, migrávit in cœlum, anno millésimo trecentésimo décimo séptimo. Cum sancta Catharína Senénsis, quæ a Deo præmónita jam ántea fúerat, parem se glóriam cum sancta Agnéte in cœlis habitúram, ejus corpus íntegrum atque incorrúptum sepúlchro servátum invíseret, ac ejus pedes deosculári vellet, Agnes álterum pedem éxtulit ad os usque Catharínæ: quæ cum álio étiam témpore revérsa, se ad caput Agnétis demisísset, manna instar nivis toto illo loco plúere cœpit. Dénique ipsam beátam Vírginem Agnétem miráculis claram, Benedíctus décimus tértius, órdinis Prædicatórum, sanctárum Vírginum número adscrípsit.

℟. **Afferéntur Regi.**

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Símile erit regnum ... decem virgínibus.** de Comm. 1. loco.

Die 26. Aprilis.

B.M.V. de Bono Consilio.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis in Brev. ead. die.

Die 27. Aprilis.

S. Thuribii de Mogrovio

Confessoris.

Duplex.

Omnia ut in Propr. Hispan. eadem die.

Die 11. Maji.

S. Prudentii Ep. et Conf.

Duplex.

Omnia ut in Propr. Hispan. die 28. Aprilis.

Die 13. Maji.

S. Petri Regalati Conf.

Semiduplex.

Omnia ut in Propr. Hispan. eadem die.

Die 14. Maji.

Ss. Cleti et **Marcellini**

Pont. et Mart.

Semiduplex.

Ut in Breviario Rom. die 26. Aprilis.

Et fit commem. S. Bonifacii Mart. ut ibid. hac die, præter Ant. et ℣., quæ in I. Vesperis sumuntur e Laudib., in Laud. autem e I. Vesperis.

Die 15. Maji.

S. Isidori Confessoris.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis Breviarii Romani eadem die.

Digitized by Google

Die 16. Maji.

S. Joannis Nepomuceni
Martyris.
Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis Breviarii Romani eadem die 2. loco.

Die 19. Maji.

Commemoratio
S. Joseph Confessoris, Sponsi B. M. V.
Duplex.

Omnia ut in Brev. Rom. die 19. Martii sed ritu paschali.

Sed Hymnus ad Matutin. ut in I. Vesp. Te **Joseph.** et ad Laud. Hymn. Cœlitum **Joseph.** ut ad Matutin.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

Die 21. Maji.

Ss. Torquati et **Socior.**
Episc. et Mart.
Duplex.

Omnia de Comm. plurim. Mart., præter sequentia.

Oratio.

Deus qui nos post beatíssimum Jacóbum Apóstolum per beátos Mártyres tuos atque Pontífices Torquátum, Ctesiphóntem, Secúndum, Indalétium, Cœcílium, Hesýchium et Euphrásium ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti: concéde propítius; ut quos festívo venerámur obséquio eórum intercedéntibus méritis, ætérna gaúdia consequámur. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.
Lectio iv.

Quo témpore primam in christiános persecutiónem Nero immaníssimus imperátor excitávit, beatíssimi Apóstoli Petrus et Paulus Torquátum, Ctesiphóntem, Secúndum, Indalétium, Cæcílium, Hesýchium et Euphrásium, beáti Jacóbi Apóstoli discípulos, epíscopos Romæ ordinárunt, et ad prædicándum Christi evangélium in Hispániam misérunt. Cum autem ad eam provínciam perveníssent, prope Accitánam urbem, in víridi campo, ut longitúdine itíneris lassáti aliquántulum quiéscerent, constitérunt. Cumque ad civitátem victus eméndi causa áliquos misíssent, pagáni, qui tunc forte deórum suórum festa debacchántes peragébant, visis divérsi hábitus, ac re-

Digitized by Google

ligiónis peregrínis homínibus, in eos furéntes prosíliunt: et ad sanctos perveniéntes, omnes páriter in fugam actos, usque ad flumen prosequúntur.

℟. Lux perpétua.

Lectio v.

Sed ut viri Dei pontem pertransiérunt, pons, qui miræ magnitúdinis et firmíssimus erat, cóncidit, et gentílium multitúdinem, sanctos persequéntem, páriter oppréssit ac demérsit in aquas. Quo miráculo áccolæ térriti, eos póstea revocáre, et in honóre habére cœpérunt. In primis Lupária quædam præclára múlier benígne illos suscépit, atque ab his fidem edócta, in oratório, quod ipsa constrúxerat, baptizáta est. Cujus exémplo quam plúrimi in Christum credéntes, relíctis idólis, baptísmi sacraméntum suscepérunt.

℟. In servis suis.

Lectio vi.

Hujus ígitur urbis, quæ tunc prima Christi Dómini fidem in Hispánia recépit, beátus Torquátus epíscopus designátus est: ac céteris ad álias Hispániæ terras abeúntibus, ipse Acci remánsit, ubi multis pro Christo perfúnctus labóribus, demum martyr occúbuit. Ejus corpus in eádem urbe (quæ nunc Guádix appellátur) primo sepúltum est. Juxta cujus sepúlchrum olim arbor olívæ erat, quæ in natáli mártyris florébat, simúlque fructus úberes emittébat: e quibus óleum expréssum, ad vários morbos curándos adhibebátur. Inde in Gallæciam translátum, in quodam cœnóbio órdinis sancti Benedícti, condígno honóre asservátur. Sodáles sancti Torquáti, et ipsi in váriis úrbibus epíscopi constitúti Christi evangélium prædicárunt, et in eis quievérunt: Ctésiphon Vérgii, Secúndus Abulæ, Indalétius Urci, Cæcílius Illíberi, Hesýchius Cartéjæ, Euphrásius Illitúrgi; quorum córpora ad álias póstea Hispániæ urbes transláta sunt.

℟. Fíliæ Jerúsalem.

In III. Nocturno Homilia in Evangel. Ego sum vitis. de Comm. Mart. temp. pasch.

Digitized by Google

Die 22. Maji.

S. Petri Cœlestini Papæ et Confessoris.

Duplex.

Omnia ut in Brev. Romano die 19. Maji.

Die 23. Maji.

S. Dominici Calceat. Confessoris.

Semiduplex.

Omnia ut in Propr. Hispan. die 12. hujus.

Die 24. Maji.

B. Mariæ V. Auxilium Christianorum.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis Breviarii Romani eadem die.

Die 26. Maji.

S. Philippi Nerii Conf.

Duplex.

In I. Vesperis.

Ant. de Laud. 28* Ps. ut in I. Vesp. de Comm. Apost.

Capitulum. Rom. 5. c.

Cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris per inhabitántem Spíritum ejus in nobis.

Hymnus.

Pangámus Nério débita cántica,
Quem supra nítidi sídera vérticis
Virtus, et méritum sústulit ínclytum
Captúrum pia gaúdia.

Hic uri súbitis dum videt ígnibus
Ædes, quas hábitat, flétibus ábstinet,
Flammas cum pénitus quíverit hórridas
Paucis víncere lácrimis.

Oblátum pátrui munus, et aúreos
Nummos magnánimus calcat, et ímpiger
Romam digréditur, quam magis ómnibus
Illústrem facit úrbibus.

Noctes sub spécubus, córpora Mártyrum
Quas implent, vígilat sédulus íntegras;
Ex ipsis sátagens díscere mórtuis
Normam, qua bene víveret.

Almæ sit Tríadi glória pérpetim,
Quam cœlum, bárathrum térraque súscipit:
Quæ nobis Nérii det prece júgia
Dulcis gaúdia pátriæ. Amẽ.

℣. **Deus virtútum réspice de cœlo, et vísita víneam istam, allelúja.** ℟. **Et pér-**

Digitized by Google

fice eam, quam plantávit déxtera tua, allelúja.

Ad Magnif. Ant. **Domus mea, domus oratiónis vocábitur: dicit Dóminus, allel.**

Oratio.

Deus, qui beátum Philíppum Confessórem tuum Sanctórum tuórum glória sublimásti: concéde propítius; ut cujus solemnitáte lætámur, ejus virtútum proficiámus exémplo. Per Dóminum.

Ad Matutinum.

Invit. Veníte, adorémus Regem regum, * Qui in domum oratiónis nos congregávit, allelúja.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus.

Noctu dum Nérius fércula paúperi
Gestans præcípitat, pénniger Angelus
Tecto significat, quáliter éxcidat
Numquam férvida cáritas.

Orántis pénetrans cordis in íntimum
Laxávit spátium Spíritus ímpete
De cœlo véniens, esset ut hóspiti
Imménso locus ámplior.

Ponti de médio gúrgite naúfragum
Tractúrus vétulum, sub pede vórtices
Durávit flúidos, et prope túrbidum
Convértit mare in áridam.

Tractans exánimis membra puélluli
In lucem révocat, mox jubet émori,
Donátus Dómini múnere clávibus
Vitæ, mortis et ínferi.

Almæ sit Tríadi glória pérpetim,
Quam cœlum, bárathrum térraque súscipit;
Quæ nobis Nérii det prece júgia
Dulcis gaúdia pátriæ. Amẽ.

In I. Nocturno.

Ant. **Quid mihi est in cœlo, et a te quid vólui super terram Deus meus, allelúja.**

Psalmi trium Nocturnorum ut in Comm. Conf. non Pont.

℣. **Tibi dixit cor meum, exquisívit te fácies mea, allelúja.** ℟. **Fáciem tuam Dómine requíram, allelúja.**

Digitized by Google

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. Cap. 51.

Laudábo nomen tuum assídue et collaudábo illud in confessióne, et exaudíta est orátio mea. Et liberásti me de perditióne, et eripuísti me de témpore iníquo. Proptérea confitébor, et laudem dicam tibi, et benedícam nómini Dómini. Cum adhuc júnior essem, priúsquam oberrárem, quæsívi sapiéntiam palam in oratióne mea. Ante templum postulábam pro illa, et usque in novíssimis inquíram eam. Et efflóruit tamquam præcox uva, lætátum est cor meum in ea. Ambulávit pes meus iter rectum, a juventúte mea investigábam eam. Inclinávi módice aurem meam et excépi illam. Multam invéni in meípso sapiéntiam, et multum proféci in ea.

℟. Replétus Spíritu sancto beátus Philíppus ascensiónes suas dispósuit in corde suo: * Et totis viscéribus diligébat Deum, allelúja. ℣. Dedit ei Spíritus Dómini sapiéntiam, et prudéntiam multam nimis, et latitúdinem cordis. Et.

Lectio ii.

Danti mihi sapiéntiam dabo glóriam. Consiliátus sum enim, ut fácerem illam: zelátus sum bonum, et non confúndar. Colluctáta est ánima mea in illa, et in faciéndo eam confirmátus sum. Manus meas exténdi in altum, et insipiéntiam ejus luxi. Animam meam diréxi ad illam, et in agnitióne invéni eam. Possédi cum ipsa cor ab inítio: propter hoc non derelínquar. Venter meus conturbátus est quæréndo illam: proptérea bonam possidébo possessiónem. Dedit mihi Dóminus linguam mercédem meam et in ipsa laudábo eum.

℟. Spíritus sanctus a throno procédens, illíus cor penetrávit, * Novo sanctificatiónis signo, allelúja. ℣. Advénit ignis divínus, confríngens, urens, et illúminans; et tríbuit ei charísmatum dona. Novo.

Lectio iii.

Appropiáte ad me indócti, et congregáte vos in domum disciplínæ. Quid

Digitized by Google

adhuc retardátis? et quid dícitis in his? Animæ vestræ sítiunt veheménter. Apérui os meum, et locútus sum: Comparáte vobis sine argénto, et collum vestrum subjícite jugo, et suscípiat ánima vestra disciplínam: in próximo est enim invenire eam. Vidéte óculis vestris, quia módicum laborávi, et invéni mihi multam réquiem. Assúmite disciplínam in multo número argénti, et copiósum aurum possidéte in ea. Lætétur ánima vestra in misericórdia ejus, et non confundémini in laude ipsíus. Operámini opus vestrum ante tempus, et dabit vobis mercédem vestram in témpore suo.

℟. Amóre vulnerátus languébat júgiter, dicens: * Quis me separábit a caritáte? allelúja. ℣. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita póterit me separáre a caritáte Dei, quóniam ipse in me manet et ego in eo. Quis. Glória Patri. Quis.

In II. Nocturno.

Ant. Quam dilécta tabernácula tua, Dómine! concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini, allel.

℣. Unam pétii a Dómino, hanc requíram, allelúja. ℟. Ut inhábitem in domo Dómini, allelúja.

Lectiones ut in Breviario in eodem Festo.

℟. iv. Oculis et mánibus in cœlum semper inténtus * Invíctum ab oratióne spíritum non relaxábat, allelúja. ℣. Clamans clamábat ad Dóminum: quando véniam, et apparébo ante fáciem Dei? Invíctum.

℟. v. Obitum suum longe ante præscívit dixítque frátribus: * Cúpio dissólvi, et esse cum Christo, allelúja. ℣. Interióra mea intra me efferbuérunt absque ulla réquie. Cúpio.

℟. vi. Hódie Philíppus migrávit a sæculo, gemma sacerdótum, * Per quem in cœlo vivéntem tanta miracula corúscant, allelúja. ℣. O virum ineffábilem, nec labóre victum nec morte vincéndum! Per. Glória Patri. Per.

In III. Nocturno.

Ant. Congregáte illi sanctos ejus, qui órdinant te-

Digitized by Google

staméntum ejus super sacrifícia, allelúja.

℣. Meménto congregatiónis tuæ, allelúja. ℟. Quam possedísti ab inítio, allelúja.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 8. in Luc.

Beáti servi illi, quos, cum vénerit Dóminus, invénerit vigiléntes. In superióribus vigiláre nos vóluit, per ómnia exspectántes moménta Dómini Salvatóris advéntum; ne, dum áliquis remíttit, et négligit, et de die in diem ópera sua differt, judícii futúri die, vel própria morte prævéntus méritum suæ commendatiónis amíttat. Et illa quidem in omnes præcépti forma generális: (quod si díxerit servus ille in corde suo, moram facit Dóminus meus veníre); verum séries sequéntis exémpli dispensatóribus, hoc est, sacerdótibus vidétur esse propósita, quo sciant sibi gravem in futúrum pœnam esse subeúndam, si sæculáribus inténti delíciis, famíliam Dómini plebémque commíssam sibi gubernáre negléxerint. Ille autem servus, qui cognóvit voluntátem Dómini sui, et non præparávit, et non fecit secúndum voluntátem ejus, vapulábit multis.

℟. Domus mea domus oratiónis vocábitur: *In ea omnis, qui petit, áccipit: et qui quærit, ínvenit; et pulsánti aperiétur, allelúja. ℣. Lætificábo eos in domo oratiónis. In ea.

Lectio viii.

Sed quia exíguus est profectus, et parva meritórum grátia, supplícii metu ab erróre revocári, majórque prærogatíva caritátis et amóris est; Dóminus ad promeréndam sui grátiam stúdia nostra ácuit, et acquiréndæ cupiditáte divinitátis inflámmat, dicens: Ignem veni míttere in terram; non útique illum ignem consumptórem bonórum, sed bonæ volun-

Digitized by Google

tátis auctórem, qui aúrea Domínicæ domus vasa melióret, fœnum vero consúmit, et stípulam, ac sæcularia ómnia mundi voluptáte concréta, perituræque opus carnis exúrit; ille ignis divínus, qui flammigerábat in óssibus Prophetárum, sicut sanctus Jeremías dixit, qui factus est sicut ignis ardens flammígerans in óssibus meis. Est enim ignis Dómini, de quo dictum est: Ignis ante eum ardébit.

℟. Obsecro ítaque, fílii, oratiónes fíeri, postulatiónes, et gratiárum actiónes pro ómnibus: * Et dilígite decórem domus Dei, allelúja. ℣. Manéte in vocatióne, atténdite lectióni, exhortatióni, et doctrínæ; conversatiónem inter gentes habéte bonam. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

Sint autem lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes, et ídeo quia nox est dies hujus vitæ, lucérna est necessária. Hunc ignem in se étiam et Amaon, et Cléophas a Dómino missum esse testántur, dicéntes: Nonne cor nostrum ardens erat in via, cum aperíret nobis Scriptúras? Evidénter ítaque docuérunt, qualis istíus ignis sit operátio, qui secréta cordis illúminat. Et ídeo fortásse Dóminus in igne ventúrus est, ut resurrectiónis témpore vítia univérsa consúmat, suíque conspéctu desidéria cómpleat singulórum, meritorúmque, et mysteriórum lumen accéndat.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

et per Horas.

Ant. 1. De excélso * misit ignem in óssibus meis, et erudívit me, allelúja.

Ps. Dóminus regnávit. cum reliquis.

2. Concáluit cor meum * intra me, et in meditatióne mea exardéscet ignis, allel.

3. Cor meum, * et caro mea exsultavérunt in Deum vivum, allelúja.

4. Factus est * in corde meo quasi ignis exæstuans, et deféci ferre non sústinens, allelúja.

5. Defécit caro mea, * et cor meum, Deus cordis mei, et pars mea Deus in ætérnum, allelúja.

Digitized by Google

Capitulum. Rom. 5. c.

Cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris per inhabitántem Spíritum ejus in nobis.

Hymnus.

Cœlórum Dómino dum sacra múnera
Libábat Nérius, sæpius ád-volans
Tellúrem rápido córpore déserit
Christo fiat ut óbvius.

Illi non rútilans púrpura príncipum
Sacrórum tégumen, non rubra pílei
Majéstas plácuit, cui placet única
Vestis cándida vírginum.

Ægrótus Maríæ dans pia bráchia
Collo Virgíneo, fertur in áëra
Intro ceu cúperet posse cubículum
Duci matris in árduum.

Corpus deséruit, cum Deus hóstiæ
Fertur sub níveæ tégmine cónditus,
Prudens in pátriam pérgere spléndido
Nolens absque viático.

Almæ sit Tríadi glória pérpetim,
Quam cœlum, bárathrum, térraque súscipit:
Quæ nobis Nérii det prece júgia
Dulcis gaúdia pátriæ. Amẽ.

℣. Cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris, allelúja.
℟. Per Spíritum sanctum, qui datus est nobis, allel.

Ad Bened. Ant. Hæc est cáritas Dei, ut mandáta ejus custodiámus, et mandáta ejus grávia non sunt allelúja.

Oratio.

Deus, qui beátum Philíppum Confessórem tuum, sanctórum tuórum glória sublimásti: concéde propítius; ut cujus solemnitáte lætámur, ejus virtútum proficiámus exémplo. Per Dóminum nostrum.

Ad Tertiam.

Capit. Cáritas Dei. supra.

℟. br. Nunc manent fides, spes, cáritas; tria hæc. * Allelúja, allelúja. ℣. Major autem horum est cáritas. Allelúja. Glória Patri. Nunc.

℣. Sectámini caritátem, allelúja. ℟. Æmulámini spirituália, allelúja.

Digitized by Google

Ad Sextam.

Capitulum. 1. Joann. 3.

Qui víderit fratrem suum necessitátem habére, et claúserit víscera sua ab eo, quómodo cáritas Dei manet in eo?

℟. br. **Filíoli mei, non diligámus verbo, neque lingua. * Allelúja, allelúja. ℣. Sed ópere, et veritáte. Allelúja. Glória Patri. Filíoli.**

℣. **In hoc cognóscimus, allelúja. ℟. Quóniam ex veritáte sumus, allelúja.**

Ad Nonam.

Capitulum. 1. Cor. 13.

Cáritas pátiens est, benígna est, non æmulátur, non agit pérperam, non inflátur, non est ambitiósa, non quærit quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi.

℟. br. **In hoc scimus, quóniam cognóvimus eum, si mandáta ejus observémus. * Allelúja, allelúja. ℣. Qui dicit se nosse eum et mandáta ejus non custódit, mendax est. Allelúja. Glória Patri. In hoc.**

℣. **Qui autem servat verbum ejus, allelúja. ℟. Vere in hoc cáritas Dei perfécta est, allelúja.**

In II. Vesperis.

Omnia ut in I. Vesperis, præter sequentia.

℣. **Meménto congregatiónis tuæ, allelúja. ℟. Quam possedísti ab inítio, allelúja.**

Ad Magnif. Ant. **Veníte Fílii, audíte me, timórem Dómini docébo vos, allel.**

Die 29. Maji.

S. Ubaldi Episc. Conf. Semiduplex.

Omnia ut in Brev. Romano die 16. Maji.

Die 30. Maji.

S. Ferdinandi Reg. Conf. Duplex.

Omnia ut in Propr. Hispan. eadem die.

Die 2. Junii.

B. Mariæ Annæ de Paredes Virg. Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis eadem die.

Digitized by Google

ADPROBATIO.

Revisione rite peracta cum originalibus omnia concordare reperta sunt. In fidem etc.

Ex Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis
hac die 19. Augusti 1881.

Pro **R. P. D. Placido Ralli** Secretario
Joannes Ponzi Substitutus.

Imprimatur.

Ratisbonæ die 2. Septembris 1889.

G. Erlenborn, Vic. in Spirit. Gen.

Digitized by Google

Digitized by Google

OFFICIA PROPRIA

ARCHIDIŒCESIS

SANCTÆ FIDEI BOGOTENSIS

A SEDE APOSTOLICA

CONCESSA.

PARS ÆSTIVA.

RATISBONÆ, NEO EBORACI & CINCINNATII.
SUMPTIBUS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,
S. SEDIS APOST. ET S. RIT. CONGR. TYPOGR.
MDCCCLXXXIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

KALENDARIUM PERPETUUM

AD USUM CLERI

ARCHIDIŒCESIS SANCTÆ FIDEI IN NEOGRANATENSI.

Majus.

13. S. Petri Regalati Conf. *semidupl.* pag. 7*
14. Ss. Cleti et Marcellini Pont. Mm. (D. a. ex 26. April.) *semidupl.* Comm. S. Bonifacii Mart. 7*
15. S. Isidori Conf. *duplex.* 8*
16. S. Joannis Nepomuceni Mart. *duplex.* 8*
17. S. Paschalis Baylon Conf. *duplex.*
18. S. Venantii Mart. *duplex.*
19. Commemoratio S. Joseph Conf. Sponsi B. M. V. *duplex.* Comm. S. Pudentianæ Virg. 8*
20. S. Bernardini Senensis Conf. *semidupl.*
21. Ss. Torquati et Soc. Ep. Mm. (D. a. ex 15. huj.) *dupl.* 15*
22. S. Petri Cœlestini Pap. Conf. (D. a. ex 19. huj.) *dupl.* 17*
23. S. Dominici Calceaten. Conf. (D. a. ex 12. huj.) *semid.* 17*
24. B. M. V. Auxilium Christianorum. *dupl. maj.* 17*
25. S. Gregorii VII. Pap. Conf. *duplex.* Commem. S. Urbani Papæ Mart.
26. S. Philippi Nerii Conf. *duplex.* Commem. S. Eleutherii Papæ Mart. 17*
27. S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virg. *semidupl.* Comm. S. Joannis Papæ Mart.
28. S. Augustini Episc. Conf. *dupl.*
29. S. Ubaldi Episc. Conf. (D. a. ex 16. huj.) *semidupl.* 24*
30. S. Ferdinandi Reg. Conf. *dupl.* Com. S. Felicis I. P. M. 25*
31. S. Angelæ Merici Virg. *dupl.* Comm. S. Petronillæ Virg. *Feria VI. post Oct. Corporis Christi.* Ss. Cordis Jesu. *dupl. 1. class.* 25*

Junius.

1.
2. B. Mariæ Annæ de Paredes Virg. *dupl.* Comm. Ss. Marcellini et Soc. Mm. 25*
3.
4. S. Francisci Caracciolo. *dupl.*
5. S. Bonifacii Episc. Mart. *dupl.*
6. S. Norberti Episc. Conf. *dupl.*
7.
8.
9. Ss. Primi et Soc. Mm.

Digitized by Google

10. S. Margaritæ Regin. Scotor. Viduæ. *semidupl.*
11. S. Barnabæ Apost. *dupl. maj.*
12. S. Joannis a S. Facundo Conf. *dupl.* Comm. S. Basilidis et Socior. Mm.
13. S. Antonii de Padua Conf. *dupl.*
14. S. Basilii Magni Episc. Conf. et Doct. *dupl.*
15. Ss. Viti et Soc. Mm.
16. B. M. V. de Succursu *(In Cathedrali). duplex 2. class. (In Diœcesi) dupl. maj.* pag. 25*
17. S. Joannis Francisci Regis Conf. *semidupl.* 28*
18. Ss. Cyriaci et Paulæ Mm. *duplex.* Commem. Ss. Marci et Socior. Mm. 28*
19. Comm. S. Joseph Conf. Sponsi B. M. V. *dupl.* Comm. Ss. Gervasii et Socior. Mm. 28*
20. S. Julianæ de Falconeriis Virg. (D. a. ex heri) *duplex.* Comm. S. Silverii Papæ Mart. 28*
21. S. Aloysii Gonzagæ Conf. *dupl.*
22. S. Paulini Episc. Conf.
23. Vigilia.
24. Nativitatis S. Joannis Baptistæ. *dupl. 1. class. cum Oct.*
25. S. Gulielmi Abb. *dupl.* Comm. Oct.
26. Ss. Joannis et Pauli Mm. *dupl.* Comm. Oct.
27. De Octava. *semidupl.*
28. S. Leonis II. Pap. Conf. *semidupl.* Comm. Oct. et Vigiliæ.
29. Ss. Petri et Pauli Apostolor. *dupl. 1. class. cum Oct.*
30. Commem. S. Pauli Apost. *dupl.* Commem. S. Petri Apost. et Oct. S. Joannis.

Julius.

1. Dies Octava S. Joannis Baptistæ. *dupl.* Commem. Oct. Ss. Petri et Pauli.
2. Visitationis B. M. V. *dupl. 2. class.* Comm. Ss. Processi et Socior. Mm.
3. De Octava. *semidupl.*
4. De Octava. *semidupl.*
5. S. Michaëlis de Sanctis Conf. *dupl.* Comm. Oct. 28*
6. Dies Octava Ss. Petri et Pauli Apostolor. *dupl.*
7. S. Firmini Episc. Mart. *dupl.* 28*
8. S. Elisabeth Regin. Portugal. Vid. *dupl.* 28*
9. B. M. V. de Chiquinquira. *dupl. maj.* 28*
10. Septem Fratrum Mm. ac Rufinæ et Secundæ Virg. Mm. *semiduplex.*
11. Ss. Cyrilli et Methodii Episc. Conf. (D. a. ex 5. huj.) *dupl.* Comm. Oct. S. Pii I. Papæ et Mart. 35*
12. S. Joannis Gualberti Abb. *dupl.* Commem. Ss. Naboris et Socior. Mm.

Digitized by Google

13. S. Anacleti Pap. Mart. *semidupl.*
14. S. Bonaventuræ Episc. Conf. et Doct. *dupl.*
15. S. Henrici Imperat. Conf. *semidupl.*
16. B. M. V. de Monte Carmelo. *dupl. maj.*
17. S. Alexii Conf. *semidupl.*
18. S. Camilli de Lellis Conf. *dupl.* Comm. Ss. Symphorosæ et Filiorum Martyrum.
19. Commem. S. Joseph Conf. Sponsi B. M. V. *dupl.* pag. 35*
20. S. Liberatæ Virg. Mart. *dupl. maj.* Comm. S. Margaritæ Virg. Mart. 35*
21. S. Vincentii a Paulo Conf. (D. a. ex 19. hujus) *duplex.* Comm. S. Praxedis Virg. 38*
22. S. Mariæ Magdalenæ Pœnit. *dupl.*
23. S. Apollinaris Episc. Mart. *duplex.* Commem. S. Liborii Episc. Conf.
24. Ss. Justæ et Rufinæ Virg. Mm. (D. a. ex 19. huj.) *dupl.* Comm. Vigiliæ ac S. Christinæ Virg. Mart. 38*
25. S. Jacobi Apost. *dupl. 2. class.* Comm. S. Christophori M.
26. S. Annæ Matris B. M. V. *dupl. 2. class.*
27. S. Hieronymi Æmiliani Conf. (D. a. ex 20. hujus) *dupl.* Comm. S. Pantaleonis Mart. 40*
28. Ss. Nazarii et Soc. Mm. ac Innocentii I. Pap. Conf. *semid.*
29. S. Marthæ Virg. *semid.* Com. S. Felicis II. Pap. et Soc. Mm.
30. Ss. Abdon et Soc. Mm.
31. S. Ignatii Conf. *dupl.*

Dominica I. Julii. Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. Chr. *dupl. 2. class.* Comm. Dominicæ.

Dominica II. (In Civitate) Dedicatio Eccles. Cathedralis. *dupl. 1. class. cum Oct.* Comm. Dominicæ. *(In Diœcesi)* Dedic. Eccles. Cathedr. *dupl. 1. class.* Comm. Dom. 40*

Dominica III. (In Civitate) Dies Octava Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis. *dupl.* Comm. Dominicæ. 40*

Augustus.

1. S. Petri ad vincula. *dupl. maj.* Comm. S. Pauli Apost. ac Ss. Machabæorum Mm.
2. S. Alphonsi de Ligorio Episc. Conf. et Doct. *duplex.* Comm. S. Stephani Pap. Mart.
3. Inventio Corporis S. Stephani Protomart. *semidupl.*
4. S. Dominici Conf. *dupl.*
5. Dedicatio S. Mariæ ad Nives. *dupl. maj.*
6. Transfiguratio D. N. J. C. *dupl. 1. class. cum Oct.* 41*
7. S. Cajetani Conf. *dupl.* Comm. Oct. ac S. Donati Ep. Mart.
8. Ss. Cyriaci et Socior. Mm. *semidupl.* Comm. Oct.
9. Ss. Justi et Pastoris Mm. (D. a. ex 6. hujus) *duplex.* Comm. Octavæ, Vigiliæ et S. Romani Mart. 41*

Digitized by Google

10. S. Laurentii Mart. *dupl. 2. class. cum Oct.*
11. De Octava Transfigurationis D. N. J. C. *semid.* Comm. Oct. S. Laurentii, ac Ss. Tiburtii et Soc. Mm. pag. 43*
12. S. Claræ Virg. *dupl.* Comm. Octavarum.
13. Dies Octava Transfigurationis D. N. J. C. *dupl.* Comm. Oct. S. Laurentii ac Ss. Hippolyti et Soc. Mm. 46*
14. De Octava. *semidupl.* Comm. Vigiliæ ac S. Eusebii Conf.
15. Assumptio B. M. V. *dupl. 1. class. cum Oct.*
16. *(In Civitate)* S. Rochi Conf. Patron. min. principal. *dupl. maj.* Comm. Octavarum. 48*
(In Diœcesi) S. Rochi Conf. *dupl.* Comm. Octavarum.
17. Dies Octava S. Laurentii Mart. *dupl.* Commem. Octavæ Assumptionis.
18. S. Hyacinthi Conf. (D. a. ex 16. huj.) *dupl.* Comm. Oct. et S. Agapiti Mart. 48*
19. Commem. S. Joseph Conf. Sponsi B. M. V. *dupl.* Comm. Octavæ. 48*
20. S. Bernardi Abb. Conf. et Doct. *dupl.* Comm. Octavæ.
21. S. Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal. Vid. *duplex.* Comm. Octavæ.
22. Dies Octava Assumptionis B. M. V. *duplex.* Commem. Ss. Timothei et Socior. Mm.
23. S. Philippi Benitii Conf. *dupl.* Comm. Vigiliæ.
24. S. Bartholomæi Apost. *dupl. 2. class.*
25. S. Ludovici Reg. Conf. *semidupl.*
26. S. Zephyrini Pap. Mart.
27. S. Josephi Calasanctii Conf. *dupl.*
28. S. Augustini Episc. Conf. et Doct. *duplex.* Commemor. S. Hermetis Mart.
29. Decollatio S. Joannis Baptistæ. *dupl. maj.* Commemor. S. Sabinæ Mart.
30. S. Rosæ Limanæ Virg. Patronæ Principal. Americæ, *dupl. 1. class. cum Oct.* 48*
31. S. Raymundi Nonnati Conf. *dupl.* Comm. Octavæ.
Dominica infra Oct. Assumpt. S. Joachim Conf. Patris B. M. V. *dupl. 2. class.* Comm. Domin. tant.
Dominica post Oct. Assumpt. Purissimi Cordis B. M. V. *dupl. maj.* Comm. Dominicæ. 57*

September.

1. De Octava S. Rosæ Virg. *semidupl.* Comm. S. Ægidii Abbatis et Ss. Duodecim Fratrum Martyrum. 57*
2. S. Antonini Mart. *dupl.* Comm. Octavæ. 58*
3. S. Stephani Reg. Conf. (D. a. ex heri) *semidupl.* Comm. Octavæ. 58*

Digitized by Google

OFFICIA PROPRIA

ARCHIDIŒCESIS

SANCTÆ FIDEI BOGOTENSIS.

PARS ÆSTIVA.

Die 13. Maji.

Sancti Petri Regalati
Confessoris.

Semiduplex, sed ad modum Simplicis recolendum.

Omnia ut in Propr. Hispan. eadem die.

Die 14. Maji.

Ss. Cleti et Marcellini
Pont. et Mart.

Semiduplex, sed ad modum Simplicis recolendum.

In I. Vesperis.

Ant. Istórum est enim. ℣. Lætámini in Dómino.

Oratio.

Beatórum Mártyrum paritérque Pontíficum Cleti et Marcellíni nos, Dómine, fóveat pretiósa conféssio: et pia júgiter intercéssio tueátur. Per Dóminum.

Ad Laudes.

Ant. Vestri capílli cápitis. ℣. Exsultábunt.

In II. Vesperis.

Ant. Gaudent in cœlis. ℣. Exsultábunt.

Digitized by Google

Die 15. Maji.

S. Isidori Confessoris.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis Breviarii Romani eadem die.

Die 16. Maji.

S. Joannis Nepomuceni

Martyris.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis Breviarii Romani eadem die 2. loco.

Die 19. Maji.

Commemoratio

S. Joseph Confessoris,

Sponsi B. M. V.

Duplex.

In I. Vesperis.

Antiph. 1.

Jacob autem génuit Joseph, virum Maríæ, de qua natus est Jesus, qui vocátur Christus.

Psalmi ut in I. Vesperis de Comm. Apost.

2. Missus est Angelus Gábriel a Deo ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María.

3. Cum esset desponsáta Mater Jesu María Joseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu sancto.

4. Joseph, vir ejus, cum esset justus, et nollet eam tradúcere, vóluit occúlte dimíttere eam.

5. Angelus Dómini appáruit Joseph, dicens: Joseph, fili David, noli timére accípere Maríam, cónjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spíritu sancto est: páriet autem fílium, et vocábis nomen ejus Jesum.

Capitulum. Prov. 28. et 27.

Vir fidélis multum laudábitur; et qui custos est Dómini sui, glorificábitur.

Hymnus.

Te, Joseph, célebrent ágmina cœlitum,
Te cuncti résonent christíadum chori,
Qui clarus méritis, junctus es ínclytæ
Casto fœdere Vírgini.

Almo cum túmidam gérmine cónjugem
Admírans, dúbio tángeris ánxius,
Afflátu súperi Fláminis Angelus
Concéptum púerum docet.

Digitized by Google

Tu natum Dóminum stringis, ad éxteras
Ægýpti prófugum tu séqueris plagas;
Amíssum Sólymis quæris, et ínvenis,
Miscens gaúdia flétibus.

Post mortem réliquos mors pia cónsecrat,
Palmámque eméritos glória súscipit:
Tu vivens, súperis par, frúeris Deo,
Mira sorte beátior.

Nobis, summa Trias, parce precántibus:
Da Joseph méritis sídera scándere:
Ut tandem líceat nos tibi pérpetim
Gratum prómere cánticum.
Amen.

℣. Constítuit eum dóminum domus suæ. ℟. Et príncipem omnis possessiónis suæ.

Ad Magnif. Ant. Exsúrgens Joseph a somno, fecit sicut præcépit ei Angelus Dómini, et accépit cónjugem suam.

Oratio.

Sanctíssimæ Genitrícis tuæ Sponsi, quæsumus Dómine, méritis adjuvémur: ut, quod possibílitas nostra non óbtinet, ejus nobis intercessióne donétur: Qui vivis et regnas.

Et fit commem. Feriæ.

Ad Matutinum.

Invit. Christum Dei Filium, qui putári dignátus est fílius Joseph, * Veníte, adorémus.

Ps. Veníte exsultémus.

Hymnus. Te Joseph. 8*

In I. Nocturno.

Ant. Ascéndit Joseph a Galilæa de civitáte Názareth in Judæam, in civitátem David, quæ vocátur Béthlehem, ut profiterétur cum María.

Psalmi trium Nocturnorum de Comm. Conf. non Pont.

Ant. Venérunt pastóres festinántes: et invenérunt Maríam et Joseph, et infántem pósitum in præsépio.

Ant. Ecce Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe púerum, et matrem ejus, et fuge in Ægýptum.

℣. Constítuit eum dóminum domus suæ. ℣. Et príncipem omnis possessiónis suæ.

Digitized by Google

Lectiones de Scriptura occurrente. In Feria IV. Temp. Lect. Beátus vir. de Comm. Conf. non. Pont. 2. loco.

℟. i. Fuit Dóminus cum Joseph, et dedit ei grátiam in conspéctu príncipis cárceris: * Qui trádidit in manu illíus univérsos vinctos. ℣. Quidquid fiébat, sub ipso erat: Dóminus enim erat cum illo, et ómnia ópera ejus dirigébat. Qui.

℟. ii. Esuriénte terra Ægýpti, clamávit pópulus ad regem aliménta petens. Quibus ille respóndit: * Ite ad Joseph, et quidquid vobis díxerit, fácite. ℣. Crescébat quotídie fames in omni terra, aperuítque Joseph univérsa hórrea, et vendébat Ægýptiis. Ite ad Joseph.

℟. iii. Fecit me Dóminus quasi patrem regis, et dóminum univérsæ domus ejus: nolíte pavére: * Pro salúte enim vestra misit me Deus ante vos in Ægýptum. ℣. Veníte ad me, et ego dabo vobis ómnia bona Ægýpti, et comedétis medúllam terræ. Pro salúte. Glória Patri. Pro salúte.

In II. Nocturno.

Ant. Consúrgens Joseph, accépit púerum et matrem ejus nocte, et secéssit in Ægýptum: et erat ibi usque ad óbitum Heródis.

Ant. Defúncto Heróde, Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph in Ægýpto, dicens: Surge, et áccipe púerum et matrem ejus, et vade in terram Israël: defúncti sunt enim qui quærébant ánimam púeri.

Ant. Accépit Joseph púerum et matrem ejus, et venit in terram Israël.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Sermo S. Bernárdi Abbátis. Homilia 2. super Missus.

Lectio iv.

uis, et qualis homo fúerit beátus Joseph, cónjice ex appellatióne, qua, licet dispensatória, méruit honorári ádeo, ut pater Dei et dictus et créditus sit: cónjice et ex próprio vocábulo, quod Augméntum non dúbitas interpretári. Simul et meménto magni illíus quon-

Digitized by Google

dam Patriárchæ vénditi in Ægýpto, et scito ipsíus istum non solum vocábulum fuísse sortítum, sed et castimóniam adéptum, innocéntiam assecútum et grátiam.

℟. Ascéndit Joseph a Galiléa de civitáte Názareth in Judæam, in civitátem David, quæ vocátur Béthlehem: * Eo quod esset de domo et família David. ℣. Ut profiterétur cum María desponsáta sibi uxóre. Eo quod esset.

Lectio v.

Síquidem ille Joseph, fratérna ex invídia vénditus, et ductus in Ægýptum, Christi venditiónem præfigurávit: iste Joseph, Herodiánam invídiam fúgiens, Christum in Ægýptum portávit. Ille dómino suo fidem servans, dóminæ nóluit commiscéri: iste dóminam suam, Dómini sui Matrem, Vírginem agnóscens, et ipse cóntinens, fidéliter custodívit. Illi data est intelligéntia in mystériis somniórum: isti datum est cónscium fíeri atque partícipem cœléstium sacramentórum.

℟. Surge et áccipe púerum et matrem ejus, et fuge in Ægýptum: * Et esto ibi, usque dum dicam tibi. ℣. Ut adimplerétur quod dictum est a Dómino per Prophétam dicéntem: Ex Ægýpto vocávi fílium meum. Et.

Lectio vi.

Ille fruménta servávit non sibi, sed omni pópulo: iste panem vivum e cœlo servándum accépit tam sibi, quam toti mundo. Non est dúbium, quin bonus et fidélis homo fúerit iste Joseph, cui Mater desponsáta est Salvatóris. Fidélis, inquam, servus et prudens, quem constítuit Dóminus suæ Matris solátium, suæ carnis nutrítium, solum dénique in terris magni consílii coadjutórem fidelíssimum.

℟. Cum indúcerent púerum Jesum paréntes ejus, ut fácerent secúndum consuetúdinem legis pro eo: * Accépit eum Símeon in ulnas suas, et benedíxit Deum. ℣. Et erat pater ejus, et mater miréntes super his quæ dicebántur de illo. Accépit. Glória Patri. Accépit.

Digitized by Google

In III. Nocturno.

Ant. Aúdiens Joseph quod Archeláus regnáret in Judæa pro Heróde patre suo, tímuit illo ire.

Ant. Admónitus in somnis Joseph secéssit in partes Galilææ, et véniens habitávit in civitáte quæ vocátur Názareth: ut adimplerétur quod dictum est per Prophétas: Quóniam Nazaræus vocábitur.

Ant. Erat pater Jesu et mater miréntes super his quæ dicebántur de illo; et benedíxit illis Símeon.

℣. Justus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 1. c.

Cum esset desponsáta mater Jesu María Joseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu sancto. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbýteri.

Lib. 1. Comm. in c. 1. Matth.

Quare non de símplici vírgine, sed de desponsáta concípitur? Primum, ut per generatiónem Joseph orígo Maríæ monstrarétur: secúndo, ne lapidarétur a Judæis ut adúltera: tértio, ut in Ægýptum fúgiens habéret soládium. Martyr Ignátius étiam quartam áddidit causam, cur a desponsáta concéptus sit: Ut partus, ínquiens, ejus celarétur diábolo, dum eum putat non de vírgine, sed de uxóre generátum.

℟. Dicit Mater Jesu ad illum: Fili, quid fecísti nobis sic? * Ecce pater tuus, et ego doléntes quærebámus te. ℣. Et ait ad illos: Quid est quod me quærebátis? nesciebátis quia in his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse? Ecce.

Lectio viii.

Antequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu sancto. Non ab álio invénta est, nisi a Joseph, qui pene licéntia maritáli futúræ uxóris ómnia nóverat. Quod autem dícitur: Antequam convenírent, non séquitur ut póstea convénerint: sed Scriptúra, quod factum non sit, osténdit.

℟. Descéndit Jesus cum eis, et venit Názareth: * Et

Digitized by Google

erat súbditus illis. ℣. Proficiébat sapiéntia, et ætáte, et grátia apud Deum et hómines. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

Joseph autem vir ejus, cum esset justus, et nollet eam tradúcere, vóluit occúlte dimíttere eam. Si quis fornicáriæ conjúngitur, unum corpus effícitur: et in lege præcéptum est, non solum reos, sed et cónscios críminum obnóxios esse peccáti: quómodo Joseph, cum crimen celáret uxóris, justus scríbitur? Sed hoc testimónium Maríæ est, quod Joseph sciens illíus castitátem, et admírans quod evénerat, celat siléntio, cujus mystérium nesciébat.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes
et per Horas.

Ant. 1. Ibant paréntes Jesu * per omnes annos in Jerúsalem, in die solémni Paschæ.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Cum redírent, * remánsit puer Jesus in Jerúsalem et non cognovérunt paréntes ejus.

3. Non inveniéntes * Jesum, regréssi sunt in Jerúsalem, requiréntes eum; et post tríduum invenérunt illum in templo, sedéntem in médio doctórum, audiéntem, et interrogántem eos.

4. Dixit mater ejus * ad illum: Fili, quid fecísti nobis sic? Ecce pater tuus et ego doléntes quærebámus te.

5. Descéndit Jesus * cum eis, et venit Názareth, et erat súbditus illis.

Capitulum. Prov. 28. et 27.

Vir fidélis multum laudábitur; et qui custos est Dómini sui, glorificábitur.

Hymnus.

Cœlitum, Joseph, decus atque nostræ
Certa spes vitæ, columénque mundi,
Quas tibi læti cánimus, benígnus
Súscipe laudes.

Te sator rerum státuit pudícæ
Vírginis sponsum, voluítque Verbi
Te patrem dici, dedit et minístrum
Esse salútis.

Digitized by Google

Tu Redemptórem stábulo jacéntem,
Quem chorus vatum cécinit futúrum,
Aspicis gaudens, humilísque natum
Numen adóras.

Rex Deus regum, Domínator orbis,
Cujus ad nutum tremit inferórum
Turba, cui pronus famulátur æther,
Se tibi subdit.

Laus sit excélsæ Tríadi perénnis,
Quæ tibi præbens súperos honóres,
Det tuis nobis méritis beátæ
Gaúdia vitæ. Amen.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Ad Bened. Ant. Ipse Jesus erat incípiens quasi annórum trigínta, ut putabátur fílius Joseph.

Oratio.

Sanctíssimæ Genitrícis tuæ Sponsi, quæsumus Dómine, méritis adjuvémur: ut, quod possibílitas nostra non óbtinet, ejus nobis intercessióne donétur: Qui vivis et regnas.

Ad Tertiam.

Capit. Vir fidélis. ut supra.

℟. br. Constítuit eum * Dóminum domus suæ. Constítuit. ℣. Et príncipem omnis possessiónis suæ. Dóminum. Glória. Constítuit. ℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Ad Sextam.

Capitulum. Eccli. 45.

Diléctus Deo et homínibus, cujus memória in benedictióne est. In fide et lenitáte ipsíus sanctum fecit illum, et elégit eum ex omni carne.

℟. br. Magna est glória ejus * In salutári tuo. Magna. ℣. Glóriam et magnum decórem impónes super eum. In. Glória. Magna. ℣. Justus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Ad Nonam.

Capitulum. Sap. 10.

Prófugum justum dedúxit Sapiéntia per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus.

Digitized by Google

℟. br. Justus germinábit * Sicut lílium. Justus. ℣. Et florébit in ætérnum ante Dóminum. Sicut. Glória Patri. Justus.

℣. Plantátus in domo Dómini. ℟. In átriis domus Dei nostri.

In II. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud., Ps. et Hymn. ut in I. Vesp.

℣. Glória et divítiæ in domo ejus. ℟. Et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Ad Magnif. Ant. Ecce fidélis servus, et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam.

Die 21. Maji.

Ss. Torquati et Socior.

Episc. et Mart.

Duplex.

Omnia de Comm. plurim. Mart., præter sequentia.

Oratio.

Deus qui nos post beatíssimum Jacóbum Apóstolum per beátos Mártyres tuos atque Pontífices Torquátum, Ctesiphóntem, Secúndum, Indalétium, Cœcílium, Hesýchium et Euphrásium ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti: concéde propítius; ut quos festívo venerámur obséquio eórum intercedéntibus méritis, ætérna gaúdia consequámur. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrènte.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Quo témpore primam in christiános persecutiónem Nero immaníssimus imperátor excitávit, beatíssimi Apóstoli Petrus et Paulus Torquátum, Ctesiphóntem, Secúndum, Indalétium, Cæcílium, Hesýchium et Euphrásium, beáti Jacóbi Apóstoli discípulos, epíscopos Romæ ordinárunt, et ad prædicándum Christi evangélium in Hispániam misérunt. Cum autem ad eam provínciam perveníssent, prope Accitánam urbem, in víridi campo, ut longitúdine itíneris lassáti aliquántulum quiéscerent, constitérunt. Cumque ad civitátem victus eméndi causa áliquos misíssent, pagáni, qui tunc forte deórum suórum festa debacchántes peragébant, visis divérsi hábitus, ac religiónis peregrínis homínibus, in eos furéntes prosí-

Digitized by Google

liunt: et ad sanctos perveniéntes, omnes páriter in fugam actos, usque ad flumen prosequúntur.

℟. Sancti tui.

Lectio v.

Sed ut viri Dei pontem pertransiérunt, pons, qui miræ magnitúdinis et firmíssimus erat, cóncidit, et gentílium multitúdinem, sanctos persequéntem, páriter oppréssit ac demérsit in aquas. Quo miráculo áccolæ térriti, eos póstea revocáre, et in honóre habére cœpérunt. In primis Lupária quædam præclára múlier benígne illos suscépit, atque ab his fidem edócta, in oratório, quod ipsa constrúxerat, baptizáta est. Cujus exémplo quam plúrimi in Christum credéntes, relíctis idólis, baptísmi sacraméntum suscepérunt.

℟. Vérbera carnífícum.

Lectio vi.

Hujus ígitur urbis, quæ tunc prima Christi Dómini fidem in Hispánia recépit, beátus Torquátus epíscopus designátus est: ac céteris ad álias Hispániæ terras abeúntibus, ipse Acci remánsit, ubi multis pro Christo perfúnctus labóribus, demum martyr occúbuit. Ejus corpus in eádem urbe (quæ nunc Guádix appellátur) primo sepúltum est. Juxta cujus sepúlchrum olim arbor olívæ erat, quæ in natáli mártyris florébat, simúlque fructus úberes emittébat: e quibus óleum expréssum, ad vários morbos curándos adhibebátur. Inde in Gallaéciam translátum, in quodam cœnóbio órdinis sancti Benedícti, condígno honóre asservátur. Sodáles sancti Torquáti, et ipsi in váriis úrbibus epísco pi constitúti Christi evangélium prædicárunt, et in eis quievérunt: Ctésiphon Vérgii, Secúndus Abulæ, Indalétius Urci, Cæcílius Illíberi, Hesýchius Cartéjæ, Euphrásius Ilitúrgi; quorum córpora ad álias póstea Hispániæ urbes transláta sunt.

℟. Tamquam aurum.

In III. Nocturno Homilia in Evangel. Cum audiéritis. de Comm. plurim. Mart. 1. loco.

Digitized by Google

Die 22. Maji.

S. Petri Cœlestini Papæ et Confessoris.

Duplex. **(m. t. v.)**

Omnia ut in Brev. Romano die 19. Maji.

Die 23. Maji.

S. Dominici Calceat. Confessoris.

Semiduplex.

Omnia ut in Propr. Hispan. die 12. hujus.

Die 24. Maji.

B. Mariæ V. Auxilium Christianorum.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis Breviarii Romani eadem die.

Die 26. Maji.

S. Philippi Nerii Conf.

Duplex.

In I. Vesperis.

Ant. de Laud. 23* Ps. ut in I. Vesp. de Comm. Apost.

Capitulum. Rom. 5. c.

[redacted]áritas Dei diffúsa est in córdibus nostris per inhabitántem Spíritum ejus in nobis.

Hymnus.

Pangámus Nério débita cántica,
Quem supra nítidi sídera vérticis
Virtus, et méritum súst ulit ínclytum
Captúrum pia gaúdia.
Hic uri súbitis dum videt ígnibus
Ædes, quas hábitat, flétibus ábstinet,
Flammas cum pénitus quíverit hórridas
Paucis víncere lácrimis.
Oblátum pátrui munus, et aúreos
Nummos magnánimus calcat, et ímpiger
Romam digréditur, quam magis ómnibus
Illústrem facit úrbibus.
Noctes sub spécubus, córpora Mártyrum
Quas implent, vígilat sédulus íntegras;
Ex ipsis sátagens díscere mórtuis
Normam, qua bene víveret.
Almæ sit Tríadi glória pérpetim,
Quam cœlum, bárathrum térraque súscipit:
Quæ nobis Nérii det prece júgia
Dulcis gaúdia pátriæ.
Amen.

℣. Deus virtútum réspice de cœlo, et vísita víneam istam. ℟. Et pérfice eam, quam plantávit déxtera tua.

Digitized by Google

Ad Magnif. Ant. Domus mea, domus oratiónis vocábitur: dicit Dóminus.

Oratio.

Deus, qui beátum Philíppum Confessórem tuum Sanctórum tuórum glória sublimásti: concéde propítius; ut cujus solemnitáte lætámur, ejus virtútum proficiámus exémplo. Per Dóminum.

Ad Matutinum.

Invit. Veníte, adorémus Regem regum, * Qui in domum oratiónis nos congregávit.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus.

Noctu dum Nérius fércula paúperi
Gestans præcípitat, pénniger Angelus
Tecto significat, quáliter éxcidat
Numquam férvida cáritas.

Oránitis pénetrans cordis in íntimum
Laxávit spátium Spíritus ímpete
De cœlo véniens, esset ut hóspiti
Imménso locus ámplior.

Ponti de médio gúrgite naúfragum
Tractúrus vétulum, sub pede vórtices
Durávit flúidos, et prope túrbidum
Convértit mare in áridam.

Tractans exánimis membra puélluli
In lucem révocat, mox jubet émori,
Donátus Dómini múnere clávibus
Vitæ, mortis et ínferi.

Almæ sit Tríadi glória pérpetim,
Quam cœlum, bárathrum térraque súscipit;
Quæ nobis Nérii det prece júgia
Dulcis gaúdia pátriæ.
Amen.

In I. Nocturno.

Ant. Quid mihi est in cœlo, et a te quid vólui super terram Deus meus.

Psalmi trium Nocturnorum ut in Comm. Conf. non Pont.

Ant. Ut fácerem voluntátem tuam, Deus meus, vólui; et legem tuam in médio cordis mei.

Ant. Mandáta tua, Dómine, desiderábam: medi-

Digitized by Google

tátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

℣. Tibi dixit cor meum, exquisívit te fácies mea, ℟. Fáciem tuam, Dómine, requíram.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. Cap. 51.

Laudábo nomen tuum assídue et collaudábo illud in confessióne, et exaudíta est orátio mea. Et liberásti me de perditióne, et eripuísti me de témpore iníquo. Proptérea confitébor, et laudem dicam tibi, et benedícam nómini Dómini. Cum adhuc júnior essem, priúsquam oberrárem, quæsívi sapiéntiam palam in oratióne mea. Ante templum postulábam pro illa, et usque in novíssimis inquíram eam. Et efflóruit tamquam præcox uva, lætátum est cor meum in ea. Ambulávit pes meus iter rectum, a juventúte mea investigábam eam. Inclinávi módice aurem meam et excépi illam. Multam invéni in meípso sapiéntiam, et multum proféci in ea.

℟. Replétus Spíritu sancto beátus Philíppus ascensiónes suas dispósuit in corde suo: * Et totis viscéribus diligébat Deum. ℣. Dedit ei Spíritus Dómini sapiéntiam, et prudéntiam multam nimis, et latitúdinem cordis. Et.

Lectio ii.

Danti mihi sapiéntiam dabo glóriam. Consiliátus sum enim, ut fácerem illam: zelátus sum bonum, et non confúndar. Colluctáta est ánima mea in illa, et in faciéndo eam confirmátus sum. Manus meas exténdi in altum, et insipiéntiam ejus luxi. Animam meam diréxi ad illam, et in agnitióne invéni eam. Possédi cum ipsa cor ab inítio: propter hoc non derelínquar. Venter meus conturbátus est quæréndo illam: proptérea bonam possidébo possessiónem. Dedit mihi Dóminus linguam mercédem meam et in ipsa laudábo eum.

℟. Spíritus sanctus a throno procédens, illíus cor penetrávit, * Novo sanctificatiónis signo. ℣. Ad-

Digitized by Google

vénit ignis divínus, confríngens, urens, et illúminans; et tríbuit ei charísmatum dona. Novo.

Lectio iii.

Appropiáte ad me indócti, et congregáte vos in domum disciplínæ. Quid adhuc retardátis? et quid dícitis in his? Animæ vestræ sítiunt veheménter. Apérui os meum, et locútus sum: Comparáte vobis sine argénto, et collum vestrum subjícite jugo, et suscípiat ánima vestra disciplínam: in próximo est enim invenire eam. Vidéte óculis vestris, quia módicum laborávi, et invéni mihi multam réquiem. Assúmite disciplínam in multo número argénti, et copiósum aurum possidéte in ea. Lætétur ánima vestra in misericórdia ejus, et non confundémini in laude ipsíus. Operámini opus vestrum ante tempus, et dabit vobis mercédem vestram in témpore suo.

℟. Amóre vulnerátus languébat júgiter, dicens: * Quis me separábit a caritáte? ℣. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita póterit me separáre a caritáte Dei, quóniam ipse in me manet et ego in eo. Quis. Glória Patri. Quis.

In II. Nocturno.

Ant. Quam dilécta tabernácula tua, Dómine! concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini.

Ant. Quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum, ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Ant. Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum, quando véniam, et apparébo ante fáciem Dei?

℣. Unam pétii a Dómino, hanc requíram. ℟. Ut inhábitem in domo Dómini.

Lectiones ut in Breviario in eodem Festo.

℟. iv. Oculis et mánibus in cœlum semper inténtus * Invíctum ab oratióne spíritum non relaxábat. ℣. Clamans clamábat ad Dóminum: quando véniam, et apparébo ante fáciem Dei? Invíctum.

℟. v. Obitum suum longe ante præscívit dixítque frátribus: * Cúpio dissólvi, et esse cum Christo. ℣. Interióra mea intra me effer-

Digitized by Google

buérunt absque ulla réquie. Cúpio.

℟. vi. Hódie Philíppus migrávit a sæculo, gemma sacerdótum, * Per quem in cœlo vivéntem tanta mirácula corúscant. ℣. O virum ineffábilem, nec labóre victum nec morte vincéndum! Per quem. Glória Patri. Per quem.

In III. Nocturno.

Ant. Congregáte illi sanctos ejus, qui órdinant testaméntum ejus super sacrifícia.

Ant. Benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem; vidébitur Deus deórum in Sion.

Ant. Qui hábitant in domo tua, Dómine, in sæcula sæculórum laudábunt te.

℣. Meménto congregatiónis tuæ. ℟. Quam possedísti ab inítio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 8. in Luc.

Beáti servi illi, quos, cum vénerit Dóminus, invénerit vigilántes. In superióribus vigiláre nos vóluit, per ómnia exspectántes moménta Dómini Salvatóris advéntum; ne, dum áliquis remíttit, et négligit, et de die in diem ópera sua differt, judícii futúri die, vel própria morte prævéntus méritum suæ commendatiónis amíttat. Et illa quidem in omnes præcépti forma generális: (quod si díxerit servus ille in corde suo, moram facit Dóminus meus veníre); verum séries sequéntis exémpli dispensatóribus, hoc est, sacerdótibus vidétur esse propósita, quo sciant sibi gravem in futúrum pœnam esse subeúndam, si sæculáribus intenti delíciis, famíliam Dómini plebémque commíssam sibi gubernáre negléxerint. Ille autem servus, qui cognóvit voluntátem Dómini sui, et non præparávit, et non fecit secúndum voluntátem ejus, vapulábit multis.

Digitized by Google

℟. Domus mea domus oratiónis vocábitur: * In ea omnis, qui petit, áccipit: et qui quærit, ínvenit; et pulsánti aperiétur. ℣. Lætificábo eos in domo oratiónis. In ea.

Lectio viii.

Sed quia exíguus est profféctus, et parva meritórum grátia, supplícii metu ab erróre revocári, majórque prærogatíva caritátis et amóris est; Dóminus ad promeréndam sui grátiam stúdia nostra ácuit, et acquiréndæ cupiditáte divinitátis inflámmat, dicens: Ignem veni míttere in terram; non útique illum ignem consumptórem bonórum, sed bonæ voluntátis auctórem, qui aúrea Domínicæ domus vasa meliórat, fœnum vero consúmit, et stípulam, ac sæculária ómnia mundi voluptáte concréta, perituræque opus carnis exúrit; ille ignis divínus, qui flammigerábat in óssibus Prophetárum, sicut sanctus Jeremías dixit, qui factus est sicut ignis ardens flammígerans in óssibus meis. Est enim ignis Dómini, de quo dictum est: Ignis ante eum ardébit.

℟. Obsecro ítaque, fílii, oratiónes fíeri, postulatiónes, et gratiárum actiónes pro ómnibus: * Et dilígite decórem domus Dei. ℣. Manéte in vocatióne, atténdite lectióni, exhortatióni, et doctrínæ; conversatiónem inter gentes habéte bonam. Et. Glória. Et.

Lectio ix.

Sint autem lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes, et ídeo quia nox est dies hujus vitæ, lucérna est necessária. Hunc ignem in se étiam et Amaon, et Cléophas a Dómino missum esse testántur, dicéntes: Nonne cor nostrum ardens erat in via, cum aperíret nobis Scriptúras? Evidénter ítaque docuérunt, qualis istíus ignis sit operátio, qui secréta cordis illúminat. Et ídeo fortásse Dóminus in igne ventúrus est, ut resurrectiónis témpore vítia univérsa consúmat, suíque conspéctu desidéria cómpleat singulórum, meritorúmque, et mysteriórum lumen accéndat.

Te Deum laudámus.

Digitized by Google

Ad Laudes
et per Horas.

Ant. 1. De excélso * misit ignem in óssibus meis, et erudívit me.

Ps. Dóminus regnávit. cum reliquis.

2. Concáluit cor meum * intra me, et in meditatióne mea exardéscet ignis.

3. Cor meum, * et caro mea exsultavérunt in Deum vivum.

4. Factus est * in corde meo quasi ignis exæstuans, et deféci ferre non sústinens.

5. Defécit caro mea, * et cor meum, Deus cordis mei, et pars mea Deus in ætérnum.

Capitulum. Rom. 5. c.

Cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris per inhabitántem Spíritum ejus in nobis.

Hymnus.

Cœlórum Dómino dum sacra múnera
Libábat Nérius, sæpius ádvolans
Tellúrem rápido córpore déserit
Christo fiat ut óbvius.
Illi non rútilans púrpura príncipum
Sacrórum tégumen, non rubra pílei
Majéstas plácuit, cui placet única
Vestis cándida vírginum.
Ægrótus Maríæ dans pia bráchia
Collo Virgíneo, fertur in áëra
Intro ceu cúperet posse cubículum
Duci matris in árduum.
Corpus deséruit, cum Deus hóstiæ
Fertur sub níveæ tégmine cónditus,
Prudens in pátriam pérgere spléndido
Nolens absque viático.
Almæ sit Tríadi glória pérpetim,
Quam cœlum, bárathrum, térraque súscipit:
Quæ nobis Nérii det prece júgia
Dulcis gaúdia pátriæ.
Amen.

℣. Cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris. ℟. Per Spíritum sanctum, qui datus est nobis.

Ad Bened. Ant. Hæc est cáritas Dei, ut mandáta

Digitized by Google

ejus custodiámus, et mandáta ejus grávia non sunt.

Oratio.

Deus, qui beátum Philíppum Confessórem tuum, sanctórum tuórum glória sublimásti: concéde propítius; ut cujus solemnitáte lætámur, ejus virtútum proficiámus exémplo. Per Dóminum nostrum.

Ad Tertiam.

Capit. Cáritas Dei.

℟. br. Nunc manent fides, spes, cáritas; * Tria hæc. ℣. Major autem horum est cáritas. Tria. Glória Patri. Nunc.

℣. Sectámini caritátem. ℟. Æmulámini spirituália.

Ad Sextam.

Capitulum. 1. Joann. 3.

Qui víderit fratrem suum necessitátem habére, et claúserit víscera sua ab eo, quómodo cáritas Dei manet in eo?

℟. br. Filíoli mei, * Non diligámus verbo, neque lingua. Filíoli. ℣. Sed ópere, et veritáte. Non. Glória Patri. Filíoli.

℣. In hoc cognóscimus. ℟. Quóniam ex veritáte sumus.

Ad Nonam.

Capitulum. 1. Cor. 13.

Cáritas pátiens est, benígna est, non æmulátur, non agit pérperam, non inflátur, non est ambitiósa, non quærit quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi.

℟. br. In hoc scimus, quóniam cognóvimus eum, * Si mandáta ejus observémus. In. ℣. Qui dicit se nosse eum et mandáta ejus non custódit, mendax est. Si. Glória Patri. In hoc.

℣. Qui autem servat verbum ejus. ℟. Vere in hoc cáritas Dei perfécta est.

In II. Vesperis.

Omnia ut in I. Vesperis, præter sequentia.

℣. Meménto congregatiónis tuæ. ℟. Quam possedísti ab inítio.

Ad Magnif. Ant. Veníte Fílii, audíte me, timórem Dómini docébo vos.

Die 29. Maji.

S. Ubaldi Episc. Conf.

Semiduplex.

Omnia ut in Brev. Romano die 16. Maji.

Digitized by Google

Die 30. Maji.

S. Ferdinandi Reg. Conf.

Duplex.

Omnia ut in Propr. Hispan. eadem die.

Et fit commem. S. Felicis I. Papæ Mart. ut in Breviario hac die.

Feria VI.
post Oct. Corporis Christi.

Ss. Cordis Jesu.

Duplex 1. class.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem feria in fine mensis Maji.

Die 2. Junii.

B. Mariæ Annæ de Paredes Virginis.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 16. Junii.

B. M. V. de Succursu.

(In Cathedrali dupl. 2. cl.)

In Archidiœcesi duplex maj.

Omnia ut in festis B. M. V. per annum, præter sequ.

Oratio.

Omnípotens et miséricors Deus, qui ad succurréndum humáno géneri beátam Vírginem Maríam unigéniti Fílii tui Matrem esse voluísti: da nobis, quæsumus, ut ea intercedénte, diabólica vitáre contágia et sincéra tibi mente servíre valeámus. Per eúmdem Dóminum nostrum.

In I. Noct. Lectiones Ego Sapiéntia. ut in festis B. M. V.

In II. Nocturno.

Sermo S. Thomæ Epíscopi. Conc. 1. de Assumpt. Virg.

Lectio iv.

aría est turris fundáta supra firmam petram in móntibus sanctis immóbili fundaménto: síquidem Deus in médio ejus non commovébitur. De hac Vírgine in Cánticis légitur: Sicut turris David quæ ædificáta est cum propugnáculis, mille clýpei pendent ex ea, omnis armatúra fórtium. Vere turris David, illíus, inquam, David, qui supérbum Góliath, quinque lapídibus de torrénte, id est quinque vulnéribus, et crucis báculo gloriántem in Calvériæ monte prostrávit. Facta est hæc turris Ecclésiæ propugnáculum, et peccatórum únicum refúgium, ut ad ipsam confúgiant omnes rei, omnes mœsti, omnes afflícti, et ea protegénte,

Digitized by Google

liberéntur ab hoste. O homo, in quacúmque tribulatióne ad Maríam fuge, sive peccátis afflíctus, sive persecutiónibus attrítus, sive tentatiónibus turbátus, hanc turrim pétito, ad Maríam confúgito. Mille enim clýpei pendent ex ea, et contra omnem æstum tribulántis, et ad omnem fáciem persequéntis dæmonis tutíssimum in ea clýpeum invénies, quo te prótegas.

℟. Sicut cedrus.

Lectio v.

Ibi est enim omnis armatúra fórtium, ibi fides Apostolórum, ibi fortitúdo Mártyrum, ibi púritas vírginum, doctórum sapiéntia, Anachoretárum paupértas, devótio Confessórum; ibi dénique ómnium Sanctórum virtus agglomeráta reperítur. Nihil enim umquam alícui Sanctórum speciáli privilégio concéssum est, quod non a princípio vitæ et cumulátius præfúlgeat in María. Ecce castéllum fortíssimum, ecce turrim inexpugnábilem, quæ numquam diábolo præstitit tribútum ac fidem. Hanc intrávit Jesus, quando Verbum caro factum est, et habitávit in nobis; ídeo inimícos expugnatúrus et regnum suum recuperatúrus, in quo ab ínitio dæmon fúerat intrúsus.

℟. Quæ est ista.

Lectio vi.

Elécta est ut esset Advocáta nostra. Nam licet Advocátum habémus apud Patrem Fílium, ut ait Joánnes; opus étiam fuit habére Matrem Advocátam apud Fílium. Nam peccátis nostris non solum Deus offénditur, cujus præcépta violámus; sed et Fílius Dei. Cujus sánguinem peccándo conculcámus, rursus crucifigéntes Fílium Dei: et ídeo sicut apud Patrem interpéllat Mater, unde Fílius osténdit Patri latus et vúlnera, et Mater osténdit Fílio pectus et úbera: unde facta est idónea advocáta; idónea, quia puríssima, idónea, quia acceptíssima, idónea, quia piíssima: hæc enim ómnia ad Advocátam requirúntur. Eja ergo Advocáta nostra, illos tuos misericórdes óculos ad nos convérte; ad te in nostris necessitátibus accúrrimus,

Digitized by Google

tuum offícium imple, tua ópera exérce.

℟. Ornátam monílibus.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. Cap. 19.

In illo témpore: Stabant juxta Crucem Jesu Mater ejus, et soror Matris ejus María Cléophæ, et María Magdaléne. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 119. in Joannem.

Hæc nimírum est illa hora, de qua Jesus, aquam conversúrus in vinum, díxerat Matri: Quid mihi, et tibi est, múlier? Nondum venit hora mea. Hanc ítaque horam prædíxerat, quæ tunc nondum vénerat, in qua debéret agnóscere moritúrus, de qua fúerat mortáliter natus. Tunc ergo divína factúrus non divinitátis, sed infirmitátis Matrem velut incógnitam repellébat.

℟. Felix namque.

Lectio viii.

Nunc autem humána jam pátiens, ex qua fúerat factus homo, afféctu commendábat humáno; morális ígitur insinuátur locus. Facit quod faciéndum ádmonet, et exémplo suo suos minístros instrúxit, præcéptor bonus, ut a fíliis impendátur cura paréntibus: tamquam lignum illud, ubi fixa erant membra moriéntis étiam cáthedra fúerit Magístri docéntis.

℟. Beátam me.

Lectio ix.

Ex hac sana doctrína dícerat Paulus Apóstolus quod docébat quando dicébat: Si quis autem suis, et máxime domésticis non próvidet, fidem negávit, et est infidéli detérior. Quid autem tam cuíque doméstícum, quam paréntes fíliis, aut paréntibus fílii? Hujus ítaque salubérrimi præcépti ipse Magíster Sanctórum de seípso constituébat exémplum: quando non ut fámulæ Deus, quam creáverat et regébat, sed, ut Matri homo de qua creátus fúerat, et quam relinquébat álterum pro se quodámmodo fílium providébat.

Te Deum laudámus.

Digitized by Google

Die 17. Junii.

S. Joannis Francisci de Regis Confess.

Semiduplex.

Omnia ut in Brev. Romano inter festa pro aliqu. locis die 16. Junii.

Die 18. Junii.

Ss. Cyriaci et Paulæ Martyrum.

Duplex.

Ut in Proprio Hispan. eadem die.

Die 19. Junii.

Commem. **S. Joseph** Conf. Sponsi B. M. V.

Duplex.

Officium fit ut die 19. Maji, pag. 8*

Die 20. Junii.

S. Julianæ de Falcon. Virginis.

Duplex.

Omnia ut in Brev. Romano die 19. Junii.

Die 5. Julii.

S. Michaëlis de Sanctis Confessoris.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 7. Julii.

S. Firmini Episc. Mart.

Duplex.

Omnia ut in Propr. Hispan. eadem die.

Die 8. Julii.

S. Elisabeth Reginæ Portugal. Vid.

Duplex.

Omnia ut in Brev. Romano eadem die.

Die 9. Julii.

B.M.V. de Chiquinquira.

Duplex majus.

In I. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud. 33* Psalmi et Hymni ut in festis B. M. V. per annum.

Hymn. Ave maris stella.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnif. Ant. Glorióssæ Vírginis Maríæ solemnitátem recolámus, quæ et Genitrícis dignitátem obtínuit, et virginálem pudicítiam non amísit.

Oratio.

Bonórum ómnium largítor Deus, qui Genitrícis dilécti fílii tui speciósam imáginem mira apparitióne

Digitized by Google

claréscere voluísti: concéde quæsumus; ut ejúsdem beátæ Maríæ Vírginis intercessióne, ad cœléstem pátriam felíciter perducámur. Per eúmdem Dóminum.

Ad Matutinum.

Invit. Solemnitátem Vírginis Maríæ celebrémus: * Christum ejus fílium adorémus Dóminum.

Ps. Veníte exsultémus.

Hymnus. Quem terra.

Ant., Ps. et rel. in III Noct. ut in festis B. M. V. per añum.

In I. Nocturno.

De libro Apocalýpsis beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio i. Cap. 12.

Signum magnum appáruit in cœlo, múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus, et in cápite ejus coróna stellárum duódecim: et in útero habens clamábat partúriens, et cruciabátur ut páriat. Et visum est áliud signum in cœlo, et ecce draco magnus rufus habens cápita septem et córnua decem, et in capítibus ejus diadémata septem, et cauda ejus trahébat tértiam partem stellárum cœli, et misit eas in terram, et draco stetit ante mulíerem, quæ erat paritúra; ut cum peperísset, fílium ejus devoráret.

℟. Sancta et immaculáta.

Lectio ii.

Et péperit fílium máscu-lum, qui rectúrus erat omnes gentes in virga férrea, et raptus est fílius ejus ad Deum, et ad thronum ejus, et múlier fugit in solitúdinem, ubi habébat locum parátum a Deo, ut ibi pascant eam diébus mille ducéntis sexagínta. Et factum est prælium magnum in cœlo, Míchaël, et Angeli ejus præliabántur cum dracóne, et draco pugnábat et ángeli ejus, et non valuérunt, neque locus invéntus est eórum ámplius in cœlo. Et projéctus est draco ille magnus, serpens antíquus, qui vocátur diábolus, et sátanas, qui sedúcit univérsum orbem, et projéctus est in terram, et ángeli ejus cum illo missi sunt.

℟. Congratulámini mihi.

Lectio iii.

Et audívi vocem magnam in cœlo dicéntem: Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potéstas Christi ejus, quia pro-

Digitized by Google

jéctus est accusátor fratrum nostrórum, qui accusábat illos ante conspéctum Dei nostri die ac nocte. Et ipsi vicérunt eum propter sánguinem Agni et propter verbum testimónii sui, et non dilexérunt ánimas suas usque ad mortem. Proptérea lætámini cœli, et qui habitátis in eis. Væ terræ, et mari, quia descéndit diábolus ad vos habens iram magnam, sciens quod módicum tempus habet. Et postquam vidit draco quod projéctus esset in terram, persecútus est mulíerem, quæ péperit másculum: et datæ sunt mulíeri alæ duæ áquilæ magnæ ut voláret in desértum in locum suum.

℟. Beáta es.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Apud Metaphrast.

Lectio iv.

Dei fílius non dívitem, aut locuplétem áliquam féminam sibi matrem elégit, sed beátam Vírginem illam, cujus ánima virtútibus ornáta erat. Cum enim beáta María supra omnem humánam natúram castitátem serváret, proptérea Christum Dóminum in ventre concépit. Ad hanc ígitur sanctíssimam Vírginem et Dei Matrem accurréntes, ejus patrocínii utilitátem assequámur. Itaque quæcúmque estis vírgines, ad Matrem Dómini confúgite: illa enim pulchérrimam, pretiosíssimam, et incorruptíbilem possessiónem patrocínio suo vobis conservábit.

℟. Sicut cedrus.

Lectio v.

Magnum revéra miráculum, fratres dilectíssimi, fuit beáta semper Virgo María. Quid namque illa majus aut illústrius ullo umquam témpore invéntum est, seu aliquándo inveníri póterit? Hæc sola cœlum ac terram amplitúdine superávit. Quidnam illa sánctius? Non Prophétæ, non Apóstoli, non Mártyres, non Patriárchæ, non Angeli, non Throni, non Dominatiónes, non Séraphim, non Chérubim, non dénique áliud quídpiam inter creátas res, visíbiles aut invisíbiles, majus aut excelléntius inveníri potest. Eadem

Digitized by Google

ancílla Dei est et mater: éadem virgo et génitrix.

℟. Quæ est ista.

Lectio vi.

Sæpíssime Deípara Virgo auxílium suum Christi fidélibus osténdit, et ad rectam vitæ sémitam peccatóres revocávit, ita ut gratiárum mater est salutáta. Ejus éfficax patrocínium América quoque expérta est. Ibi enim in pago quodam vulgo Chiquinquíra sanctæ fídei Archidiœcéseos exstábat ædícula pene díruta, ubi beatíssimæ Maríæ Vírginis imágo, quasi absque ulla veneratióne et obséquio pósita erat, quando sæculo décimo sexto labénte et postrídie ut fertur, diéi Natális Dómini, anni millésimi quingentésimi octogésimi sexti multis signis Dei mater monstrávit velle illa in imágine honorári, et coli, quum et aliquándo fulgóribus irradiáta, et divérsis colóribus conspérsa fúerit visa imágo illa. Ex his venerátio incépit quæ de die in diem semper augétur ob insígnia prodígia et mirácula. Namque sæpíssime in infirmitátibus sanitátem, in angústiis solátium, in tentatiónibus auxílium, in necessitátibus opem obtinuérunt, et quum annuéntibus epíscopis transláta fúerit hæc beátæ vírginis imágo, étiam pestis cessásse fertur. Nil mirum ígitur si piis largitiónibus ædícula pene desérta tractu témporis convérsa sit in sanctuárium, ubi fidéles ad implorándum auxílium cónfluant ex váriis dissitísque regiónibus, quibus permótus summus Ecclésiæ Póntifex Pius octávus ad humíllimas Emeriténsis epíscopi preces anno millésimo octingentésimo vigésimo nono, permísit, ut in honórem sanctíssimæ Genitrícis peculiáris solémnitas celebrarétur cum Offício et Missa própria in Diœcési Emeriténsi. ℟. Ornátam.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 1.

Liber generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Digitized by Google

Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

Serm. in signum magnum.

eheménter quidem nobis, dilectíssimi, vir unus, et múlier una nocuére: sed grátias Deo, per unum nihilóminus virum et mulíerem unam, ómnia restaurántur, nec sine magno fœnore gratiárum. Nec enim sicut delíctum ita et donum, sed excédit damni æstimatiónem benefícii magnitúdo. Sic nimírum prudentíssimus, et clementíssimus Artifex, quod quassátum fúerat non confrégit, sed utílius omníno refécit, ut vidélicet nobis novum formáret Adam ex véteri, Evam transfúnderet in Maríam. Et quidem suffícere póterat Christus, síquidem et nunc omnis sufficiéntia nostra ex eo est, sed nobis bonum non erat esse hóminem solum, cóngruum magis ut adésset nostræ reparatióni sexus utérque, quorum corruptióni neuter defuísset.

℟. Felix namque.

Lectio viii.

Fidélis plane et potens Mediátor Dei et hóminum, Homo Christus Jesus, sed divínam in eo reverénter hómines majestátem. Absórpta vidétur in Deitátem humánitas, non quod mutáta sit substántia, sed affféctio deificáta. Non sola illi cantátur misericórdia, cantátur páriter et judícium: quia etsi dídicit ex iis quæ passus est compassiónem ut miséricors fíeret, habet tamen et judiciáriam potestátem. Dénique Deus noster ignis consúmens est. Quid ni vereátur peccátor accédere, ne quemádmodum fluit cera a fácie ignis, sic péreat ipse a fácie Dei? Jam nec ipsa Múlier ítaque benedícta in muliéribus vidébitur otiósa: inveniétur quidem locus ejus in hac reconciliatióne. Opus est enim Mediatóre ad Mediatórem istum, nec alter nobis utílior quam María. Crudélis nimírum Eva, per quam serpens antíquus pestíferum étiam ipsi viro vírus infúndit: sed fidélis María, quæ salútis antídotum, et viris, et muliéribus propinávit: Illa enim minístra seductiónis, hæc propitia-

Digitized by Google

tiónis; illa suggéssit prævaricatiónem, hæc injécit redemptiónem.

℟. Beátam me dicent.

Lectio ix.

Mérito igitur de Dei aréola flos ille speciósus præ fíliis Paradísi eléctus est, super quem requiéscit spíritus Dómini, et cui te assimilábimus Mater pulchritúdinis? Vere paradísus Dei tu es, quia lignum vitæ mundo protulísti, de quo qui manducáverit vivet in ætérnum. Fons vitæ qui ex altíssimo pródiit, de médio ventris tui exilívit, atque inde in quátuor cápita sese dispérgens ad irrigándam fáciem aréntis mundi emanávit, lætíficans civitátem Dei. Omnis enim qui bíberit ex eo non sítiet in ætérnum, et erit plus quam Paradísus hic de cujus aqua si quis bíberit sítiet íterum. O quanta mundo contulísti, quæ tam salúbris aquædúctus esse meruísti! O Lampas luculentíssima, quantos lætificásti, quanto splendóre Dei illustráta, desiderátum illud lumen quo invénta est drachma décima, sedéntibus in umbra mortis protulísti!

Te Deum laudámus.

Ad Laudes
et per Horas.

Ant. 1. Solémnitas * gloriósæ Vírginis Maríæ, ex sémine Abrahæ, ortæ de tribu Juda clara ex stirpe David.

Psalm. Dóminus regnávit. cum reliquis de Dominica.

2. Solémnitas est hódie * sanctæ Maríæ Vírginis, cujus vita ínclyta cunctas illústrat ecclésias.

3. Regáli ex progénie * María exórta refúlget: cujus précibus nos adjuvári mente et spíritu devotíssime póscimus.

4. Corde et ánimo * Christo canámus glóriam in hac sacra solemnitáte præcélsæ Genitrícis Dei Maríæ.

5. Cum jucunditáte * solemnitátem beátæ Maríæ celebrémus, ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum.

Capitulum. Eccli. 24. b.

Ab initio et ante sæcula creáta sum, et usque ad futúrum sæculum non désinam, et in habitatióne

Digitized by Google

sancta coram ipso minístrávi.

Hymnus. O gloriósa.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Ant. Solemnitátem hodiérnam perpétuæ Vírginis Genitrícis Dei Maríæ solémniter celebrémus, qua celsitúdo throni procéssit, allelúja.

Ad Primam.

In ℟. br. ℣. Qui natus es de María Vírgine.

Ad Tertiam.

Capit. Ab inítio.

℟. br. Spécie tua: * Et pulchritúdine tua. Spécie. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Et. Glória Patri. Spécie.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus non coмovébitur.

Ad Sextam.

Capitulum. Eccli. 24.

Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei hæréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

℟. br. Adjuvábit eam: * Deus vultu suo. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus non commovébitur. Deus. Glória Patri. Adjuvábit.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Ad Nonam.

Capitulum. Eccli. 24.

In platéis sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi, quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

℟. br. Elégit eam Deus, * Et præelégit eam. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et. Glória Patri. Elégit.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

In II. Vesperis.

Omnia ut in primis, præter

Ad Magnif. Ant. Beáta Mater, et intácta Virgo, gloriósa Regína mundi, séntiant omnes tuum juvámen quicúmque célebrant tuam sanctam solemnitátem.

Digitized by Google

Die 11. Julii.

Ss. Cyrilli et **Methodii**
Episc. Conf.
Duplex.

Omnia ut in Brev. Romano die 5. Julii.

Et fit commem. S. Pii Mart.

Die 19. Julii.

Commemoratio
S. Joseph Sponsi B. M. V.
Confessoris.
Duplex.

Officium fit ut die 19. Maji pag. 8*.

Die 20. Julii.

S. Liberatæ Virg. Mart.
Duplex majus.

Omnia de Comm. Virg. et Mart. præter sequentia.

Oratio.

Beátæ Liberátæ Vírginis et Mártyris tuæ, quæsumus Dómine, précibus et méritis adjuvémur: ut, quæ pro tui nóminis confessióne et pudicítiæ defensióne in cruce pepéndit, ab inimicórum insídiis sua nos protectióne deféndat. Per Dóminum nostrum.

Deinde fit commemoratio S. Margaritæ Virg. Mart.

Ant. Símile est regnum cœlórum * hómini negotitóri quæránti bonas margarítas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio.

Indulgéntiam nobis, quæsumus Dómine, beáta Margaríta, Virgo et Martyr, implóret: quæ tibi grata semper éxstitit et mérito castitátis, et tuæ professióne virtútis. Per Dóminum.

In I. Noct. Lect. Confitébor. de Comm. Virg. 2. loco.

In II. Nocturno.
Lectio iv.

Lúcius Catéllius Sevérus, præses Galléciæ et Lusitániæ, et ejus terræ régulus, idolórum cultor, ex Cálsia cónjuge, eídem falsæ religióni dédita, uno partu (ut multárum in Hispánia ecclesiárum fert tradítio) novem édidit fílias. Quæ cum existimáret, hoc posse contra eam áliquam violáti tori et intemperántis vitæ excitáre suspiciónem, obstetríci sevére indíxit, ut occúlte illam tot filiárum turbam in

Digitized by Google

flumen projíceret. Illa vero consílium detestáta, in próximum vicum progréssa, novem puéllas tótidem nutrícibus aléndas trádidit, a quibus sacro fonte lustrátæ, Genivéra, Wilgefórtis seu Liberáta, Victória, Eumélia, Germána, Gemma, Mártia, Basilíssa, ac Quitéria nuncupátæ, totas se Deo concéptæ virginitátis voto consecrárunt.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Intérea dira persecútio christiánum nomen urgébat, et ad Balchágiam Catéllii sedem progréssa (quæ hódie dícitur Bayóna Tudénsis) cultóres idolórum ímpulit, ut vírgines sacras comprehénderent et Catéllio patri sísterent puniéndas. Qui de génere et religióne sciscitátus, christiánas et fílias suas esse cognóvit. Cum autem ómnia illis régia liberalitáte promítteret ómniaque supplícia júdicis severitáte minarétur, ut eas a stúdio christiánæ religiónis abdúceret, et matérnæ preces et lácrimæ his ómnibus accéderent, nihilóminus sacræ vírgines omnes in ea, quam suscéperant, fide constántes permansérunt.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Cum autem pater nil proficeret et in filiárum cædem raperétur furóre, illæ, tamétsi martýrii cúpidæ, patris tamen grave peccátum vitáre cupiéntes, ab ejus statuérunt sese potestáte subdúcere. Quod fecére non simul omnes, sed seórsum áliæ álio dilápsæ, ubi váriis locis martýrium subiérunt. Wilgefórtis vero seu Liberáta cum áliis christiánis in erémum secéssit, ubi aspérrime vivens silvéstri cibo semel ad vésperam quotídie reficiebátur; donec comprehénsa íterum ab ímpiis idolórum cultóribus ad sacrílegum idolórum cultum et impudicítiam fuit instigáta. Illa vero, nec sorórum nece percúlsa nec minis, aut cruciátibus detérrita, tortóribus se læta óbtulit. Et post vária tormentórum génera, in Lusitánia ad Castraleúca, pro fide et pudicítia decértans, in cruce méruit martýrii palmam

Digitized by Google

adipísci, circa annum Dómini centésimum trigésimum nonum. Cujus corpus in amplíssimo templo Seguntíno honorífice cónditum summa cólitur religióne et populórum frequéntia.

℟. Afferéntur Regi.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 13.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cœlórum thesaúro abscóndito in agro. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 48. super Matth. c. 13.

Sicut granum sinápis et ferméntum, sic duæ parábolæ istæ thesaúri atque margarítæ parum inter se différunt. Illud enim ambábus his denotátur, quóniam opórteat prædicatiónem evangélii ómnibus céteris antepónere. Et illis quidem (ferménti dico atque sinápis) magna evangélii virtus ostendebátur, quæ omníno totum orbem terrárum erat superatúra: hæ vero posterióres summi esse prétii significant. Sicut enim sinápis exténditur, sic quasi margaríta pretiosíssimum est, ac infinítas éxhibet commoditátes ut thesaúrus.

℟. Hæc est virgo.

Lectio viii.

Nec illud solum dícimus, quia cétera abjiciénda sunt ómnia, et sola prædicátio evangélii retinénda; verum étiam magno id esse cum gaúdio faciéndum. Sane qui renuntiatiónem bonórum facit, is nullam jactúram, sed quæstuosíssimam facit mercatúram. Perpéndis quómodo in mundo ábdita atque celáta prædicátio est, et in prædicatióne summa felícitas recóndita? Nisi ergo cunctas res tuas venúmdabis, non emes: nisi curióse quæras, non invénies. Duo hæc quippe nobis ad salútem necessária sunt, sæculárium rerum contémptus, et jugis vigiláncia.

℟. Média nocte.

Lectio ix.

Quæréndi enim (inquit) bonas margarítas, et, cum invenísset unam pre-

Digitized by Google

tiósam, véndidit quæcúmque habébat, ac emit eam. Una quippe véritas, nec in multas scínditur partes, ac véluti qui margarítam habet, novit se dívitem esse, etiámsi áliis ignótum nonnúmquam illud sit, cum parvo in lóculo margaríta recónditur, sic et in prædicatióne veritátis, qui ei adhærent totóque ánimo illam amplectúntur, opuléntos esse non ignórant; quamvis infidéles, thesaúrum non agnoscéntes, fidélium opes contémnant.

Te Deum laudámus.

In Laudibus fit commemor. S. Margaritæ Virg. Mart.

Ant. Veni sponsa Christi: * áccipe corónam quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio ut in Vesp.

Die 21. Julii.

S. Vincentii a Paulo Cf.

Duplex.

Omnia ut in Brev. Romano die 19. Julii.

Die 24. Julii.

Ss. Justæ et **Ruffinæ**

Virg. et Mart.

Duplex.

Omnia de Comm. Virg. et Mart. præter sequentia.

In utrisque Vesp. ad Magnif. et in Laud. ad Benedictus

Ant. Prudéntes vírgines, * aptáte vestras lámpades: ecce sponsus venit, exíte óbviam ei.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam. ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi.

Oratio.

Deus, qui virtútem tuam in vasis fictílibus étiam frágilis sexus recóndens sanctis Virgínibus et Martýribus tuis Justæ et Ruffínæ mirábilem fídei constántiam tribuísti: da nobis eárum patrocíniis in tui amóre perseveráre, et ad cœléstem corónam pervenire. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ex S. Isidoro et Brev. Hisp.

Justa et Ruffina soróres, Hispalénses, vírgines castíssimæ, fa-

Digitized by Google

cultátibus paúperes, sed virtútibus locuplétes, cum Diocletiánus in christiános sævíret, fictílium mercimónio sese alébant, et tenuitáte egénos sustentábant. Religióse ítaque et in magna concórdia domus suæ curam geréntes vitam inculpátam transigébant. Accidit autem statúto quodam die Híspali Adónia celebrári. In quo festo muliérculæ quædam cum sólitis ejulátibus et clamóribus Salambónæ simulácrum (sic Vénerem Syri vocant) in pompa circumferébant, et ab ómnibus passim in ejus dæmonis cultum áliquid erogári efflagitábant. Quæ cum óbiter a sanctis soróribus stipem postulárent nec quidquam extorquérent, una ex eis, quæ idólum bajulábant, omnes fictílium merces indignabúnda confrégit. Sed sanctæ vírgines, non frívolæ rei detriménto commótæ, sed religiónis zelo succénsæ, nefárium simulácrum a se dejecérunt, quod terræ illísum et comminútum fíctile étiam se probávit.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Re autem ad Diogeniánum provínciæ præsidem deláta, quasi impietátis reas capi et ad se addúci jubet. Quæ cum coram eo consísterent, de religióne interrogátæ, se Christi fámulas et pro ejus nómine mori parátas esse intrépide respondérunt. Admovéntur ergo vária et horribília cruciátus instruménta, ac vírgines hílares et Christum invocántes equúleo suspénsæ férreis úngulis exarántur. Sed cum in fídei confessióne constántes fessis étiam tortóribus persísterent, in cárcerem tradi et inde áliquot post dies éxtrahi jubéntur, ut se longo itínere in loca ad montes Mariános sita (quo sibi juris dicéndi causa eúndum erat) sequeréntur, exístimans ejus itíneris difficultáte eárum constántiam vinci posse. Sed divína virtúte imbecílli séxui vires suggeréntе, rúpium et móntium prærúpta et áspera nudis pédibus magna animórum alacritáte superárunt et incólumi fide Híspalim rediérunt: ubi cum sævís-

Digitized by Google

simis íterum cruciátibus eárum fides frustra tentáta est. Quorum immanitáte et diutúrno cárceris situ et fame Justa enécta, Deo spíritum reddens, ad dúplicem corónam evolávit.

℟. **Dilexísti justítiam.**

Lectio vi.

Ruffína vero ad ália certámina sanctíssimæ soróri supérstes, præsidis jussu in arénam producta (ut sanctus Isidórus refert) ferocíssimo leóni objécta est. Qui quasi virtútem cœléstem agnósceret, illæsam eam et intáctam relíquit. Redúcta ergo in cárcerem, fractis a lictóre cervícibus gloriósum martýrium in vínculis consumávit. Cujus corpus a carnifícibus in eámdem arénam tractum combústum est. Ossa autem a Sabíno Hispalénsi epíscopo collécta et in suburbáno cœmetério honorífice sepúlta sunt cum soróris Justæ córpore, quod e profúndo púteo, in quem jussu Diogeniáni præcipitátum fúerat, idem sanctus epíscopus extráxit.

℟. **Afferéntur Regi.**

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus.** de Communi 1. loco.

Lectio ix. de Vigilia S. Jacobi Apost. cujus commemor. fit in Laudib. ac S. Christinæ Virg. Mart. ut in Brev. Rom.

Die 27. Julii.

S. Hieronymi Æmiliani

Confessoris.

Duplex.

Omnia ut in Brev. Romano die 20. Julii et fit commemor. S. Pantaleonis Mart. cum ix. Lectione ut ibid. hac die.

Dominica II. Julii.

Dedicatio Ecclesiæ Cathedralis.

(In civit. Dupl. 1. cl. cum Oct.)

In diœcesi dupl. 1. cl.

Omnia ut in Comm. Dedic. Eccles. Et fit commemor. et ix. Lectio Dom. occurr.

Dominica III. Julii.

Dies octava

Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis.

Duplex.

Omnia ut in Comm. Dedic. Eccl. cum comm. et ix. Lect. de Homil. Dom. occurr.

Digitized by Google

Die 6. Augusti.
Transfigurat. D. N. J. C.
Duplex I. cl. cum Oct.
Omnia ut in Brev. Romano eadem die omissa commemor. Ss. Xysti et Soc. Mart.

Die 9. Augusti.
Ss. Justi et Pastoris Mm.
Duplex.
Omnia de Communi plurim. Mart., præter sequentia.
Oratio.

Deus, lacténtium fides, spes infántium, cáritas puerórum, qui per iñocéntum tuórum Justi et Pastóris laudem cunctos próvocas ad salútem: infúnde nobis, quæsumus, puritátem lacténtis infántiæ; ut, dum sensu justítiæ párvulis adæquámur, in illa remuneratióne fidélium cum sanctis páriter gloriémur. Per Dóminum.

Deinde fit comem. Octavæ Transfig. et S. Romani Mart. ut in Brev. Romano.
In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.
In II. Nocturno.
Lectio iv.
Ex lib. S. Isidori et lib. S. Ildephonsi de viris illustribus.

Justus et Pastor, germáni fratres Compluténses, illústre Christo Dómino testimónium dedérunt, Diocletiáno et Maximiáno imperatóribus. Nam cum Daciánus præses Complútum ingréssus christiános omnes perquíri jubéret, ut aut fidem Christi detestáti idólis sacrificárent, aut acerbíssimis cruciátibus interficeréntur, Justus et Pastor puéruli magno sunt pro Dómino moriéndi desidério incénsi. Itaque projéctis tabéllis, quibus prima litterárum rudiménta continebántur, quo Christum mélius díscerent, e ludo litterário neque vocáti neque appelláti in domum júdicis próperant, christiános se esse públice profiténtur, et pro Christi fide supra ætátem et córporis vires læti atque álacres tormentórum cruciátibus sese ultro ófferunt. Quos Daciánus tamquam púeros jubet verbéribus ab ea mente deterréri. ℟. Sancti tui.
Lectio v.

Dum ad vérbera ducúntur, mútuo se ad supplícia fórtiter subeúnda novélli agni cohortabántur. Nam Justus minor natu, timens forte, ne de sua fra-

Digitized by Google

ter constántia diffíderet, sic prior Pastórem allóquitur: Nihil, Pastor frater, tímeas mortem córporis, quæ nos circúmstat: nec torménta, quæ nobis paráta sunt, quasi tenélla nostra ætáte gravióra; éxcipe júgulu secúrus gládium: nam Deus ille, qui nos ad tantam grátiam vocáre dignátur, dabit étiam vires cruciátibus pares. Ad hæc Pastor: Mérito, Juste frater, sic te decet hortári, ut justítiam, quam nómine præfers, re ipsa præstes, ejúsque fructus mecum una percípias. Ego vero libénter sócium me tibi præbébo martýrii, ut tecum hujus certáminis glóriam adipíscar. Quorum sermónes cum satéllites ad Daciánum retulíssent, véritus ille, ne réliqui christiáni tanto excitaréntur exémplo, ejúsque crudélitas, si in certámen descénderet, a púeris vincerétur, extra óppidum procul ab hóminum frequéntia sanctíssimos púeros ábripi jubet et siléntio occídi. ℟. Vérbera.

Lectio vi.

Itaque in campum, qui Laudábilis est appellátus, addúcti, octávo Idus Augústi gládio feriúntur. Et, ut a majóribus accépimus, juguláti sunt super lápidem, qui Complúti in honóre est, et adhuc servat sacráti martýrii impréssa vestígia. Post discéssum Daciáni christiáni beatíssima puerórum corpúscula eo ipso loco honorífice sepeliérunt. Quæ duránte persecutióne et novis deínceps semper bellis Hispánia exagitáta oblivióni tradúntur, donec longo post témpore Astúrio Toletáno archiepíscopo, viro sanctíssimo, divínitus commonstráta sunt. Qui cœléstem thesaúrum pro dignitáte æstimans Complútum venit, eúmque pretióso túmulo cóndidit, tantáque veneratióne prosecútus est, ut Toletána sede relícta primus Compluténsem episcopátum constitúerit, ac réliquum vitæ tempus in honorándis sanctíssimis púeris collocárit, neque ámplius se ab eis divélli passus sit. Quorum relíquiæ multis et illústribus miráculis claruérunt.

℟. Tamquam aurum.

Digitized by Google

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 11.

In illo témpore: Respóndens Jesus, dixit: Confíteor tibi Pater, Dómine cœli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus, et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Sermone 8. de Verb. Domini tom. 10.

Quid est hoc, fratres? A contrário sensu intellígite: Abscondísti hæc, inquit, a sapiéntibus et prudéntibus: et non dixit: Revelásti ea stultis et imprudéntibus: sed ait: Abscondísti quidem a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Sapiéntibus et prudéntibus irridéndis, arrogántibus falso grándibus, vere autem timéntibus, oppósuit non sapiéntes, non prudéntes, sed párvulos. Qui sunt párvuli? Húmiles. Ergo abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus.

℟. Propter testaméntum.

Lectio viii.

Nómine sapiéntium et prudéntium supérbos intélligi posse ipse expósuit, cum ait: Revelásti ea párvulis. Ergo abscondísti non párvulis. Quid est non párvulis? Non humílibus. Quid est non humílibus, nisi supérbis? O via Dómini, aut non erat, aut latébat, ut revelarétur nobis. Unde Dóminus exsultávit, nisi quia revelátum est párvulis? Debémus esse párvuli. Nam, si voluérimus esse magni, quasi sapiéntes et prudéntes, non nobis illud revelátur.

℟. Hæc est vera.

Lectio ix. de Vigil. S. Laurentii Mart., cujus commem. ac S. Romani Mart. fit etiam in Laud. ut in Brev. Romano hac die.

Die 11. Augusti.

De VI. die infra oct.

Transfigurat. D. N. J. C.

Semiduplex.

Omnia ut in festo præter sequentia.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

Digitized by Google

In II. Nocturno.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 69. de divers.

Lectio iv.

Inspiciénda nobis, et tractánda est, carísimi, vísio, quam Dóminus demonstrávit in monte. Ipsa est enim, de qua díxerat: Amen dico vobis, quia sunt hic quidam de circumstántibus, qui non gustábunt mortem, donec vídeant Fílium hóminis in regno suo. Non parva quæstio est. Neque enim ille mons, regnum erat comprehénsum. Quid est mons ei, qui póssidet cœlum? Quod non solum légimus, sed étiam óculis cordis quodámmodo vidémus. Regnum suum dicit, quod multis locis appéllat regnum cœlórum: regnum autem cœlórum est regnum Sanctórum.

℟. Inebriáti.

Lectio v.

Hoc ut ostenderétur, vidéte, quid factum est. Dóminus ipse Jesus resplénduit sicut sol, vestiménta autem ejus facta sunt cándida sicut nix. Ipse Jesus quidem, ipse splénduit sicut sol, se lumen esse significans, quod illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum. Quod est iste sol óculis carnis, hoc ille óculis cordis: et quod iste cárnibus, hoc ille córdibus. Vestiménta autem ejus, Ecclésia ejus. Vestiménta enim, nisi ab indúto contineántur, cadunt. Horum vestimentórum quædam quasi novíssima fímbria Paulus fuit. Ipse enim dicit: Ego enim sum mínimus Apostolórum.

℟. Præcéptor.

Lectio vi.

Móyses et Elías, idest, lex et Prophétæ, quid valent, nisi cum Dómino colloquántur? Nisi Dómino perhíbeant testimónium, quis leget legem? quis Prophétas? Vidéte quam bréviter hoc Apóstolus ait: Per legem enim cognítio peccáti. Nunc autem sine lege, justítia Dei manifestáta est; ecce sol: testificáta a lege et Prophétis; ecce splendor. Videt hoc Petrus, et humána sápiens

Digitized by Google

tamquam homo: Dómine, bonum est, inquit, nos hic esse. Ut quid inde discéderet ad labóres et dolóres? Habens in Deum sanctos amóres, et ídeo bonos mores, bene sibi volébat esse. Ad hæc nihil Dóminus respóndit.

℟. Si ministrátio.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 17.

In illo témpore: Assúmpsit Jesus Petrum, et Jacóbum, et Joánnem fratrem ejus, et duxit illos in montem excélsum seórsum: et transfigurátus est ante eos. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbýteri.

Lib. 3. Comm. in Matth. c. 17.

uæritur quómodo post dies sex assúmpserit eos et dúxerit in montem excélsum seórsum, cum Lucas Evangelísta octonárium número ponat. Sed fácilis respónsio est: quia hic médii ponúntur dies, ibi primus ádditur et extrémus. Non enim dícitur, post dies octo; sed, die octávo. Duxit illos in montem. Dúcere ad montána discípulos, pars regni est. Ducúntur seórsum, quia multi vocáti, pauci vero elécti. Et transfigurátus est ante eos. Qualis futúrus est témpore judicándi, talis appáruit Apóstolis.

℟. Vocávit.

Lectio viii.

Quod autem dicit, Transfigurátus est ante eos, nemo putet, prístinam eum formam et fáciem perdidísse, vel amisísse córporis veritátem, et assumpsísse corpus vel spiritále vel aéreum: sed quómodo transformátus sit, Evangelísta demónstrat, dicens: Et resplénduit fácies ejus sicut sol, vestiménta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Ubi splendor faciéi osténditur, et candor descríbitur véstium, non substántia tóllitur, sed glória commutátur. Transformátio splendórem áddidit, fáciem non subtráxit.

℟. Deus, qui.

Nona Lectio de Ss. Martyribus Tiburtio et Susanna.

Digitized by Google

Die 13. Augusti.

Octava

Transfigurat. D. N. J. C.

Duplex.

Omnia ut in Festo, die 6. Aug. præter sequ.

In I. Vesp. Comm. S. Claræ, Virg.; deinde Octav. S. Laurentii, postea Ss. Hippolyti et Cassiani, Martyrum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo S. Cyrílli Epíscopi Alexandríni.

Apud Metaph. post med.

Lectio iv.

Arbitrátus fortásse beátus Petrus advenísse tempus regni Dei, in monte quidem versári déligit: dicit autem tria esse faciénda tabernácula, nésciens quid díceret. Non erat enim tempus consummatiónis sæculi, neque in præsénti témpore sunt sancti futúri partícipes spei eis promíssæ. Cum ergo dispensátio adhuc esset in princípio, et nondum esset finíta, quómodo erat consentáneum, Christum, qui vénerat propter caritátem in mundum, desínere pro eo velle pati? Nesciébat ergo Petrus quid díceret.

℟. Inebriáti sunt.

Lectio v.

Céterum, præter admirábile et arcánum Christi glóriæ spectáculum, áliquid quoque áliud factum est útile et necessárium, ad confirmándam in se fidem, non solis discípulis, sed étiam nobis ipsis. Désuper enim ex alto éxstitit vox Dei et Patris dicéntis: Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui, ipsum audíte. Et dum facta est, inquit, vox, invéntus est solus Jesus. Ecce præsénte Móyse Pater jubet sanctis Apóstolis ut eum aúdiant; quod si eos voluísset sequi præcépta Móysis, dixísset: Serváte legem. Nunc autem ne hoc quidem dicit Deus et Pater. Aberat quidem Móyses, Elías autem non áderat, solus vero erat Christus: jussit ergo ipsum audíre. Ipse est enim finis legis et prophetárum.

℟. Præcéptor.

Lectio vi.

Propterea Judæórum pópulum allocútus est, di-

Digitized by Google

cens: Si crederétis Móysi, crederétis útique mihi: ille enim de me scripsit. Quóniam autem et per sapientíssimum Móysen datum præcéptum contémnere, et quæ per sanctos prophétas dicta sunt nihil dúcere, perpétuo perseverárunt, jure sunt abalienáti, et exturbáti a bonis quæ promíssa sunt ipsis pátribus. Obediéntia enim mélior est quam sacrifícium, et auscultátio quam adeps agnórum, sicut scriptum est, et ita quidem se habent res Judæórum. Nobis autem, qui ejus advéntum agnóvimus, ómnia omníno bona áderunt per ipsum, et in ipso Christo. Per quem, et cum quo, Deo et Patri glória et poténtia, cum sancto Spíritu, in sæcula sæculórum. Amen.

℟. Si ministrátio.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 17.

In illo témpore: Assúmpsit Jesus Petrum, et Jacóbum, et Joánnem, fratrem ejus, et duxit illos in montem excélsum seórsum: et transfigurátus est ante eos. Et réliqua.

De Homília S. Ambrósii Epíscopi.

Lib. 7. in Lucam cap. 9.

Hic est Fílius meus diléctus: hoc est, non Elías fílius, non Móyses fílius, sed hic est Fílius, quem solum vidétis; recessérunt enim illi, ubi cœpit Dóminus designári. Vides hanc non solum insipiéntium, sed étiam perfectórum, imo étiam cœléstium fidem esse perféctam, Fílium Dei scire. Sed quóniam hæc jam supra díximus, cognósce nubem istam non fumigántium esse móntium nebulóso humóre concrétam, et coácti áëris calígine píceam, quæ cœlum tenebrárum horróre subtéxat: sed lúcidam nubem, quæ nos non pluviálibus aquis et huméntis alluvióne imbris immádidet, sed de qua mentes hóminum, voce Dei omnipoténtis emíssa, ros fídei rigávit.

℟. Vocávit nos.

Lectio viii.

Itaque cum tres essent, unus est factus. Tres in

Digitized by Google

princípio vidéntur, unus in fine. Perfécta enim fide unum sunt. Dénique hoc étiam Dóminus Patrem orat, ut omnes unum simus. Nec solum Móyses et Elías in Christo unum sunt, sed étiam nos unum corpus sumus Christi. Ergo, et illi tamquam in uno córpore, recipiúntur in Christi corpus, quia et nos unum érimus in Christo Jesu. Aut fortássis, quia lex et prophétæ ex verbo: quæ autem ex verbo cœpérunt, in verbo désinunt. Finis enim legis est Christus, ad justítiam omni credénti.

℟. Deus, qui fecit.

Lectio ix. de Ss. Hippolyto et Cassiano, ut in Brev.

In Laud. fit comm. Octavæ S. Laurentii; deinde Ss. Mart.

In II. Vesp. Coñem. sequ., deinde Octavæ S. Laurentii, postea S. Eusebii Conf.

Die 16. Augusti.

S. Rochi Confessoris.

(In civitate Duplex maj.)

In diœcesi Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis Brev. Rom. eadem die. In civit. tamen in I. Noct. Lect. Beátus vir. de Communi Conf. non Pont. 2. loco.

Die 18. Augusti.

S. Hyacinthi Conf.

Duplex.

Omnia ut in Brev. Romano die 16. hujus. Et fit commem. Oct. S. Laurentii et S. Agapiti Mart. ut ibid. hac die.

Die 19. Augusti.

Coñemoratio

S. Joseph Confessoris Sponsi B. M. V.

Duplex.

Officium fit ut die 19. Junii, cum commem. Oct. Assumpt. ut in Breviario Romano.

Die 30. Augusti.

S. Rosæ Limanæ Virg.

Patronæ Princip. Americæ.

Duplex 1. cl. cum Oct.

In I. Vesperis.

Antiph. de Laudibus; Ps. de Comm. Virg.

Capitulum. Sap. 8.

Hanc amávi, et exquisívi a juventúte mea, et quæsívi sponsam mihi eam assúmere, et amátor factus sum formæ illíus, ait Dóminus omnípotens.

Digitized by Google

Hymnus.

Tellúris omnes íncolæ
Rosæ plaudant solémniis:
Ejúsque laudes cóncinant
A solis ortu ad Hésperum.

Hæc a paréntis úbere
Prævénta donis grátiæ,
Deóque plena, víndicem
Armávit in se déxteram.

Miris modis innóxios
Afflíxit artus, spíneis
Cinxit coróllis vérticem,
Cibósque felle pólluit.

Nunc læta, pœniténtiæ
Largo potítur præmio:
Novúmque psallit cánticũ,
Agni sequens vestígia.

Horum Datóri múnerum
Sit laus, decúsque pérpetim:
Qui trinus unus ómnia
Regit Deus per sæcula.
Amen.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Ad Magnif. Ant. Benedícta tu a Deo tuo, Rosa, in omni tabernáculo Jacob: quóniam in omni gente, quæ audíerit nomen tuum, super te Deus Israël magnificábitur.

Oratio.

Bonórum ómnium largítor, omnípotens Deus, qui beátam Rosam, cœléstis grátiæ rore prævéntam, virginitátis, et patiéntiæ decóre Indis floréscere voluísti: da nobis fámulis tuis; ut in odórem suavitátis ejus curréntes, Christi bonus odor éffici mereámur. Per eúmdem Dñm.

Ad Matutinum.

Invit. Regem sempitérnum, veníte adorémus: * Qui Rosam cordis sui digne pro méritis coronávit in cœlis.

Ps. Veníte exsultémus.

Hymnus.

Limána regum cívitas
Regále munus édidit.
Rosam Deo gratíssimam,
Cœléstis oræ flósculum.

Vicit nitóre sídera,
Pulsa soli calígine:
Et par beátis méntibus,
Numen gerébat péctore.

Porténta, vel ludíbria
Sævæ stygis non hórruit:
Sedítque solitária
Turbam perósa, et sæculum.

Nos, o Beáta, réspice,
Tuis vacántes laúdibus:
Et, expiátis sórdibus,
Duc ad supérna gaúdia.

Digitized by Google

Sit, Christe, Sponse Vírginum,
Tibi, Patríque glória
Cum Spíritu Paráclito
In sæculórum sæcula.
Amen.

In I. Nocturno.

Ant. Rosam tuam, Dómine, minuísti paulo minus ab Angelis: quia glória, et honóre coronásti eam.

Psalmi trium Nocturnorum de Comm. Virg.

Ant. Tamquam sponsus, procédens de thálamo suo, in Rosa pósuit tabernáculum suum.

Ant. Rosa ínnocens mánibus, et mundo corde, ascéndet in montem Dómini, et stabit in loco sancto ejus.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

De Cánticis Canticórum.
Lectio i. Cap. 2.

Ego flos campi, et lílium convállium. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias. Sicut malus inter ligna silvárum, sic diléctus meus inter fílios. Sub umbra illíus, quem desiderá-veram, sedi: et fructus ejus dulcis gútturi meo. Introdúxit me in cellam vináriam, ordinávit in me caritátem. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis, quia amóre lángueo. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. Adjúro vos, fíliæ Jerúsalem, per cápreas, cervósque campórum, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam, quoadúsque ipsa velit.

℟. Atténdite, pópuli, de longe: Dóminus ab útero vocávit me: de ventre matris meæ. * Recordátus est nóminis mei. ℣. Magnus Pastor óvium in sánguine testaménti ætérni próprias oves vocat nominátim, et edúcit eas. Recordátus.

De libro Proverbiórum.
Lectio ii. Cap. 8.

Ego diligéntes me díligo: et qui mane vígilant ad me, invénient me. Mecum sunt divítiæ et glória, opes supérbæ, et justítia. Mélior est enim fructus meus auro, et lápide pretióso, et genímina mea argénto elécto. In viis justítiæ ámbulo, in médio semi-

Digitized by Google

tárum judícii, ut ditem diligéntes me, et thesaúros eórum répleam. Dóminus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum, et ex antíquis, ántequam terra fíeret.

℟. Datum est Rosæ nomen mélius a fíliis et filiábus, nomen novum. * Quod os Dóminæ nominávit. ℣. Dabo illi cálculum cándidum, et in cálculo nomen novum. Quod.

De libro Ecclesiástici.

Lectio iii. Cap. 39.

Obaudíte me divíni fructus, et quasi rosa plantáta super rivos aquárum fructificáte. Quasi Líbanus odórem suavitátis habéte. Floréte flores, quasi lílium, et date odórem, et frondéte in grátiam, et collaudáte cánticum, et benedícite Dóminum in opéribus suis. Date nómini ejus magnificéntiam, et confitémini illi in voce labiórum vestrórum, et in cánticis labiórum, et cítharis, et sic dicétis in confessióne: Opera Dómini univérsa bona valde.

℟. Ego quasi storax, et gálbanus, et quasi Líbanus non incísus vaporávit habitatiónem meam: * Quasi bálsamum non mixtum * Odor meus. ℣. Dedit Indica Rosa odórem suavitátis, et domus impléta est ex odóre unguénti. Quasi. Glória Patri. Odor.

In II. Nocturno.

Ant. Omnis glória Rosæ ab intus in vestítu deauráto, circumamícta varietáte: ídeo concupívit rex spéciem ejus.

Ant. Adjúvit Rosam Dóminus mane dilúculo, et in médio cordis ejus non commovébitur.

Ant. Fundaménta Rosæ in móntibus sanctis: et ipse fundávit eam Altíssimus super ómnia tabernácula Jacob.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non coñovébitur.

Lectio iv.

Ex Actis, et Bulla Beatif.

Primus Américæ Meridionális flos sanctitátis, virgo Rosa, christiánis paréntibus Limæ progénita, mox ab incuná-

Digitized by Google

bulis cláruit futúræ sanctimóniæ indíciis. Nam vultus infántis, mirabíliter in rosæ effígiem transfigurátus, huic nómini occasiónem dedit, cui póstea Virgo Deípara cognómen adjécit, jubens, vocári deínceps Rosam a sancta María. Quinquénnis votum perpétuæ virginitátis emísit. Adúltior, ne a paréntibus ad núptias cogerétur, clam sibimet venustíssimam cápitis cæsáriem præscídit. Jejúniis supra humánum modum addícta, íntegras Quadragésimas transégit pane ábstinens, ac diétim solis quinque gránulis mali citríni víctitans.

℟. Non conferétur hæc Rosa tinctis Indiæ colóribus, nec dábitur aurum obrízum pro ea: * Quóniam omne aurum in comparatióne illíus aréna est exígua. ℣. Glória, et divítiæ in domo ejus, et justítia ejus manet in sæculum sæculi. Quóniam.

Lectio v.

Hábitu tértii órdinis sancti Domínici assúmpto, prístinas vitæ austeritátes duplicávit. Oblóngo, asperrimóque cilício sparsim minúsculas acus innéxuit: sub velo corónam, densis acúleis intrórsus obarmátam, intérdiu noctúque gestávit. Sanctæ Catharínæ Senénsis árdua premens vestígia, caténa férrea, tríplici nexu circumdúcta, lumbos cinxit. Léctulum sibi e truncis nodósis compósuit, horúmque vácuas commissúras fragmínibus testárum implévit. Céllulam sibi angustíssimam struxit in extrémo horti ángulo: ubi cœléstium contemplatióni dédita, crebris disciplínis, inédia, vigíliis corpúsculum exténuans, at spíritu vegetáta, larvas dæmonum, frequénti certámine victrix, impávide protrívit, ac superávit.

℟. Fecit sibi secrétum cubículum in quo clausa morabátur, et habens super lumbos suos cilícium. * Jejunábat ómnibus diébus vitæ suæ. ℣. Virgo Rosa cogitábat, quæ Dómini sunt: ut esset sancta córpore, et spíritu. Jejunábat.

Lectio vi.

Ægritúdinum torméntis, domesticórum insúl-

Digitized by Google

tibus, linguárum mórsibus dire agitáta, nondum satis pro mérito se afflígi querebátur. Per quíndecim annos, ad plúsculas horas desolatióne spíritus et aridităte misérrime contabéscens, forti ánimo tulit agónes omni morte amarióres. Exínde cœpit supérnis abundáre delíciis, illustrári visiónibus, colliquéscere seráphicis ardóribus. Angelo tutelári, sanctæ Catharínæ Senénsi, Vírgini Deíparæ inter assíduas apparitiónes mire familiáris, a Christo has voces audíre méruit: Rosa cordis mei, tu mihi sponsa esto. Dénique Sponsi hujus paradíso felíciter invéctam, plurimísque ante et post óbitum miráculis coráscam, Clemens décimus Póntifex Máximus sanctárum Vírginum catálogo ritu solémni adscrípsit.

℟. Benedícta tu, Fília, a Deo excélso: quia non pepercísti ánimæ tuæ propter angústias, et tribulatiónem géneris tui:* Sed subvenísti ruínæ: * Ante conspéctum Dei nostri. ℣. Curásti gentem tuam, et liberásti eam a perditióne. Sed subvenísti. Glória Patri. Ante conspéctum.

In III. Nocturno.

Ant. Surgénte Rosa, gaudébant campi, et ómnia, quæ in eis sunt: exsultábant ómnia ligna silvárum.

Ant. Exsúltet terra, et lætántur ínsulæ multæ: quia vidérunt omnes pópuli glóriam sanctificatiónis ejus.

Ant. Moveátur mare et plenitúdo ejus, orbis terrárum, et qui hábitant in eo: quia Dóminus in Rosa mirabília fecit.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus turbis parábolam hanc: Símile est regnum cœlórum grano sinápis, quod accípiens homo seminávit in agro suo. Et réliqua.

Homilía sancti Petri Chrysólogi.

In Cap. 13. Matth.

Audístis, fratres, quĕádmodum grano sinápis tota regni cœ-

Digitized by Google

léstis comparáta est magnitúdo. Quærens Christus in cœlo, et in terra, nihil invénit nisi granum sinápis, in quo poténtiam totam supérnæ dominatiónis inclúdat: et illud regnum singularitáte potens, æternitáte felix, divinitáte fulgens, diffúsum toto cœlo, tota terra dilatátum, in grano sinápis coárctat, et cogit angústias. Spes ista est credéntium? Exspectátio ista est fidélium summa? Ista est felícitas vírginum, longis continéntiæ labóribus comparáta? Fratres, non fácile Domínicis moveámur in dictis. Nam si infírmum Dei fórtius est homínibus; hoc mínimum Dei tota magnitúdine mundi magnificéntius invenítur: si modo hoc granum sinápis nos sic nostris seminémus in méntibus, ut intelligéntiæ nobis magnam in árborem crescat.

℟. Diléxit Rosa decórem domus Dei, et locum habitatiónis glóriæ ejus: ídeo * Requiéscet in monte sancto ejus. ℣. Non discedébat de templo, jejúniis, et obsecratiónibus sérviens nocte et die. Requiéscet in monte.

Lectio viii.

Grani ergo sinápis instar est regnum Dei, quod de supérnis affértur verbo, suscípitur audítu, fide séritur, credulitáte radicátur, spe crescit, confessióne diffúnditur, virtúte ténditur, et dilatátur in ramos, ad quos vocat aves cœli, id est, spirituáles sensus, atque in ipsis eas quiéta súscipit mansióne. Véniat hæréticus, véniat, quia redeúntibus Ecclésiæ semper patéscit ingréssus. Véniat, aúdiat, et pietáti Domínicæ jam désinat oblatráre. Si cœléstis regni majéstas omnis ad grani sinápis similitúdinem venit, quid quæritur, quod Deus ad hóminem, Dóminus servi descéndit ad formam? Sic enim venit, ut tibi totum per fidem crésceret, cui jam totum defécerat per natúram.

℟. Veni de Líbano, Rosa cordis mei, veni de Líbano, Sponsa: * Veni, coronáberis de vértice Sanir, et Hermon. ℣. Média nocte clamor factus est: Ecce

Digitized by Google

Sponsus venit. Veni, Glória Patri. Veni.

Lectio ix.

Sed atténdite, quia Christus est regnum cœlórum, qui velut granum sinápis, in hortum virgínei córporis missus, orbe toto Crucis in árborem crevit, ac tantum dedit fructus sui sapórem, cum téritur passióne, ut quidquid est vitále, suo saporáret, et condíret attáctu. Nam sicut in integritáte grani sinápis virtus habétur occúlta; appáret vero virtus ejus vehementíssime si terátur: ita Christus córpore teri vóluit, qui suam nóluit latére virtútem. Et nos fratres, terámus istud granum sinápis ut ejus vim in hac similitúdine sentiámus. Terámus granum illud, ut ora nostra fervéntia vívida fructu sui sapóris succéndat, et flammétur in péctore: atque nostræ ignorántiæ totum nobis aúferat sua degustatióne fastídium.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

et per Horas.

Ant. 1. Mirábilis in altis Dóminus, ut sponsam suam mirificáret, decórem indútus est, præcíngens se virtúte.

Ps. Dóminus regnávit. cum reliqu. de Domin.

2. In lætítia et exsultatióne sérviens Deo beáta Rosa, introívit in átria ejus.

3. Exsultávit Rosa in velaménto alárum tuárum, quia suscépit eam déxtera tua.

4. Benedícat omnis imber, et ros Dómino, qui Rosam benedictióne irrigávit de superióribus suis.

5. Laudent nomen Dómini aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, ubi Rosa vernat, plantáta juxta rivos aquárum.

Capitulum. Sap. 8.

Hanc amávi, et exquisívi a juventúte mea, et quæsívi sponsam mihi eam assúmere, et amátor factus formæ illíus, ait Dóminus omnípotens.

Hymnus.

Auróra cœlum púrpurat,
Rosísque mane cóncolor,
Laudes sacrátæ Vírginis
Rosæ monet nos pángere.

Digitized by Google

Hanc ergo laudent Angeli,
Et omnis ordo Cœlitum,
Laudent chori mortálium,
Ubíque gestis ínclytam.

Hanc primam amóris víctimam
Admóvit aris India,
Orbis juvámen præpotens,
Exémplar innocéntiæ.

Dat cæcis luce pérfrui,
Solvítque linguæ víncula,
Claudos jacéntes érigit,
Morbis medétur ómnibus.

Jugis tibi laus, Trínitas,
Reddátur omni témpore,
Et cum Rosa nos pértrahe
Ad nuptiále gaúdium.

Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Ant. O Rosa odorífera spargens ubíque virtútum odórem, fac nos ejus, qua fruéris, lucis, suavitatísque partícipes.

Ad Tertiam.

Capit. Hanc amávi. 55*

℟. br. Spécie tua * Et pulchritúdine tua. Spécie. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Et. Glória Patri. Spécie.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Ad Sextam.

Capitulum. Eccli. 39.

Obaudíte me, divíni fructus, et quasi rosa plantáta super rivos aquárum fructificáte, quasi Líbanus odórem suavitátis habéte.

℟. br. Adjuvábit eam * Deus vultu suo. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus, non coṁovébitur. Deus. Glória Patri. Adjuvábit.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Ad Nonam.

Capitulum. Eccli. 39.

Floréte, flores, quasi lílium, et date odórem, et frondéte in grátiam: collaudáte cánticum, et benedícite Dóminum in opéribus suis.

℟. br. Elégit eam Deus, * Et præelégit eam. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et præelégit. Glória Patri. Elégit.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Digitized by Google

In II. Vesperis.

Omnia ut in 1. excepto V. **Diffúsa.** de Communi.

Ad Magnif. Ant. **Rosa soror nostra bene sit nobis propter te, et vivat ánima nostra ob grátiam tui.**

Domin. post Oct. Assumpt.

Purissimi Cordis B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa proáliqu. locis Breviarii Romani eodem Dominica.

Die 1. Septembris.

Tertia die infra octavam

S. Rosæ Virg.

Semiduplex.

Omnia ut in festo praeter sequ. Lectiones.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Ambrósii Epíscopi.

Liber 1. de Virgine.

Lectio iv.

Ego licet laudatiónem non suscéperim virginitátis, sed expressiónem; ad rem tamen pertinére árbitror, ut quæ sit ei pátria, quis auctor, appáreat. Ac prius ubi sit pátria definiámus. Si enim ibi est pátria, ubi genitále domicílium: in cœlo profécto est pátria castitátis: ítaque hic ádvena, ibi íncola est. Quid autem est cástitas virginális, nisi expers contagiónis intégritas? Atque ejus auctórem quem póssumus existimáre, nisi immaculátum Dei Fílium, cujus caro non vidit corruptiónem, divínitas non est expérta contagiónem?

℟. **Non conferétur.**

Lectio v.

Vidéte ígitur, quanta virginitátis mérita sint. Christus ante vírginem, Christus ex vírgine; a Patre quidem natus ante sécula, sed ex vírgine natus ob sécula. Illud natúræ suæ, hoc nostræ utilitátis est. Illud erat semper, hoc esse vóluit. Spectáte áliud virginitátis méritum, Christus virgo vírginis sponsus, et si dici potest, Christus virgíneæ castitátis. Virgínitas enim Christi, non virginitátis est Christus. Virgo est ergo quæ nupsit, virgo quæ nos suo útero portávit, virgo quæ génuit,

Digitized by Google

virgo quæ próprio lacte nutrívit. Sed jam a matre descendámus ad fílias.

℟. **Fecit sibi.**

Lectio vi.

De virgínibus, inquit Apóstolus, præcéptum Dómini non hábeo, consílium autem do. Si Doctor Géntium non hábuit, habére quis pótuit? Et præcéptum quidem non hábuit, sed hábuit exémplum: non enim imperári potest virgínitas, sed optári. Nam quæ supra nos sunt, in voto magis quam in magistério sunt. Sed volo vos, inquit, sine sollicitúdine esse: nam qui sine uxóre est, sollícitus est quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Et virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore et spíritu. Non ego quidem dissuádeo matrimónium, sed virginitátis attéxo benefícium.

℟. **Benedícta.**

In III. Nocturno Homilia in Evang. ut in festo.

Comm. S. Ægidii Abb. et Ss. Duod. Fratr. Mm. ut in Brev.

Die 2. Septembris.

S. Antonini Martyris.

Duplex.

Omnia ut in Propr. Hispan. eadem die. Et fit comm. Oct. S. Rosæ.

Die 3. Septembris.

S. Stephani Regis Conf.

Semiduplex.

Omnia ut in Brev. Romano die 2. Sept. cum coñem. Oct. S. Rosæ Lim. Virg.

Digitized by Google

ADPROBATIO.

Revisione rite peracta cum originalibus omnia concordare reperta sunt. In fidem etc.

Ex Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis
hac die 19. Augusti 1881.

Pro **R. P. D. Placido Ralli** Secretario
Joannes Ponzi Substitutus.

Imprimatur.

Ratisbonæ die 2. Septembris 1889.

G. Erlenborn, Vic. in Spirit. Gen.

Digitized by Google

Digitized by Google

OFFICIA PROPRIA

ARCHIDIOECESIS

SANCTÆ FIDEI BOGOTENSIS

A SEDE APOSTOLICA

CONCESSA.

PARS AUTUMNALIS.

RATISBONÆ, NEO EBORACI & CINCINNATII.
SUMPTIBUS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,
S. SEDIS APOST. ET S. RIT. CONGR. TYPOGR.
MDCCCLXXXIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

KALENDARIUM PERPETUUM

AD USUM CLERI

ARCHIDIŒCESIS SANCTÆ FIDEI IN NEOGRANATENSI.

Augustus.

29. Decollatio S. Joannis Baptistæ. *dupl. maj.* Commemor. S. Sabinæ Mart.
30. S. Rosæ Limanæ Virg. Patronæ Principal. Americæ, *dupl. 1. class. cum Oct.* 7*
31. S. Raymundi Nonnati Conf. *dupl.* Comm. Octavæ.
Dominica infra Oct. Assumpt. S. Joachim Conf. Patris B. M. V. *dupl. 2. class.* Comm. Domin. tant.

September.

1. De Octava S. Rosæ Virg. *semidupl.* Comm. S. Ægidii Abbatis et Ss. Duodecim Fratrum Martyrum. 15*
2. S. Antonini Mart. *dupl.* Comm. Octavæ. 16*
3. S. Stephani Reg. Conf. (D. a. ex heri) *semidupl.* Comm. Octavæ. 16*
4. De Octava. *semiduplex.* 17*
5. *(In Civitate)* S. Victorini Ep. Mart. Patron. Min. princip. *dupl. maj.* Comm. Oct. 18*
(In Diœcesi) S. Victorini Episc. Mart. *dupl.* Comm. Oct.
6. Dies Octava S. Rosæ Liman. Virg. *dupl.* 18*
7. S. Laurentii Justiniani Episc. Conf. (D. a. ex 5. hujus) *semiduplex.* 19*
8. Nativitas B. M. V. *dupl. 2. class. cum Octava.* Commem. S. Adriani Mart.
9. B. Petri Claver Conf. *dupl.* Comm. Oct. ac S. Gorgonii Mart. 20*
10. S. Nicolai de Tolentino Conf. *dupl.* Comm. Oct.
11. De Octava. *semidupl.* Comm. Ss. Proti et Soc. Mart.
12. De Octava. *semiduplex.*
13. De Octava. *semiduplex.*
14. Exaltatio S. Crucis, *dupl. maj.* Comm. Oct.
15. Dies Octava Nativitatis B. M. V. *dupl.* Comm. S. Nicomedis Mart.

Digitized by Google

16. Ss. Cornelii Papæ et Cypriani Episc. Mm. *semiduplex.* Comm. Ss. Euphemiæ et Soc. Mm.
17. Impressio Sacror. Stigmatum S. Francisci Conf. *dupl.*
18. S. Josephi a Cupertino Conf. *dupl.*
19. Commem. S. Joseph Conf. Sponsi B. M. V. *dupl.* pag. 20*
20. Ss. Eustachii et Soc. Mm. *dupl.* Comm. Vigiliæ.
21. S. Matthæi Apost. et Evang. *dupl. 2. class.*
22. S. Thomæ a Villanova Episc. Conf. (D. a. ex 18. hujus) *dupl.* Comm. S. Mauritii et Soc. Mm.
23. S. Lini Pap. Mart. *semid.* Comm. S. Theclæ Virg. Mart.
24. B. M. V. de Mercede. *dupl. majus.*
25. B. Mariæ de Cervellione Virg. *dupl.* 27*
26. Ss. Januarii Episc. et Soc. Mm. (D. a. ex 19. hujus) *dupl.* Commem. Ss. Cypriani et Soc. Mm. 27*
27. Ss. Cosmæ et Damiani Mm. *semidupl.*
28. B. Simonis de Roxas Conf. *dupl.* 27*
29. S. Michaëlis Archang. *dupl. 2. classis.*
30. S. Hieronymi Conf. et Doct. *dupl.*

Dominica infra Octav. Nativitatis B. M. V. Ss. Nominis ejusdem Deiparæ. *dupl. maj.* Comm. Dominicæ.

Dominica III. Septembris. Septem Dolorum B. M. V. *dupl. maj.* Comm. Dominicæ.

October.

1. S. Remigii Episc. Conf. *semiduplex ad libit.*, vel *simplex de præcepto.*
2. Ss. Angelorum Custodum. *dupl.*
3. S. Wenceslai Ducis Mart. (D. a. ex 28. Sept.) *semid.* 27*
4. S. Francisci de Assisio Conf. *dupl.*
5. S. Froylani Episc. Conf. *dupl.* Commem. Ss. Placidi et Socior. Mm. 27*
6. S. Brunonis Conf. *dupl.*
7. S. Marci Pap. Conf. Comm. Ss. Sergii et Soc. Mm.
8. S. Birgittæ Viduæ. *dupl.*
9. Ss. Dionysii Episc. et Soc. Mm. *semidupl.*
10. S. Ludovici Bertrandi Conf. Patron. Principalis Ditionis. *dupl. 1. class. cum Octava.* 27*
11. S. Francisci Borgiæ Conf. (D. a. ex heri) *dupl.* Comm. Octavæ. 27*
12. B. M. V. de Columna. *dupl. maj.* Comm. Octavæ. 27*
13. S. Eduardi Regis Conf. *semidupl.* Comm. Octavæ.
14. S. Callisti Pap. Mart. *dupl.* Comm. Octavæ.
15. S. Teresiæ Virg. *dupl.* Comm. Octavæ. 29*
16. De Octava. *semiduplex.* 29*
17. Dies Octava S. Ludovici Bertrandi Conf. *dupl.* 32*

Digitized by Google

18. S. Lucæ Evang. *dupl. 2. class.*
19. Commem. S. Joseph Conf. Sponsi B. M. V. *dupl.* pag. 34*
20. S. Joannis Cantii Conf. *dupl.*
21. Ss. Ursulæ et Soc. Virg. Mm. *dupl.* Comm. S. Hilarionis Abbatis. 35*
22. S. Mariæ Salome Vid. *dupl.* 35*
23. S. Petri Paschasii Episc. Mart. *dupl.* 38*
24. S. Raphaëlis Archangeli. *dupl. maj.* 38*
25. S. Petri de Alcantara Conf. (D. a. ex 19. hujus) *duplex.* Commem. Ss. Chrysanthi et Soc. Mm. 38*
26. Ss. Servandi et Germani Mm. (D. a. ex 23. hujus) *dupl.* Commem. S. Evaristi Pap. Mart. 38*
27. S. Fructi Conf. (D. a. ex 25. huj.) *dupl.* Comm. Vigil. 38*
28. Ss. Simonis et Judæ Apost. *dupl. 2. class.*
29. S. Narcissi Episc. Mart. *dupl.* 41*
30. S. Hedwigis Vid. *semidupl.* (D. a. ex 17. hujus) 44*
31. Vigilia.

Domin. I. Oct. Ss. Rosarii B. M. V. *dupl. maj.* Commem. Dominicæ.

Domin. II. Oct. Maternitatis B. M. V. *dupl. maj.* Comm. Dominicæ. 44*

Domin. III. Oct. Puritatis B. M. V. *dupl. maj.* Commem. Dominicæ. 44*

November.

1. Omnium Sanctorum. *dupl. 1. class. cum Octava.*
2. Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum. *duplex.* — De Octava. *semidupl.*
3. Ss. Innumerabilium Martyrum Cæsaraugustæ. *duplex.* Commem. Octavæ. 44*
4. S. Caroli Episc. Conf. *dupl.* Commem. Oct. ac Ss. Vitalis et Socior. Mm.
5. B. Martini a Porres Conf. *dupl.* Comm. Octavæ. 45*
6. De Octava. *semiduplex.*
7. De Octava. *semiduplex.*
8. Dies Octava Omnium Sanctorum. *dupl.* Commemoratio Ss. Quatuor Coronatorum Mm.
9. Dedicatio Basilicæ Ss. Salvatoris. *dupl.* Commemoratio S. Theodori Mart.
10. S. Andreæ Avellini Conf. *dupl.* Commem. Ss. Tryphonis et Socior. Mm.
11. S. Martini Episc. Conf. *dupl.* Commem. S. Mennæ Mart.
12. S. Martini Pap. Mart. *semidupl.*
13. S. Stanislai Kostkæ Conf. *dupl.* 48*

Digitized by Google

14. S. Josaphat Episc. Conf. *dupl.*
15. S. Gertrudis Virg. *dupl.* pag. 48*
16. S. Eugenii Episc. Mart. (D. a. ex heri) *dupl.* 48*
17. Ss. Acisculi et Victoriæ Mm. *dupl.* 48*
18. Dedicatio Basilicarum Ss. Petri et Pauli Apost. *dupl.*
19. S. Elisabeth Regin. Vid. Patron. Principal. Archidiœces. *dupl. 1. class. cum Octava.* 48*
20. S. Felicis de Valois Conf. *dupl.* Comm. Octavæ.
21. Præsentatio B. M. V. *dupl. maj.* Comm. Octavæ.
22. S. Cæciliæ Virg. Mart. *dupl.* Comm. Octavæ.
23. S. Clementis Pap. Mart. *dupl.* Commemoratio Octavæ et S. Felicitatis Mart.
24. S. Joannis a Cruce Conf. *dupl.* Commemoratio Octavæ et S. Chrysogoni Mart.
25. S. Catharinæ Virg. Mart. *dupl.* Comm. Octavæ.
26. Dies Octava S. Elisabeth Vid. *dupl.* Commem. S. Petri Alexandrini Episc. Mart. 48*
27. Desponsatio B. M. V. (ex heri) *duplex maj.* cum S. Joseph Conf. 51*
28. S. Gregorii Thaumaturgi Episc. Conf. (D. a. ex 17. hujus) *semiduplex.* 51*
29. S. Didaci Conf. (D. a. ex 13. hujus) *semiduplex.* Vigilia. Commem. S. Saturnini Mart.
30. S. Andreæ Apost. *duplex 2. classis.*

Dominica II. Novembris. Patrocinium B. M. V. *duplex majus.* Commem. Dominicæ. 51*

Digitized by Google

OFFICIA PROPRIA
ARCHIDIŒCESIS
SANCTÆ FIDEI BOGOTENSIS.

PARS AUTUMNALIS.

Die 30. Augusti.

S. Rosæ Limanæ Virg.

Patronæ Princip. Americæ.

Duplex 1. cl. cum Oct.

In I. Vesperis.

Antiph. de Laudibus. 13*

Ps. de Comm. Virg.

Capitulum. Sap. 8.

Hanc amávi, et exquisívi a juventúte mea, et quæsívi sponsam mihi eam assúmere, et amátor factus sum formæ illíus, ait Dóminus omnípotens.

Hymnus.

Tellúris omnes íncolæ
Rosæ plaudant solémniis:
Ejúsque laudes cóncinant
A solis ortu ad Hésperum.

Hæc a paréntis úbere
Prævénta donis grátiæ,
Deóque plena, víndicem
Armávit in se déxteram.

Miris modis innóxios
Afflíxit artus, spíneis
Cinxit coróllis vérticem,
Cibósque felle pólluit.

Nunc læta, pœniténtiæ
Largo potítur præmio:
Novúmque psallit cánticũ,
Agni sequens vestígia.

Horum Datóri múnerum
Sit laus, decúsque pérpetim:
Qui trinus unus ómnia
Regit Deus per sæcula. Amẽ.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Ad Magnif. Ant. Benedícta tu a Deo tuo, Rosa, in omni tabernáculo Jacob:

Digitized by Google

quóniam in omni gente, quæ audíerit nomen tuum, super te Deus Israël magnificábitur.

Oratio.

Bonórum ómnium largítor, omnípotens Deus, qui beátam Rosam, cœléstis grátiæ rore prævéntam, virginitátis, et patiéntiæ decóre Indis floréscere voluísti: da nobis fámulis tuis; ut in odórem suavitátis ejus curréntes, Christi bonus odor éffici mereámur. Per eúmdem Dñm.

Ad Matutinum.

Invit. Regem sempitérnum, veníte adorémus: * Qui Rosam cordis sui digne pro méritis coronávit in cœlis.

Ps. Veníte exsultémus.

Hymnus.

Limána regum cívitas
Regále munus édidit.
Rosam Deo gratíssimam,
Cœléstis oræ flósculum.

Vicit nitóre sídera,
Pulsa soli calígine:
Et par beátis méntibus,
Numen gerébat péctore.

Porténta, vel ludíbria
Sævæ stygis non hórruit:
Sedítque solitária
Turbam perósa, et sæculũ.

Nos, o Beáta, réspice,
Tuis vacántes laúdibus:
Et, expiátis sórdibus,
Duc ad supérna gaúdia.

Sit, Christe, Sponse Vírginum,
Tibi, Patríque glória
Cum Spíritu Paráclito
In sæculórum sæcula. Amẽ.

In I. Nocturno.

Ant. Rosam tuam, Dómine, minuísti paulo minus ab Angelis: quia glória, et honóre coronásti eam.

Ps. III Noct. de Coñ. Virg.

Ant. Tamquam sponsus, procédens de thálamo suo, in Rosa pósuit tabernáculum suum.

Ant. Rosa ínnocens mánibus, et mundo corde, ascéndet in montem Dñi, et stabit in loco sancto ejus.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

De Cánticis Canticórum.

Lectio i. Cap. 2.

Ego flos campi, et lílium convállium. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias. Sicut malus inter ligna silvárum, sic diléctus meus inter fílios. Sub umbra illíus, quem desiderá-

Digitized by Google

veram, sedi: et fructus ejus dulcis gútturi meo. Introdúxit me in cellam vináriam, ordinávit in me caritátem. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis, quia amóre lángueo. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. Adjúro vos, fíliæ Jerúsalem, per cápreas, cervósque campórum, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam, quoadúsque ipsa velit.

℟. Atténdite, pópuli, de longe: Dóminus ab útero vocávit me: de ventre matris meæ. * Recordátus est nóminis mei. ℣. Magnus Pastor óvium in sánguine testaménti ætérni próprias oves vocat nominátim, et edúcit eas. Recordátus.

De libro Proverbiórum

Lectio ii. Cap. 8.

Ego diligéntes me díligo: et qui mane vígilant ad me, invénient me. Mecum sunt divítiæ et glória, opes supérbæ, et justítia. Mélior est enim fructus meus auro, et lápide pretióso, et genímina mea argénto elécto. In viis justítiæ ámbulo, in médio semitárum judícii, ut ditem diligéntes me, et thesaúros eórum répleam. Dóminus possédit me in ínitio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum, et ex antíquis, ántequam terra fíeret.

℟. Datum est Rosæ nomen mélius a fíliis et filiábus, nomen novum. * Quod os Dóminæ nominávit. ℣. Dabo illi cálculum cándidum, et in cálculo nomen novum. Quod.

De libro Ecclesiástici.

Lectio iii. Cap. 39.

Obaudíte me divíni fructus, et quasi rosa plantáta super rivos aquárum fructificáte. Quasi Líbanus odórem suavitátis habéte. Floréte flores, quasi lílium, et date odórem, et frondéte in grátiam, et collaudáte cánticum, et benedícite Dóminum in opéribus suis. Date nómini ejus magnificéntiam, et confitémini illi in voce labiórum vestrórum, et in cánticis labiórum, et cítharis, et sic dicétis in confessióne: Opera Dómini univérsa bona valde.

Digitized by Google

℟. Ego quasi storax, et gálbanus, et quasi Líbanus non incísus vaporávit habitatiónem meam: * Quasi bálsamum non mixtum * Odor meus. ℣. Dedit Indica Rosa odórem suavitátis, et domus impléta est ex odóre unguénti. Quasi. Glória Patri. Odor.

In II. Nocturno.

Ant. Omnis glória Rosæ ab intus in vestítu deauráto, circumamícta varietáte: ídeo concupívit rex spéciem ejus.

Ant. Adjúvit Rosam Dóminus mane dilúculo, et in médio cordis ejus non commovébitur.

Ant. Fundaménta Rosæ in móntibus sanctis: et ipse fundávit eam Altíssimus super ómnia tabernácula Jacob.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non coḿovébitur.

Lectio iv.

Ex Actis, et Bulla Beatif.

Primus Americæ Meridionális flos sanctitátis, virgo Rosa, christiánis paréntibus Limæ progénita, mox ab incunábulis cláruit futúræ sanctimóniæ indíciis. Nam vultus infántis, mirabíliter in rosæ effígiem transfigurátus, huic nómini occasiónem dedit, cui póstea Virgo Deípara cognómen adjécit, jubens, vocári deínceps Rosam a sancta María. Quinquénnis votum perpétuæ virginitátis emísit. Adúltior, ne a paréntibus ad núptias cogerétur, clam sibimet venustíssimam cápitis cæsáriem præscídit. Jejúniis supra humánum modum addícta, íntegras Quadragésimas transégit pane ábstinens, ac diétim solis quinque gránulis mali citríni víctitans.

℟. Non conferétur hæc Rosa tinctis Indiæ colóribus, nec dábitur aurum obrízum pro ea: * Quóniam omne aurum in comparatióne illíus aréna est exígua. ℣. Glória, et divítiæ in domo ejus, et justítia ejus manet in sæculum sæculi. Quóniam.

Lectio v.

Hábitu tértii órdinis sancti Domínici assúmpto, prístinas vitæ austeritátes duplicávit. Oblóngo, as-

Digitized by Google

perrimóque cilício sparsim minúsculas acus innéxuit: sub velo corónam, densis acúleis intrórsus obarmátam, intérdiu noctúque gestávit. Sanctæ Catharínæ Senénsis árdua premens vestígia, caténa férrea, tríplici nexu circumdúcta, lumbos cinxit. Léctulum sibi e truncis nodósis compósuit, horúmque vácuas commissúras fragmínibus testárum implévit. Céllulam sibi angustíssimam struxit in extrémo horti ángulo: ubi cœléstium contemplatióni dédita, crebris disciplínis, inédia, vigíliis corpúsculum exténuans, at spíritu vegetáta, larvas dæmonum, frequénti certámine victrix, impávide protrívit, ac superávit.

℟. Fecit sibi secrétum cubículum in quo clausa morabátur, et habens super lumbos suos cilícium. * Jejunábat ómnibus diébus vitæ suæ. ℣. Virgo Rosa cogitábat, quæ Dómini sunt: ut esset sancta córpore, et spíritu. Jejunábat.

Lectio vi.

Ægritúdinum torméntis, domesticórum insúltibus, linguárum mórsibus dire agitáta, nondum satis pro mérito se afflígi querebátur. Per quíndecim annos, ad plúsculas horas desolatióne spíritus et ariditáte misérrime contabéscens, forti ánimo tulit agónes omni morte amarióres. Exínde cœpit supérnis abundáre delíciis, illustrári visiónibus, colliquéscere seráphicis ardóribus. Angelo tutelári, sanctæ Catharínæ Senénsi, Vírgini Deíparæ inter assíduas apparitiónes mire familiáris, a Christo has voces audíre méruit: Rosa cordis mei, tu mihi sponsa esto. Dénique Sponsi hujus paradíso felíciter invéctam, plurimísque ante et post óbitum miráculis corúscam, Clemens décimus Póntifex Máximus sanctárum Vírginum catálogo ritu solémni adscrípsit.

℟. Benedícta tu, Fília, a Deo excélso: quia non pepercísti ánimæ tuæ propter angústias, et tribulatiónem géneris tui: * Sed subvenísti ruínæ: * Ante conspéctum Dei nostri. ℣. Curásti gentem tuam, et liberásti eam a perditióne. Sed subve-

Digitized by Google

nísti. Glória Patri. Ante conspéctum.

In III. Nocturno.

Ant. Surgénte Rosa, gaudébant campi, et ómnia, quæ in eis sunt: exsultábant ómnia ligna silvárum.

Ant. Exsúltet terra, et læténtur ínsulæ multæ: quia vidérunt omnes pópuli glóriam sanctificatiónis ejus.

Ant. Moveátur mare et plenitúdo ejus, orbis terrárum, et qui hábitant in eo: quia Dóminus in Rosa mirabília fecit.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus turbis parábolam hanc: Símile est regnum cœlórum grano sinápis, quod accípiens homo seminávit in agro suo. Et réliqua.

Homília sancti Petri Chrysólogi.

In Cap. 13. Matth.

Audístis, fratres, quēádmodum grano sinápis tota regni cœléstis comparáta est magnitúdo. Quærens Christus in cœlo, et in terra, nihil invénit nisi granum sinápis, in quo poténtiam totam supérnæ dominatiónis inclúdat: et illud regnum singularitáte potens, æternitáte felix, divinitáte fulgens, diffúsum toto cœlo, tota terra dilatátum, in grano sinápis coárctat, et cogit angústias. Spes ista est credéntium? Exspectátio ista est fidélium summa? Ista est felícitas vírginum, longis continéntiæ labóribus comparáta? Fratres, non fácile Domínicis moveámur in dictis. Nam si infírmum Dei fórtius est homínibus; hoc mínimum Dei tota magnitúdine mundi magnificéntius invenítur: si modo hoc granum sinápis nos sic nostris seminémus in méntibus, ut intelligéntiæ nobis magnam in árborem crescat.

℟. Diléxit Rosa decórem domus Dei, et locum habitatiónis glóriæ ejus: ídeo * Requiéscet in monte sancto ejus. ℣. Non discedébat de templo, jejúniis, et obsecratiónibus sérviens

Digitized by Google

nocte et die. Requiéscet in monte.

Lectio viii.

Grani ergo sinápis instar est regnum Dei, quod de supérnis affértur verbo, suscípitur audítu, fide séritur, credulitáte radicátur, spe crescit, confessióne diffúnditur, virtúte ténditur, et dilatátur in ramos, ad quos vocat aves cœli, id est, spirituáles sensus, atque in ipsis eas quiéta súscipit mansióne. Véniat hæréticus, véniat, quia redeúntibus Ecclésiæ semper patéscit ingréssus. Véniat, aúdiat, et pietáti Domínicæ jam désinat oblatráre. Si cœléstis regni majéstas omnis ad grani sinápis similitúdinem venit, quid quæritur, quod Deus ad hóminem, Dóminus servi descéndit ad formam? Sic enim venit, ut tibi totum per fidem crésceret, cui jam totum defécerat per natúram.

℟. Veni de Líbano, Rosa cordis mei, veni de Líbano, Sponsa: * Veni, coronáberis de vértice Sanir, et Hermon. ℣. Média nocte clamor factus est: Ecce Sponsus venit. Veni. Glória Patri. Veni.

Lectio ix.

Sed atténdite, quia Christus est regnum cœlórum, qui velut granum sinápis, in hortum virgínei córporis missus, orbe toto Crucis in árborem crevit, ac tantum dedit fructus sui sapórem, cum tériter passióne, ut quidquid est vitále, suo saporáret, et condíret attáctu. Nam sicut in integritáte grani sinápis virtus habétur occúlta; appáret vero virtus ejus vehementíssime si terátur: ita Christus córpore teri vóluit, qui suam nóluit latére virtútem. Et nos fratres, terámus istud granum sinápis ut ejus vim in hac similitúdine sentiámus. Terámus granum illud, ut ora nostra ferventia vívida fructu sui sapóris succéndat, et flammétur in péctore: atque nostræ ignoránti̇æ totum nobis aúferat sua degustatióne fastídium.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

et per Horas.

Ant. 1. Mirábilis in altis Dóminus, ut sponsam suam

Digitized by Google

mirificáret, decórem indútus est, præcíngens se virtúte.

Ps. Dóminus regnávit. cum reliqu. de Domin.

2. In lætítia et exsultatióne sérviens Deo beáta Rosa, introívit in átria ejus.

3. Exsultávit Rosa in velaménto alárum tuárum, quia suscépit eam déxtera tua.

4. Benedícat omnis imber, et ros Dómino, qui Rosam benedictióne irrigávit de superióribus suis.

5. Laudent nomen Dómini aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, ubi Rosa vernat, plantáta juxta rivos aquárum.

Capitulum. Sap. 8.

Hanc amávi, et exquisívi a juventúte mea, et quæsívi sponsam mihi eam assúmere, et amátor factus formæ illíus, ait Dóminus omnípotens.

Hymnus.

Auróra cœlum púrpurat,
Rosísque mane cóncolor,
Laudes sacrátæ Vírginis
Rosæ monet nos páng̃ere.

Hanc ergo laudent Angeli,
Et omnis ordo Cœlitum,
Laudent chori mortálium,
Ubíque gestis ínclytam.

Hanc primam amóris víctimam
Admóvit aris India,
Orbis juvámen præpotens,
Exémplar innocéntiæ.

Dat cæcis luce pérfrui,
Solvítque linguæ víncula,
Claudos jacéntes érigit,
Morbis medétur ómnibus.

Jugis tibi laus, Trínitas,
Reddátur omni témpore,
Et cum Rosa nos pértrahe
Ad nuptiále gaúdium.
Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Ant. O Rosa odorífera spargens ubíque virtútum odórem, fac nos ejus, qua fruéris, lucis, suavitatísque partícipes.

Ad Tertiam.

Capit. Hanc amávi.

℟. br. Spécie tua * Et pulchritúdine tua. Spécie. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Et. Glória Patri. Spécie.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in mé-

Digitized by Google

dio ejus, non commovébitur.

Ad Sextam.

Capitulum. Eccli. 39.

Obaudíte me, divíni fructus, et quasi rosa plantáta super rivos aquárum fructificáte, quasi Líbanus odórem suavitátis habéte.

℟. br. Adjuvábit eam * Deus vultu suo. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus, non coṁovébitur. Deus. Glória Patri. Adjuvábit.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Ad Nonam.

Capitulum. Eccli. 39.

Floréte, flores, quasi lílium, et date odórem, et frondéte in grátiam: collaudáte cánticum, et benedícite Dóminum in opéribus suis.

℟. br. Elégit eam Deus, * Et præelégit eam. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et præelégit. Glória Patri. Elégit.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

In II. Vesperis.

Omnia ut in I. excepto ℣. Diffúsa. de Communi.

Ad Magnif. Ant. Rosa soror nostra bene sit nobis propter te, et vivat ánima nostra ob grátiam tui.

Die 1. Septembris.

Tertia die infra octavam

S. Rosæ Virg.

Semiduplex.

Omnia ut in festo præter sequ. Lectiones.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Ambrósii Epíscopi.

Liber 1. de Virgine.

Lectio iv.

Ego licet laudatiónem non suscéperim virginitátis, sed expressiónem; ad rem tamen pertinére árbitror, ut quæ sit ei pátria, quis auctor, appáreat. Ac prius ubi sit pátria definiámus. Si enim ibi est pátria, ubi genitále domicílium: in cœlo profécto est pátria castitátis: ítaque hic ádvena, ibi íncola est. Quid autem est cástitas virginális, nisi expers contagiónis intégri-

Digitized by Google

tas? Atque ejus auctórem quem póssumus existimáre, nisi immaculátum Dei Fílium, cujus caro non vidit corruptiónem, divínitas non est expérta contagiónem? ℟. Non conferétur.

Lectio v.

Vidéte ígitur, quanta virginitátis mérita sint. Christus ante vírginem, Christus ex vírgine; a Patre quidem natus ante sæcula, sed ex vírgine natus ob sæcula. Illud natúræ suæ, hoc nostræ utilitátis est. Illud erat semper, hoc esse vóluit. Spectáte áliud virginitátis méritum, Christus virgo vírginis sponsus, et si dici potest, Christus virgíneæ castitátis. Virgínitas enim Christi, non virginitátis est Christus. Virgo est ergo quæ nupsit, virgo quæ nos suo útero portávit, virgo quæ génuit, virgo quæ próprio lacte nutrívit. Sed jam a matre descendámus ad fílias.

℟. Fecit sibi.

Lectio vi.

De vírgínibus, inquit Apóstolus, præcéptum Dómini non hábeo, consílium autem do. Si Doctor Géntium non hábuit, habére quis pótuit? Et præcéptum quidem non hábuit, sed hábuit exémplum: non enim imperári potest virgínitas, sed optári. Nam quæ supra nos sunt, in voto magis quam in magistério sunt. Sed volo vos, inquit, sine sollicitúdine esse: nam qui sine uxóre est, sollícitus est quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Et vírgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore et spíritu. Non ego quidem dissuádeo matrimónium, sed virginitátis attéxo benefícium. ℟. Benedícta.

In III. Nocturno Homilia in Evang. ut in festo.

Comm. S. Ægidii Abb. et Ss. Duod. Fratr. Mm. ut in Brev.

Die 2. Septembris.

S. Antonini Martyris.

Duplex.

Omnia ut in Propr. Hispan. eadem die. Et fit comm. Oct. S. Rosæ.

Die 3. Septembris.

S. Stephani Regis Conf.

Semiduplex.

Omnia ut in Brev. Romano die 2. Sept. cum comem. Oct. S. Rosæ Lim. Virg.

Digitized by Google

Die 4. Septembris.

Sexta die infra Octavam

S. Rosæ.

Semiduplex.

Omnia ut in festo præter sequ. Lectiones.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo S. Augustíni Epísc. De sancta Virginit. cap. 2.

Lectio iv.

Cum univérsa Ecclésia virgo sit desponsáta uni viro Christo, sicut dicit Apóstolus, quanto digna sunt honóre membra ejus, quæ hoc custódiunt étiam in ipsa carne, quod tota custódit in fide, quæ imitátur matrem viri et Dómini sui? Nam Ecclésia quoque et mater et virgo est. Cujus enim integritáti consúlimus, si virgo non est? aut cujus prolem alloquimur, si mater non est? María corporáliter caput hujus córporis péperit: Ecclésia spiritáliter membra illíus cápitis parit. In utráque virgínitas fœcunditátem non ímpedit: in utráque fœcúnditas virginitátem non ádimit.

℟. Non conferétur.

Lectio v. Cap. 13.

Virginális autem intégritas, et per piam continéntiam ab omni concúbitu immúnitas, Angélica pórtio est, et in carne corruptíbili incorruptiónis perpétuæ meditátio. Cedat huic omnis fœcúnditas carnis, omnis pudicítia conjugális. Illa non est in potestáte, illa non est in ætérnitáte. Fœcunditátem carnálem non habet líberum arbítrium, pudicítiam conjugálem non habet cœlum. Profécto habébunt magnum áliquid præter céteros in illa commúni immortalitáte, qui habent áliquid jam non carnis in carne.

℟. Fecit sibi.

Lectio vi. Cap. 27.

Sequímini Agnum quocúmque íerit, scripsit ille de vobis. Quo ire putámus hunc Agnum? quo nemo eum sequi vel aúdeat, vel váleat, nisi vos vírgines. Quo putámus eum ire? in quos saltus et prata? Ubi, credo, sunt grándia gaúdia, non gaúdia sæculi hujus vana, insániæ mendáces, nec gaúdia, quália in ipso regno Dei céteris non vir-

Digitized by Google

gínibus erunt, sed a ceterórum ómnium gaudiórum sorte distíncta. Gaúdium vírginum Christi, est de Christo, in Christo, cum Christo, post Christum, per Christum, propter Christum. Gaúdia própria vírginum Christi non sunt éadem non vírginum, quamvis Christi; nam sunt áliis ália, sed nullis tália. Ite in hæc, sequímini Agnum, quia et Agni caro útique virgo. Sequímini virginitáte cordis et carnis, quocúmque íerit. Quid est eum sequi, nisi imitári?

℟. **Benedícta.**

In III. Nocturno Homilia in Evang. ut in festo.

Die 5. Septembris.

S. Victorini Episc. Mart. Patr. min. princip.

(In civitate Duplex maj.)

In diœcesi Duplex.

Omnia de Communi unius Mart. Oratio. **Deus qui nos.**

In civitate in I. Noct. Lect. **A Miléto.** de Communi.

In diœcesi Lect. de Script. occurrente.

In II. Noct. **Príncipes persecúti.** de Comm. 2. loco.

In III. Nocturno Lectiones de Homilia in Evang. **Si quis vult.** de Comm. unius Mart. 2. loco.

Et fit comm. Oct. S. Rosæ Lim. Virg.

Die 6. Septembris.

Octava **S. Rosæ** Vírginis: Duplex.

Omnia ut in die, præter sequ.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Injúrias, et derisiónes a quocúmque illátas beáta Rosa non solum æquanímiter, et cum gaúdio excipiébat, sed, multo majóribus se dignam exístimans, culpas, quæ sibi imputabántur, extóllere et amplificáre solébat, ac si rea ómnium críminum foret, et ab ómnibus déspici atque afflígi mererétur. Nihil autem moléstius ferébat, quam próprias laudes, quas non solum innáta sibi modéstia, animíque demissióne, tamquam indébitas, respuébat, sed iis audítis, quasi acutíssimo gládio transverberáta, mísero ejulátu, ac lácrimis se gravíssime torquéri indicábat. Si qua advérsitas, si qua calámitas domi vel foris contin-

Digitized by Google

gébat, hanc illa suis delíctis sério adscribébat, et se ómnium infelicíssimam peccatrícem íntimo cordis afféctu réputans, hoc ítidem ab áliis credi, ánxie desiderábat.

℟. Non conferétur.

Lectio v.

Morbos celábat, quibus assídue vexabátur, ne sibi remédia, vel solátia adhiberéntur. Noctúrno témpore, nec áëris intempériem timens, nec frígoris asperitátem, sæpe per hortum longam, magníque pónderis crucem húmeris ferens, nudis pédibus ambulábat. Vita Vírginis Rosæ contínuum martýrium, eo atrócius, quo magis prolíxum fuit. Quod si aliquándo superiórum império acérrimas sui castigatiónes, aut intermíttere, aut moderári cogebátur, illórum præcépto statim obédiens, ália sibi torménta inferébat, iis excogitándis ingeniósa, in tolerándis constantíssima.

℟. Fecit sibi.

Lectio vi.

Cilícium nacta, ex acútis equórum setis dense contéxtum, et infra génua proténsum, infíxis ácubus, diu gestávit, donec jussa illud depónere, saccum villósum, et crassum pro indúsio índuit, cujus póndere, et scabrítie graváta, ad síngulos membrórum motus incredíbili dolóre angebátur. Ut læsi Núminis iram placáret, pœnas, peccatóribus infligéndas, ab innóxio suo córpore exigébat, se flagéllis diríssime cædens, ut illis misericórdiam impetráret. Ne vero pédibus, ad quos nec cilícium, nec vérbera pertingébant, suum deésset supplícium, eos nudos succénsi clíbani flamis exponébat, et inde erumpénte ardóris vi, sævíssime excruciábat, ádeo, ut in ea a planta pedis usque ad vérticem cápitis nihil a pœnis vacáret.

℟. Benedícta tu.

In III. Nocturno Homilia in Evang. ut in festo.

Die 7. Septembris.

S. Laurentii Justiniani

Episc. Confess.

Semiduplex.

Omnia ut in Breviario Rom. die 5. hujus.

Digitized by Google

Die 9. Septembris.

S. Petri Claver Conf.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis in Breviario Rom. eadem die.

Die 19. Septembris.

Commemoratio

S. Joseph Confessoris, Sponsi B. M. V.

Duplex.

In I. Vesperis.

Antiph. 1.

Jacob autem génuit Joseph, virum Maríæ, de qua natus est Jesus, qui vocátur Christus.

Psalmi ut in I. Vesperis de Comm. Apost.

2. Missus est Angelus Gábriel a Deo ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María.

3. Cum esset desponsáta Mater Jesu María Joseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu sancto.

4. Joseph, vir ejus, cum esset justus, et nollet eam tradúcere, vóluit occúlte dimíttere eam.

5. Angelus Dómini appáruit Joseph, dicens: Joseph, fili David, noli timére accípere Maríam, cónjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spíritu sancto est: páriet autem fílium, et vocábis nomen ejus Jesum.

Capitulum. Prov. 28. et 27.

Vir fidélis multum laudábitur; et qui custos est Dómini sui, glorificábitur.

Hymnus.

Te, Joseph, célebrent ágmina cœlitum,
Te cuncti résonent christíadum chori,
Qui clarus méritis, junctus es ínclytæ
Casto fœdere Vírgini.

Almo cum túmidam gérmine cónjugem
Admírans, dúbio tángeris ánxius,
Afflátu súperi Fláminis Angelus
Concéptum púerum docet.

Tu natum Dóminum stringis, ad éxteras
Ægýpti prófugum tu séqueris plagas;
Amíssum Sólymis quæris, et ínvenis,
Miscens gaúdia flétibus.

Digitized by Google

Post mortem réliquos
mors pia cónsecrat,
Palmámque eméritos glória súscipit:
Tu vivens, súperis par, frúeris Deo,
Mira sorte beátior.
Nobis, summa Trias, parce precántibus:
Da Joseph méritis sídera scándere:
Ut tandem líceat nos tibi pérpetim
Gratum prómere cánticum.
Amen.

℣. Constítuit eum dóminum domus suæ. ℟. Et príncipem omnis possessiónis suæ.

Ad Magnif. Ant. Exsúrgens Joseph a somno, fecit sicut præcépit ei Angelus Dómini, et accépit cónjugẽ suam.

Oratio.

Sanctíssimæ Genitrícis tuæ Sponsi, quæsumus Dómine, méritis adjuvémur: ut, quod possibílitas nostra non óbtinet, ejus nobis intercessióne donétur: Qui vivis et regnas.

Et fit commem. Feriæ.

Ad Matutinum.

Invit. Christum Dei Fílium, qui putári dignátus est fílius Joseph, * Veníte, adorémus.

Ps. Veníte exsultémus.

Hymnus. Te Joseph. 20*

In I. Nocturno.

Ant. Ascéndit Joseph a Galilæa de civitáte Názareth in Judæam, in civitátem David, quæ vocátur Béthlehem, ut profiterétur cum María.

Psalmi trium Nocturnorum de Comm. Conf. non Pont.

Ant. Venérunt pastóres festinántes: et invenérunt Maríam et Joseph, et infántem pósitum in præsépio.

Ant. Ecce Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe púerum, et matrem ejus, et fuge in Ægýptum.

℣. Constítuit eum dóminum domus suæ. ℟. Et príncipem omnis possessiónis suæ.

Lectiones de Scriptura occurrente. In Feria IV. Temp. Lect. Beátus vir. de Communi Conf. non Pont. 2. loco.

℟. i. Fuit Dóminus cum Joseph, et dedit ei grátiam in conspéctu príncipis cárceris: * Qui trádidit in manu illíus univérsos vinctos.

℣. Quidquid fiébat, sub

Digitized by Google

ipso erat: Dóminus enim erat cum illo, et ómnia ópera ejus dirigébat. Qui.

℟. ii. Esuriénte terra Ægýpti, clamávit pópulus ad regem aliménta petens. Quibus ille respóndit: * Ite ad Joseph, et quidquid vobis díxerit, fácite. ℣. Crescébat quotídie fames in omni terra, aperuítque Joseph univérsa hórrea, et vendébat Ægýptiis. Ite.

℟. iii. Fecit me Dóminus quasi patrem regis, et dóminum univérsæ domus ejus: nolíte pavére: * Pro salúte enim vestra misit me Deus ante vos in Ægýptum. ℣. Veníte ad me, et ego dabo vobis ómnia bona Ægýpti, et comedétis medúllam terræ. Pro salúte. Glória Patri. Pro salúte.

In II. Nocturno.

Ant. Consúrgens Joseph, accépit púerum et matrem ejus nocte, et secéssit in Ægýptum: et erat ibi usque ad óbitum Heródis.

Ant. Defúncto Heróde, Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph in Ægýpto, dicens: Surge, et áccipe púerum et matrem ejus, et vade in terram Israël: defúncti sunt enim qui quærébant ánimam púeri.

Ant. Accépit Joseph púerum et matrem ejus, et venit in terram Israël.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Sermo S. Bernárdi Abbátis.

Homilia 2. super Missus.

Lectio iv.

Quis, et qualis homo fúerit beátus Joseph, cónjice ex appellatióne, qua, licet dispensatória, méruit honorári ádeo, ut pater Dei et dictus et créditus sit: cónjice et ex próprio vocábulo, quod Augméntum non dúbitas interpretári. Simul et meménto magni illíus quondam Patriárchæ vénditi in Ægýpto, et scito ipsíus istum non solum vocábulum fuísse sortítum, sed et castimóniam adéptum, innocéntiam assecútum et grátiam.

℟. Ascéndit Joseph a Galiláea de civitáte Názareth in Judæam, in civitátem David, quæ vocátur Béth-

Digitized by Google

lehem: * Eo quod esset de domo et família David. ℣. Ut profiterétur cum María desponsáta sibi uxóre. Eo.

Lectio v.

Síquidem ille Joseph, fratérna ex invídia vénditus, et ductus in Ægýptum, Christi venditiónem præfigurávit: iste Joseph, Herodiánam invídiam fúgiens, Christum in Ægýptum portávit. Ille dómino suo fidem servans, dóminæ nóluit commiscéri: iste dóminam suam, Dómini sui Matrem, Vírginem agnóscens, et ipse cóntinens, fidéliter custodívit. Illi data est intelligéntia in mystériis somniórum: isti datum est cónscium fieri atque partícipem cœléstium sacramentórum.

℟. Surge et áccipe púerum et matrem ejus, et fuge in Ægýptum: * Et esto ibi, usque dum dicam tibi. ℣. Ut adimplerétur quod dictum est a Dómino per Prophétam dicéntem: Ex Ægýpto vocávi fílium meum. Et.

Lectio vi.

Ille fruménta servávit non sibi, sed omni pópulo: iste panem vivum e cœlo servándum accépit tam sibi, quam toti mundo. Non est dúbium, quin bonus et fidélis homo fúerit iste Joseph, cui Mater desponsáta est Salvatóris. Fidélis, inquam, servus et prudens, quem constítuit Dóminus suæ Matris solátium, suæ carnis nutrítium, solum dénique in terris magni consílii coadjutórem fidelíssimum.

℟. Cum indúcerent púerum Jesum paréntes ejus, ut fácerent secúndum consuetúdinem legis pro eo: * Accépit eum Símeon in ulnas suas, et benedíxit Deum. ℣. Et erat pater ejus, et mater miréntes super his quæ dicebántur de illo. Accépit. Glória Patri. Accépit.

In III. Nocturno.

Ant. Aúdiens Joseph quod Archeláus regnáret in Judæa pro Heróde patre suo, tímuit illo ire.

Ant. Admónitus in somnis Joseph secéssit in partes Galilææ, et véniens habitávit in civitáte quæ vocátur Názareth: ut adimplerétur quod dictum est

Digitized by Google

per Prophétas: Quóniam Nazaræus vocábitur.

Ant. Erat pater Jesu et mater miréntes super his quæ dicebántur de illo; et benedíxit illis Símeon.

℣. Justus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 1. c.

Cum esset desponsáta mater Jesu María Joseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu sancto. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbýteri.

Lib. 1. Comm. in c. 1. Matth.

Quare non de símplici vírgine, sed de desponsáta concípitur? Primum, ut per generatiónem Joseph orígo Maríæ monstrarétur: secúndo, ne lapidarétur a Judæis ut adúltera: tértio, ut in Ægýptum fúgiens habéret solátium. Martyr Ignátius étiam quartam áddidit causam, cur a desponsáta concéptus sit: Ut partus, ínquiens, ejus celarétur diábolo, dum eum putat non de vírgine, sed de uxóre generátum.

℟. Dicit Mater Jesu ad illum: Fili, quid fecísti nobis sic? * Ecce pater tuus, et ego doléntes quærebámus te. ℣. Et ait ad illos: Quid est quod me quærebátis? nesciebátis quia in his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse? Ecce.

Lectio viii.

Antequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu sancto. Non ab álio invénta est, nisi a Joseph, qui pene licéntia maritáli futúræ uxóris ómnia nóverat. Quod autem dícitur: Antequam convenírent, non séquitur ut póstea convénerint: sed Scriptúra, quod factum non sit, osténdit.

℟. Descéndit Jesus cum eis, et venit Názareth: * Et erat súbditus illis. ℣. Proficiébat sapiéntia, et ætáte, et grátia apud Deum et hómines. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

Joseph autem vir ejus, cum esset justus, et nollet eam tradúcere, vóluit occúlte dimíttere eam. Si quis for-

Digitized by Google

nicáriæ conjúngitur, unum corpus efficitur: et in lege præcéptum est, non solum reos, sed et cónscios críminum obnóxios esse peccáti: quómodo Joseph, cum crimen celáret uxóris, justus scríbitur? Sed hoc testimónium Maríæ est, quod Joseph sciens illíus castitátem, et admírans quod evénerat, celat siléntio, cujus mystérium nesciébat.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes et per Horas.

Ant. 1. Ibant paréntes Jesu * per ómnes annos in Jerúsalem, in die solémni Paschæ.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Cum redírent, * remánsit puer Jesus in Jerúsalem et non cognovérunt paréntes ejus.

3. Non inveniéntes * Jesum, regréssi sunt in Jerúsalem, requiréntes eum; et post tríduum invenérunt illum in templo, sedéntem in médio doctórum, audiéntem, et interrogántem eos.

4. Dixit mater ejus * ad illum: Fili, quid fecísti nobis sic? Ecce pater tuus et ego doléntes quærebámus te.

5. Descéndit Jesus * cum eis, et venit Názareth, et erat súbditus illis.

Capitulum. Prov. 28. et 27.

Vir fidélis multum laudábitur; et qui custos est Dómini sui, glorificábitur.

Hymnus.

Cœlitum, Joseph, decus atque nostræ
Certa spes vitæ, columénque mundi,
Quas tibi læti cánimus, benígnus
Súscipe laudes.

Te sator rerum státuit pudícæ
Vírginis sponsum, voluítque Verbi
Te patrem dici, dedit et minístrum
Esse salútis.

Tu Redemptórem stábulo jacéntem,
Quem chorus vatum cécinit futúrum,
Aspicis gaudens, humilísque natum
Numen adóras.

Rex Deus regum, Domínator orbis,
Cujus ad nutum tremit inferórum
Turba, cui pronus famulátur æther,
Se tibi súbdit.

Laus sit excélsæ Tríadi perénnis,
Quæ tibi præbens súperos honóres,
Det tuis nobis méritis beátæ
Gaúdia vitæ. Amen.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Ad Bened. Ant. Ipse Jesus erat incípiens quasi annórum trigínta, ut putabátur fílius Joseph.

Oratio.

Sanctíssimæ Genitrícis tuæ Sponsi, quæsumus Dómine, méritis adjuvémur: ut, quod possibílitas nostra non óbtinet, ejus nobis intercessióne donétur: Qui vivis et regnas.

Ad Tertiam.

Capit. Vir fidélis. ut supra.

℟. br. **Constítuit eum * Dóminum domus suæ. Constítuit. ℣. Et príncipem omnis possessiónis suæ. Dóminum. Glória. Constítuit.**

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Ad Sextam.

Capitulum. Eccli. 45.

Diléctus Deo et homínibus, cujus memória in benedictióne est. In fide et lenitáte ipsíus sanctum fecit illum, et elégit eum ex omni carne.

℟. br. **Magna est glória ejus * In salutári tuo. Magna. ℣. Glóriam et magnum decórem impónes super eum. In. Glória. Magna.**

℣. Justus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Ad Nonam.

Capitulum. Sap. 10.

Prófugum justum dedúxit Sapiéntia per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus.

℟. br. **Justus germinábit * Sicut lílium. Justus. ℣. Et florébit in ætérnum ante Dóminum. Sicut. Glória Patri. Justus.**

℣. Plantátus in domo Dómini. ℟. In átriis domus Dei nostri.

In II. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud., Ps. et Hymn. ut in I. Vesp.

℣. Glória et divítiæ in domo ejus. ℟. Et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Digitized by Google

Ad Magnif. Ant. **Ecce fidélis servus, et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam.**

Die 25. Septembris.
B. Mariæ de Cervellione
Virginis.
Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis in Breviario Rom. die 22. Sept.

Die 26. Septembris.
Ss. Januarii et **Soc.** Mart.
Duplex.

Omnia ut in Breviario Rom. die 19. hujus.

Die 28. Septembris.
B. Simonis de Roxas
Confessoris.
Duplex.

Omnia ut in Propr. Hispan. eadem die.

Die 3. Octobris.
S. Wenceslai Martyris.
Semiduplex.

Omnia ut in Breviario Rom. die 28. Sept.

Die 5. Octobris.
S. Froylani Episc. Conf.
Duplex.

Omnia ut in Propr. Hispan. eadem die.

Die 10. Octobris.
S. Ludovici Bertrandi
Conf. Patr. Princ. Ditionis.
Dupl. 1. cl. cum Oct.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis in Breviario Rom. exceptis Lect. I. Noct., quæ sumendæ sunt ex Comm. Conf. non Pont. I. loco, nempe: **Justus si morte.**

Die 11. Octobris.
S. Francisci Borgiæ
Confessoris.
Duplex.

Omnia ut in Brev. Rom. die 10. hujus cum comem. Octav. S. Ludovici. In I. Vesp. Ant. **Hic vir.** ℣. **Justum.** In Laud. Antiph. **Similábo.** ℣. **Amávit eum.** In II. Vesp. Ant. **Euge serve.** ℣. **Amávit.**

Die 12. Octobris.
B. M. V. de Columna.
Duplex majus.

Omnia ut in Festis B. M. V. per annum exceptis Lect. sequ.

In II. Nocturno.
De Sermóne S. Augustíni Epíscopi.
Serm. 18. de Sanctis.
Lectio iv.

Adest nobis, dilectíssimi, optátus dies commemoratiónis beátæ ac venerábilis sem-

per Vírginis Maríæ: ídeo cum summa exsultatióne gaúdeat terra nostra, tantæ Vírginis illustráta solemnitáte. Hæc est enim flos campi, de qua ortum est pretiósum lílium convállium, per cujus partum mutátur natúra protoplastórum, delétur et culpa. Præcísum est in ea illud Hevæ infelicitátis elógium, quo dícitur: In dolóre páries fílios tuos: quia ista in lætítia Dóminum péperit. Heva luxit, ista exsultávit. Heva lácrimas, María gaúdium in ventre portávit: quia illa peccatórem, ista édidit innocéntem.

℟. Sicut cedrus.

Lectio v.

O beáta Mater, quis tibi digna váleat jura gratiárum, ac laudum præcónia repéndere, quæ singulári tuo assénsu mundo succurrísti pérdito? Accipe ítaque quascúmque éxsiles, quascúmque méritis tuis ímpares gratiárum actiónes: et cum suscéperis vota, culpas nostras orándo excúsa. Admítte nostras preces intra sacrárium exauditiónis, et repórta nobis antídotum reconciliatiónis. Accipe quod offérimus, redóna quod rogámus, excúsa quod timémus: quia tu es spes única peccatórum. Per te sperámus véniam delictórum, et in te, beatíssima, nostrórum est exspectátio præmiórum.

℟. Quæ est ista.

Lectio vi.

Et profécto sperándum nobis ac præcípue lætándum est, quibus insígni benefício peculiárem súimet obtinéndi patrocínii fidúciam clementíssima Virgo concéssit. Ut enim pia et antíqua traditio habet, cum Jacóbus Apóstolus, Major nuncupátus, divíno consílio in Hispániam appulísset, et aliquámdiu Cæsaraugústæ substitísset, ipsi cum áliquot discípulis noctu ad Ibéri flúminis ripam oránti, beáta Virgo, dum adhuc in humánis ágeret, appáruit, ibíque ut sacéllum exstrúeret, eídem injúnxit. Quare nihil cunctátus Apóstolus, discípulis opem feréntibus, ædículam Deo in ipsíus Vírginis honórem dicávit. Huic autem procedéntibus sæculis ámplius

Digitized by Google

et augústius templum accéssit, quod a simulácro Deíparæ, pilæ e mármore superstánte, atque ibídem máxima totíus regni pietáte, ac frequéntia veneráto, a Colúmna olim accéptum nomen hisce quoque tempóribus rétinet. Utque débitus Deo cultus, ac fervens jam erga Vírginem populórum devótio ubérius in dies increméntum accípiat, Clemens duodécimus Póntifex Máximus per univérsas regi cathólico subjéctas ditiónes ejúsdem commemoratiónis offícium die duodécima Octóbris celebrári indúlsit. Póstea vero Summus Póntifex Pius séptimus hanc festivitátem ad ritum primæ classis cum octáva elevávit, officiúmque próprium in ea recitári posse concéssit, sed pro toto regno Arragóniæ tantum, ac novíssime Pius nonus Póntifex Máximus cleménter déferens férvidis votis quamplúrium antístitum Hispánicæ ditiónis, qui anno millésimo octingentésimo sexagésimo secúndo Romæ morabántur occasióne solémnis canonizatiónis sanctórum Mártyrum Japonénsium, et sancti Michaélis de Sanctis Confessóris, indúlsit ut idem Offícium cum Missa Deíparæ ab ómnibus in tota Hispánia ad horas canónicas recitándas astrictis persolverétur.

℟. Ornátam monílibus.

In III. Nocturno Lectiones de Homil. in Evang. Loquénte Jesu. ut in Festis B. M. V.

Commem. Oct. S. Ludovici.

Die 15. Octobris.

S. Teresiæ Virginis.

Duplex.

Omnia ut in Propr. Hispan. eadem die.

Die 16. Octobris.

Septima die infra Oct.

S. Ludovici Bertrandi

Confessoris.

Semiduplex.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo S. Bernárdi Abbátis.

Serm. 1. de S. Victore.

Lectio iv.

Sancti Ludovíci vita, et glória speciális, non tam ad glóriam, quam ad virtútem próvocat omnes, qui recto sunt corde.

Digitized by Google

Non recti plane, sed pervérsi est ánimi, ante quærere glóriam, quam exercére virtútem, et velle coronári, qui legítime non certáverit. Vanum est vobis, inquit, ante lucem súrgere. Ita est. Frustra ad celsitúdinem nítitur glóriæ, qui prius non cláruit virtúte. Frustra fátuæ vírgines sponso óbviam surgunt, quarum lámpades exstinguúntur: et ídeo fátuæ, quia vácuis gloriántur lampádibus, virtútis óleum non habéntes.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Virtus gradus ad glóriam: virtus mater glóriæ est. Fallax glória, et vana est pulchritúdo, quam illa non parturívit. Sola est, cui glória jure debétur, et secúre impénditur. Sancto Ludovíco nec virtus, nec glória deest: sed quemádmodum ambæ res, et quo órdine in hómine processérunt, id óperæ prétium intuéri. Habémus enim, dilectíssimi, in vita Ludovíci et quod digne mirémur, et quod salúbriter imitémur. Tútius sane æmulánda solidióra, quam sublimióra, et quæ magis virtútem redóleant, glóriam minus. Studeámus proínde móribus conformári, cui in mirabílibus similári, etsi vólumus, non valémus.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Æmulémur in viro sóbrium victum, devótum afféctum: æmulémur mansuetúdinem spíritus, castimóniam córporis, oris custódiam, ánimi puritátem, pónere frænum iræ, et modum linguæ, dormíre párcius, oráre frequéntius, commonére nosmetípsos psalmis, hymnis, et cánticis spirituálibus, diébus júngere noctes, et divínis laúdibus occupáre; æmulémur charísmata melióra. Æmulémur, inquam, quod éxstitit liberális in paúperes, pátiens ad peccántes, benígnus ad omnes. Hoc enim mélius. In his forma est, cui imprimámur: in miráculis glória, a qua reprimámur. Illa lætíficent, ista ædíficent: móveant illa, ista promóveant.

℟. Iste homo.

Digitized by Google

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua.

De Homilía sancti Petri Chrysólogi.

Ex Sermone 24.

Discumbénti hómini Deus adstat in cœléstibus; epulánti servo servit Dóminus, et servit accínctus: púeris suis, minístris suis ministérium facit Christus, et facit in Patris jam glória constitútus. Homo calumniáris: est adhuc quod detúlerit Patri, qui tibi in terra lavándo pedes extrémum repræsentávit obséquium, et repromíttit in cœléstibus novíssimam servitútem. Ille tibi in cœléstibus parat convívium, se minístro: et tu illi in terra non désinis contínuas ingérere et generáre blasphémias.

℟. Iste est qui.

Lectio viii.

Páciet et ille tránsitus suos, quia tránsiens ministrábit illis: de dominatióne ad fidélium suórum pia tránsiet et migrábit obséquia; ad te de misericórdi Patre severíssimum transíbit in júdicem. Confiténtibus, exspectántibus ministrábit épulas; ministrábit et tibi, sed dignam de tua negatióne sententiam. Si in secúnda et tértia vigília vénerit. Vigílias mundus plures, tres tantum vigílias novit exspectátio Trinitátis. Quare tamen a secúnda cœpit, et tácuit primam? Quia prima jam vigília in ortu Domínicæ nativitátis excésserat.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Probant hoc pastóres, qui dum súpra gregem suum vígilant, gregis ipsum pastórem in præsépio invenire, vidére, tenére meréntur, et auctórem. Sed quæ sit secúnda et tértia vigília requirámus. Sicut útique prima vigília est sui ortus in carne, ita secúnda est vigília, qua nostra redit et resuscitátur in carne. Dénique ut ad resurgéntem véniat, ánnuus excitátur et evígilat mundus. Tértia vi-

Digitized by Google

gília est illa, qua exspectátio tota novíssimo veniéntis finítur advéntu: ut sicut ille resurréxit nobis, ita nos illi jam perpétuam resurgámus ad vitam.

Te Deum laudámus.

Die 17. Octobris.

Octavà **S. Ludovici** Conf. Duplex.

Omnia ut in die, præter sequ. In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

De Sermóne S. Bernárdi Abbátis.

Serm. 2. de S. Victore.

Lectio iv.

Gaudéte in Dómino, dilectíssimi, qui inter contínua suæ pietátis benefícia indúlsit hóminem mundo, cujus multi salvaréntur exémplo. Iterum dico: Gaudéte, quod factus de médio appropiávit Deo, ut multo plures ejus intercessióne salvéntur. In terris visus est, ut esset exémplo: in cœlum levátus est, ut sit patrocínio. Hic infórmat ad vitam; illic invítat ad glóriam: factus est mediátor ad regnum, qui fuit incitátor ad opus. Bonus mediátor, qui sibi jam póstulans nihil, totum in nos transférre desíderat et supplicántis afféctum, et supplicatiónis fructum: quid enim quærat sibi, qui nullíus eget?

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Hæc dies gloriósæ migratiónis ejus, dies lætítiæ cordis ejus, exsultémus et lætémur in ea: introívit in poténtias Dómini, gaudeámus, quia nunc poténtior est ad salvándum. Hódie Ludovícus, pósito córpore, tanto alácrior, quanto expedítior penetrávit in sancta, símilis factus in glória sanctórum. Hódie, despécto mundo, et mundi príncipe triumpháto, supra mundum vere victor ascéndit, accípiens de manu Dómini corónam victóriæ. Ascéndit autem cum imménsa supelléctili meritórum, clarus triúmphis, miráculis gloriósus: sedet veteránus miles, débita jam suavitáte et securitáte quiétus; secúrus quidem sibi, sed nostri sollícitus. O venerándam étiam

Digitized by Google

ipsis Angelis sanctitátem! quam pari stúdio, etsi díspari voluntáte, et mali fúgitant, et frequéntant boni! Nec fácile díxerim, quid virum ástruat sanctiórem, horum favor, aut pavor illórum.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

O miles emérite, qui christiánæ milítiæ duris labóribus angélicæ felicitátis réquiem commutásti! réspice ad imbélles et imbecílles commilitónes tuos, qui inter hostíles gládios et spiritáles nequítias tuis laúdibus occupámur. Quam pium, quam dulce, quam suáve, o Ludovíce, in hoc loco afflictiónis et in hoc córpore mortis te cánere, te cólere, te precári! Nomen tuum, et memoriále tuum favus distíllans in lábiis captivórum; mel et lac sub lingua eórum, qui tui memória delectántur. Eja ergo, fortis athléta, dulcis patróne, advocáte fidélis, exsúrge in adjutórium nobis, ut et nos de nostra ereptióne gaudeámus, et tu de plena victória gloriéris. ℟. Iste homo.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homilía sancti Fulgéntii Epíscopi.

Ex Sermone de Confess.

Si istum Dómini sermónem secúndum lítteram velímus accípere, nihil in eo cómmodi spiritális póssumus invenire. Quid enim próficit ad ánimæ salútem, si áliquis corporáliter aut lumbos præcíngat, aut lucérnam accéndat? In lumbis ítaque concupiscéntia carnális osténditur, in lucérnis vero fides et cáritas christiána monstrátur. Jubens ígitur Dóminus lumbos nostros præcíngi, concupiscéntias carnis sine dúbio præcipit refrænári. Imperans autem ut lucérnas ardéntes habeámus, hoc útique jubet, ut et lúmine veræ fídei splendeámus, et sanctæ caritátis opéribus ferveámus.

℟. Iste est qui.

Digitized by Google

Lectio viii.

Ista, quæ de evangélio proposúimus, cum prophéticis sermónibus conferámus. Utrúmque enim testaméntum Deus instítuit, unus Dóminus dedit: etsi sunt utriúsque testaménti divérsa pro tempóribus sacraménta, concórdat tamen in utróque salútis humánæ sententia, qua præcípitur, ut non peccémus, et jubétur, ut bonis opéribus insistámus. Per Isaíam Dóminus omnes his ádmonet verbis: Auférte malum cogitatiónum vestrárum ab óculis meis, quiéscite pervérse ágere, díscite benefácere. Quid est enim, Sint lumbi vestri præcíncti, nisi, quiéscite ágere pervérse? Quid est, Sint lucérnæ ardéntes, nisi, díscite benefácere?

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Præcingúntur enim fidélium lumbi, dum concupiscéntia mala comprímitur, dum iníqua cogitátio cohíbetur, dum libídini resístit ánimus, dum lascíviæ denegátur efféctus, dum calcátur luxúria, dum avarítia contémnitur et rapína, dum próximi læsio devitátur, dum supérbia víncitur, dum invídia superátur. Ardent vero lucérnæ fidélium, dum rectæ fídei régulam servant, dum in sinu matris Ecclésiæ longanímiter persevérant, dum terréna contémnunt, et cœléstia concupíscunt, dum sollíciti pacem custódiunt, dum se ínvicem pure díligunt, dum mútuo se honóre prævéniunt, dum mansuetúdine cordis et humilitáte proficiunt, dum misericórdiæ ópera libénter atque hiláriter fáciunt, dumque in opéribus bonis, non homínibus, sed Deo placére conténdunt.

Te Deum laudámus.

Die 19. Octobris.

Comemoratio

S. Joseph Confessoris Sponsi B. M. V.

Duplex.

Officium ut die 19. Septbr. pag. 20*

Digitized by Google

Die 21. Octobris.

Ss. Ursulæ et **Soc.** Virg. Martyrum.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis in Breviario Rom. eadem die.

Die 22. Octobris.

S. Mariæ Salome Vid.

Duplex.

Omnia de Comm. nec Virg. nec Mart. præter sequ.

Oratio.

Dómine Jesu, pro cujus amóre beáta Salóme inter primas tibi fidéles ómnia dimísit et te sepúltum venerári curávit: concéde propítius; ut ejus imitatióne tecum consepúlti ætérnæ resurrectiónis partícipes éffici mereámur: Qui vivis et regnas.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Salóme, uxor Zebedæi, et perillústrium Apostolórum Jacóbi majóris et Joánnis Evangelístæ spectábilis mater, una fuit ex primis sanctis muliéribus devotíssimis Christi sequácibus, quæ tanta elúxit fide, ut ætáte licet longæva, et omni destitúta solátio, libénter adhuc paterétur líberos illos, a quibus únicum sperábat auxílium, abésse sibi, ut Christo adhærérent, et témpore prædicatiónis suæ eídem astárent. Rogánte tamen ipsa Christum Jesum, ut fíliis suis primas sedes in regno daret, interrogávit Christus ejus fílios, num cálicem, quem bibitúrus esset, bíbere et ipsi potuíssent. Illísque parátos sese exhibéntibus Christus inquit: Cálicem meum bibétis; sedére autem ad déxteram meam vel sinístram non est meum dare vobis, sed quibus parátum est a Patre meo.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Fuit étiam beáta Salóme una ex illis muliéribus, quæ insígne fídei suæ spécimen dedérunt, cum Jesum Christum ad Calvárium tendéntem et in patíbulum crucis elátum comitátæ sunt. Una étiam fuit, quæ comparátis aromátibus ad condiéndum corpus Christi sub auróram do-

Digitized by Google

mínicæ diéi ad ejus monuméntum accédens Angelum ibi vidit fulgénti fácie et cándida veste super lápidem sepúlchri sedéntem, a quo primum audívit Jesum resurrexísse, et digna ínsuper fuit, ut ab Angelo una cum áliis duábus muliéribus elígerétur in núntiam mystérii resurrectiónis Christi, monitúra discípulos, ut in Galilæam pérgerent, si eum vellent redivívum vidére.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Proficiscénti beátæ Salóme una cum sóciis suis ad Angeli mandátum impléndum occúrrit Jesus in itínere redivívus, et benignissimum eis Ave dixit. Cujus quidem glorióso aspéctu primum pertérrita, mox recreáta, se humi prostérnens eum adorávit, et quem flagrantíssimi amóris desidério paulo ante quæsíverat, sed non invénerat, non solum vidére tunc atque audíre, verum étiam et própriis mánibus pedes ejus tenére méruit. His cœléstibus donis ditáta, constans in fide, spe dives, caritáte potens, persecutiónes invícta súperans, usque in finem persevérans, ad cœléstia regna migrávit.

℟. Fallax grátia.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 20.

In illo témpore: Accéssit ad Jesum mater filiórum Zebedæi cum fíliis suis, adórans et petens áliquid ab eo. Et réliqua.

Homília sancti Fulgéntii Epíscopi.

Serm. de filiis Zebedæi.

Qui sedet super Chérubim, appáret coram Ephraïm et Bénjamin et Manásse. Hoc audíerat et legéndo didícerat beáta mater filiórum Zebedæi, et intelléxit Dóminum super Chérubim sedéntem, quia magnam póssidet dignitátem. Accédit illumináda: adórat ut ancílla. Póstulat non dona terréna, sed vota cœléstia. Dóminus est enim cœlórum, a quo cœléste flágitat desidérium. Dic, inquit, ut sédeant hi duo fílii mei, unus ad déxteram tuam, et alter ad si-

Digitized by Google

nístram tuam in regno tuo. Dic, inquit, in verbo tuo, et efféctus próficit voto meo. Dixísti, et factum est cœlum. Dic, et parábitur fíliis meis thronus, claritúdo thronórum. O múlier conditióne! Sed, quia mater es pietáte, humánam supergréssa es dignitátem. Christus de cruce prædicábat, et illa ímpérium cognoscébat. Ille dicébat: Ecce ascéndimus Jerosólymam, et fílius hóminis tradétur, ut crucifigátur: et illa interpellátrix accésserat dúlcium filiórum. O múlier filiórum beáta! Sanctórum méritum præcessísti beatórum, et honórem prætergréssa es Angelórum: non tibi súfficit, quia fílios tuos feci excélsos prædicatóres, quos ínopes nutríeras piscatóres? Post rétia cœlum, post hamum evangélium, post navicéllam póstulas thronum?

℟. Os suum.

Lectio viii.

Dómini étiam vox est monéntis, terréntis, idque firmántis. Vigiláte, inquit, et oráte, ut digni efficiámini effúgere ómnia, quæ ventúra sunt, et stetis ante Fílium hóminis. Et tu fíliis tuis thronos póstulas majestátis! Da véniam, mater, admiránte ista dícimus, non culpántes. Noli, inquit beáta mater, noli tamquam impossibílium me cúpidam judicáre. Dóminus mihi tríbuit istam ávidam voluntátem, qui regni sui díligit violéntos; et solos odit, qui potentári cúpiunt super egénos. Regnum, inquit, cœlórum vim pátitur, et qui vim fáciunt dirípiunt illud. Quia hoc dignátur amáre, hoc ab eo ausa sum postuláre. Ab illo audívi: Pétite, et accipiétis; quærite, et inveniétis; pulsáte, et aperiétur vobis. Dum patet, pulso: dum accípere licet, peto: dum tempus est, quæro. Audívi étiam dictum: Quærite Dóminum, dum inveníri potest, ne tunc quærátis, quando inveníri non potest.

℟. Regnum mundi.

Lectio ix.

Modo, modo, dum in forma appáret servi, dum pátiens est usque ad mortem crucis: dum privátum gerit vultum, et necdum incénsæ sunt ab illo

Digitized by Google

scintíllæ carbónum. Céterum, cum cœperint præcédere veniéntem Angelum tubæ, et voce magna quando virtútes cœli commovebúntur, interpellátio ibi quid fáciet mulíeris? Dum commovébitur ignis in circúitu ejus et tempéstas válida, mea quid præváleant desidéria? Pótero ad ígneum accédere thronum congregátis ad judícium legiónibus peccatórum? Ideo modo videns eum in ista humilitáte istam prærípere cúpio sponsiónem; sed Dóminum meum aúdiam respondéntem: Dic jam, Dómine, ut sédeant tecum fílii mei in latéribus regni tui.

Te Deum laudámus.

Die 23. Octobris.

S. Petri Paschasii

Episc. Mart.

Duplex.

Omnia ut in Propr. Hispan. eadem die.

Die 24. Octobris.

S. Raphaëlis Archang.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis in Breviario Rom. eadem die.

Die 25. Octobris.

S. Petri de Alcantara

Confessoris.

Duplex.

Omnia ut in Brev. Romano die 19. hujus. Et fit comm. Ss. Chrysanthi et Dariæ Mm. cum ix. Lectione ut ibid. hac die.

Die 26. Octobris.

Ss. Servandi et Germani

Martyrum.

Duplex.

Omnia ut in Propr. Hispan. die 23. Octobris. Et fit comm. cum ix. Lectione S. Evaristi Papæ Mart. ut in Breviario Romano hac die.

Die 27. Octobris.

S. Fructi Confessoris.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter sequ.

Oratio.

Adésto, Dómine, pópulo tuo: ut beáti Fructi Confessóris tui mérita præclára suscípiens, ad impetrándam misericórdiam tuam semper ejus patrocíniis adjuvétur. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

Digitized by Google

In II. Nocturno.

Lectio iv.

ructus, civis Segovi-énsis, mundi fúgiens illécebras, peccáta quibus implicáta erat Hispánia perhorréscens, amplíssimo património paupéribus distribúto in vastam erémum territórii Septempublicénsis secéssit. Ubi a sæculi curis abstráctus angélicam vitam duxit, duobúsque frátribus Valentíno et Engrátia comítibus adhíbitis monásticam vitam mirífice excóluit. Vix dici potest, quæ et quanta sit loci aspéritas. Solum enim accipítribus pérvia, junípe-ris referta, Oasim magnam vel Líbyæ solitúdines rédolet. Ibi vigíliis, jejúniis et oratiónibus inténtus, pro suis et totíus pópuli peccátis assídue Dóminum deprecabátur. Corporéque longa inédia, cilício et chameúnia in servitútem spíritus redácto, in máximam cœléstium pervénit contemplatiónem.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Quibus et áliis præcláris virtútibus auctus, Deo diléctus, homínibus carus, Saracénis fídei inimícis infénsus esse cœpit, quos ille zelo fídei accénsus a nefária Mahométi secta ópere et sermóne avértere conabátur. At illi, univérsa jam austráli Hispánia vastáta, réliquas civitátes, templa, ipsam religiónem populabúndi, imménso eum occidéndi flagrántes desidério, ad paúperem ejus céllulam accessérunt. Ille autem divína fultus virtúte, martýrii cupidíssimus, illis óbviam factus (Deo sic volénte) non solum ictus impiórum evásit, sed rupis interruptióne, (quæ adhuc íntegra persevérat) elúsit; júreque cum prophéta occínuit: Non timébo míllia pópuli circumdántis me, quia Dóminus susceptor meus.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Multis ergo pro Christo exáctis labóribus, tandem plenus diérum provectéque ætátis, añum agens septuagésimum tértium, octávo Kaléndas Novémbris, anno salútis septingentésimo décimo quinto

Digitized by Google

obdormívit in Dómino. Cujus mors quamplúrimis est nobilitáta miráculis. Multi enim a váriis languóribus deténti ejus intercessióne prístinam salútem adépti sunt. Inter quæ illud est mirábile, quod múlier, quæ devotiónis ergo mónachis monastérii (quod ex céllula sancti viri munificéntia régia eréctum est) inserviébat, ob zelotýpiam viri ex altíssimo loco præceps data incólumis et illæsa eváserit, magníficans Deum, qui gloriósus est in sanctis suis. Unde factum est, ut recépta ex Mauris ínclyta cívitas Segoviénsis et post multa témporum currícula quasi jure postlimínii in cathedrálem restitúta, sub Callíxto secúndo anno Dómini millésimo centésimo vigésimo tértio eum titulárem sibi ascíverit, de tantóque patróno gloriétur. Cujus auspíciis ingéntia a Dómino quotídie percépit benefícia, quem decet glória et impérium in sæcula sæculórum. Amen.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 19. d.

In illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te: Quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

Declaratio de evangelii hujus verbis.

Arbitror verba lectiónis hujus ea esse, de quibus ad immortálem sponsum a fínibus terræ clamat ecclésia: Propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras. Hæc nempe sunt verba, quæ contémptum mundi in univérso mundo et voluntáriam persuasére homínibus paupertátem. Hæc sunt, quæ mónachis claustra replent, desérta anachorétis. Hæc, inquam, sunt verba, quæ Ægýptum spóliant, et óptima quæque ejus vasa dirípiunt. Hic sermo vivus et éfficax, convértens ánimas felíci æmulatióne sanctitátis et veritátis promissióne fidéli.

℟. Iste est qui.

Digitized by Google

Lectio viii.

Nam et mundus transit et concupiscéntia ejus; et relínquere hæc magis éxpedit quam relínqui. Ecce, inquit, nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te. Nimírum quia exsultávit ut gigas ad curréndam viam, nec curréntem sequi póterat onerátus. Sed nec inútilis commutátio pro eo, qui super ómnia est, ómnia reliquísse. Nam et simul cum eo donántur ómnia, et, ubi apprehénderis eum, erit unus ipse ómnia in ómnibus, qui pro ipso ómnia reliquérunt. Omnia sane díxerim, non tántum possessiónes, sed étiam cupiditátes, et eas máxime. Plus enim concupiscéntia mundi, quam substántia nocet.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Age ergo, qui relínquere univérsa dispónis, te quoque inter relinquénda narráre meménto. Imo vero máxime et principáliter ábnega temetípsum, si delíberas sequi eum, qui exinanívit propter te semetípsum. Pone gravíssimam sárcinam, pone asináriam molam, terrénam molem. Pone illa quinque, non hóminum plane juga, sed boum, quæ tibi insipiénter emísti. Alióquin sequi sponsum et veníre ad núptias spirituáles, quinária hac pressus et oppréssus córporis sensualitáte, non póteris: sed etsi novíssime véneris et pulsáveris, mínime profécto aperiétur tibi.

℣. Te Deum laudámus.

Die 29. Octobris.

S. Narcissi Episc. Mart.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart., præter sequ.

Oratio.

Deus, qui beátum Narcíssum, Mártyrem tuum atque Pontíficem, illústri laúrea decorásti, ejúsque corpus admirábili integritáte claríficas: concéde propítius; ut ejus deprecatióne tuo muníti præsídio incorrúpta gaúdia felicitátis ætérnæ consequámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

Digitized by Google

In II. Nocturno.
Lectio iv.

Sanctíssimus Pater, et Epíscopus noster Narcíssus, quo témpore fervébat Diocletiáni persecútio, in Rhætiam provínciam, divíno mónitu, cum Felíce diácono suo proféctus, Augústam Vindelicórum áppulit. Quo cum pervenísset, ad Afræ domicílium divértit. Afra vero, etsi méretrix, compérto tamen eum esse christianórum epíscopum, Dei spíritu commóta, resípuit, et ad illíus pedes se abjécit. Bono autem ánimo esse jussa, cum Narcísso et Felíce in oratióne pernoctávit. Circa autem noctis gallicínium, cum lumen candélæ exstínctum esset, oránte Narcísso, lux e cœlo delápsa diversórium occupávit. Orto jam sole, Narcíssum et Felícem occultávit Afra, et indagatóres ab infidélibus missos elúsit. Pulso póstea inde dæmone, qui semel iterúmque se vidéndum præbúerat, multa patráta sunt a Narcísso mirácula, quibus Afram, et ejus ancíllas, Dignam, Eunómiam, et Eutrópiam, Hilariámque ejus matrem ad fidem convértit, et salutári aqua perfúdit.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

In ea urbe aliquámdiu cum Felíce commorátus Narcíssus, multos ad christiánam religiónem alléxit, et consecráta in Dei cultum Hiláriæ domo, et Dionýsio, ántea Zózimo, Afræ avúnculo, ad sacerdótium evécto, et epíscopo creáto, post novem menses in excoléndis ínibi ánimis consúmptos, revérsus est Gerúndam, atque ibi, tamquam in legítimo solo, íntegrum triénnium pósuit in amplificánda Christi fide. Quo ex labóre collégit ubérrimos fructus. Sed cum adhuc eo témpore Diocletiáni crudélitas ubíque terrárum in Ecclésiam sævíret, sanctíssimus póntifex, dum sacris operarétur, gráviter in gútture, húmero, ac sura vulnerátus, martýrii palmam obtínuit, quarto Kaléndas Novémbris, anno círciter ducentésimo nonagésimo séptimo.

℟. Desidérium ánimæ.

Digitized by Google

Lectio vi.

Ejus corpus a christiánis subdúctum, in eódem templo, ubi passus ipse est, religióse asservátur, quod olim sancta María extra muros dicebátur, póstea vero in honórem sancti Felícis Mártyris Africáni dicátum est. Cláruit multis miráculis, præsértim prodigiósa quadam integritáte, ad hodiérnum usque diem, rubescénte étiam nunc circa talum eo cruóre, qui e vúlnere deflúxit. Fuit étiam illud celebérrimum, quando sub Petro Arragóniæ rege, capta per Philíppum, Gallórum regem, Gerúnda, emíssa sunt divínitus ex Narcíssi túmulo ultrícum muscárum exámina, quæ mortíferis acúleis, édita ingénti strage, violáti per summum nefas templi ac sepúlchri víndices exstitére.

℟. Stola jucunditátis.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. Cap. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit, ipsum solum manet. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia 65. in Joannem.

Quid signat granum fruménti, nisi cadens mórtuum fúerit? De cruce lóquitur, ne perturbaréntur. Cum gentíles accessérunt, tunc mórtuum esse hoc inquit, máxime pópulos addúcet, et mei augébit præcónium. Inde cum non ita verbis persuadéret, rerum experiéntia id aggréditur, ínquiens, hoc in fruménto contíngere, ut mórtuum majórem fructum áfferat. Quod si hoc in semínibus evénit, multo magis in me. Sed non intellexérunt discípuli, quid díceret; ídeo frequénter idem répetit Evangelísta, excúsans quod póstmodum fugérunt.

℟. Coróna aúrea.

Lectio viii.

Talem de resurrectióne dísputans ratiónem Paulus áttulit. Quam ígitur habébunt excusatiónem, qui resurrectiónem non cre-

Digitized by Google

dunt, cum in semínibus et plantis quotídie hoc videámus, ac étiam in nostro génere? Primum enim corrúmpi semen opórtet, inde fíeri generatiónem. Omníno autem, cum Deus áliquid facit, nulla opus est ratióne. Quómodo nos ex níhilo fecit? Hoc ad christiános dico, qui se dicunt crédere Scriptúris. Ego autem et áliud dicam ab humánis ratiónibus. Alii malítiam, álii virtútem sectántur: sed malítiæ sectatórum multi felíciter in últimam pervenérunt senectútem, virtútis autem e contra.

℟. Hic est vere.

Lectio ix.

Quómodo ergo pro méritis unusquísque accípiet? Quando? Certe, ínquiunt, sed córpora non resúrgent. Nonne aúdiunt Paulum dicéntem: Opórtet autem corruptíbile hoc indúere incorruptiónem? Neque ánimam intélligit, quippe quæ non corrúmpitur, et resurréctio de mórtuo dícitur: Cécidit autem corpus. Quare vero córporis resurrectiónem negas? An non possíbilis Deo est? Quod dícere, summæ amentiæ est. An non decet? Quamóbrem? Ut corruptíbile, quod et labóris est et mortis párticeps, in præmiis commúnicet.

Te Deum laudámus.

Die 30. Octobris.

S. Hedwigis Viduæ.

Semiduplex.

Omnia ut in Breviario Rom. die 17. Octobris.

Dominica II. Octobris.

Maternitatis B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis in Breviario Rom. eadem Dominica.

Domin. III. Octobris.

Puritatis B. Mariæ V.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis in Breviario Rom. eadem Dominica.

Die 3. Novembris.

Ss. Innumerabilium Mm. Cæsaraugustæ.

Duplex.

Omnia ut in Propr. Hispan. eadem die.

Digitized by Google

Die 5. Novembris.

B. Martini de Porres

Confessoris.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pont. præter sequ.

Oratio.

Deus, humílium celsitúdo, qui beátum Martínum Confessórem tuum ad cœléstia regna transíre fecísti: ejus méritis, et intercessióne concéde; nos ejus humilitátem ita imitári in terris, ut cum ipso exaltári mereámur in cœlis. Per Dóminum nostrum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

artínus Limæ in América meridionáli ex nóbili paránte Joánne de Porres, et Anna Velásquez, anno reparátæ salútis millésimo quingentésimo septuagésimo nono ortum hábuit. Ab ineúnte ætáte, miro morum candóre, futúræ exímiæ sanctitátis indícia præbuit. Virtútes enim modéstiæ, humilitátis, ac in paúperes liberalitátis, puerítiam ejus ómnibus admirábilem reddidérunt. Adoléscens vero, júgiter cum eo erga próximos, præsértim ægrótos, adolévit comiserátio: ideóque arti chirúrgicæ omne impéndit stúdium, ut absque ullo emoluménto sanitátem impertíret, quod ei sæpíssime pro voto cessit. Cáritas Dei ut magis magísque in corde suo diffunderétur, mundi honóres, et oblectaménta abhórrens, patérnæ domus oblítus, Tértium sancti Patriárchæ Domínici órdinem amplécti, ac inter láicos operários recenséri enixe postulávit, quod ei ex senténtia páriter succéssit. Absolúto tyrocínio, summa ómnium admiratióne, ac solémnibus votis nuncupátis, quis enarráre póterit quo stúdio, qua solértia omnígenas, quæ religiósum perféctum constítuunt, virtútes cólere, et prósequi conténderit? Humilitátem ádeo diligébat, ut vilióra, et abjectióra quæque cœnóbii offícia semper in delíciis habúerit obíre, peccatórem máximum se appellári, flexis génibus pedes eórum deosculári,

Digitized by Google

qui maledíctis eum oneráre audébant.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Quamvis ab spontánea vel levi ánimæ mácula remótus, numquam désiit assíduis jejúniis carnem suam excruciáre, cilíciis, et caténis férreis diro modo cruentáre, ut rectíssime ásseri possit quod mortificatiónem Jesu in suo córpore circumférret. Tanto in divínum humánæ salútis Reparatórem æstuábat amóre, ut aliquándo visus sit ante imáginem Jesu Christi e cruce pendéntis précibus inténtus, sublátus a terra ad eum evoláre, tamquam plaga láteris ejus adhuc sánguinem scaturísset, admótis lábiis eam súgere, et máxima aviditáte satiári voluísset. Nil ígitur mirum si ex hoc perénni divíni amóris fonte inebriátus, nónnisi de cœléstibus loquerétur, quibus et suum et aliórum corda inflammáre ardentíssime exoptábat. Martýrii palmæ cupidíssimus, Japóni et Sinárum impéria pétere in optátis habébat, ut inter hostíles ethnicórum manus, profúso sánguine, Christi hóstia éffici mererétur. Hac vero inexplébili in Deum caritáte, síngulos cujúsque conditiónis hómines complectebátur, et máxime ægrótos, et præsértim moriéntes, quibus ómnia consolatiónis offícia ex corde præstáre studébat. Quum vero pátriæ suæ tam miránda caritátis argumenta præbéret, uno eodémque témpore compassívi amóris igne incénsus erga míseros captívos in Africa degéntes, miro prorsus prodígio sæpius illic adésse visus est, ut eos confortáret, providéret, eorúmque captivitátis caténas dissólveret. Accidit ut quum unus ex illis génere Hispánus, postquam Martíno auxiliánte, libertátem recuperávit Júliæ Cæsaréæ, non post multum témporis spátium, Limæ eum vidísset, grati ánimi sensu commótus, ceu insígnem suum liberatórem salutáverit, et accéptum benefícium, Martíno reluctánte, ómnibus prædicáre non destíterit.

℟. Amávit eum.

Digitized by Google

Lectio vi.

Veheménter angebátur nothos vidére puérulos, aliósque líberos paréntibus orbátos máximis óbrui malis, quibus reparándis, Limæ, ut ad pietátem, et honestátem institueréntur, percélebre collégium ad hoc excitándum curávit. Eo quoque procéssit ejus humanitátis sensus, ut vel bruta ipsa animália suam óperam salutárem curámque continéntēr fúerint expérta. Deus vero tam excelléntem servi sui caritátem supérnis donis mirum in modum exornáre sibi complácuit. Divíno hinc lúmine collustrátus, et futúra prædíxit, et córdium abscóndita cognóvit, et dǽmonum artes, furentésque ímpetus detéxit, ac profligávit, et licet rudis et ignárus, gravíssimas theológicas quæstiónes sic dirimébat, ut vel ipsi doctíssimi viri admiraréntur, ejúsque sapiéntiam divínitus haustam celebrárent. Dignus prætérea a Deo rédditus, ut cum cœlítibus collóquia habéret, multis coruscáret miráculis, et tandem extrémum ætérnæ suæ retributiónis diem appropinquáre cognósceret, quem plúries ei clare maniféstum fecit. Morbo ítaque diútino corréptus, ut omnes cœnóbii religiósi sibi moriénti adéssent eníxe postulávit, a quibus, de cunctis ab eo accéptis offénsis, véniam pétiit. Defíxis dein in Crucifíxi imágine óculis, quam præ mánibus tenébat, ad ea verba Sýmboli, quod astántes recitábant: Verbum caro factum est, imágine Crucifíxi in péctore depósita, seréna fronte, hilaríque vultu innocéntem ánimam réddidit Creatóri, anno millésimo sexcentésimo trigésimo nono, tértio Nonas Novémbris, anno ætátis suæ sexagésimo. Multis vivens, et post óbitum miráculis cláruit. Quibus rite ágnitis, ac probátis, Gregórius décimus sextus Póntifex Máximus illum beatórum albo accénsuit, ejúsque festum cum Offício et Missa in univérso Prædicatórum Ordine, et Limána diœcési celebrári concéssit.

℟. Iste homo.

Digitized by Google

In III. Nocturno Homilia in Evangel. **Confíteor tibi Pater.** de Communi Abbat. 2. loco.

Die 13. Novembris.
S. Stanislai Kostkæ
Confessoris.
Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis in Breviario Rom. eadem die.

Die 15. Novembris.
S. Gertrudis Virginis.
Duplex.

Omnia ut in Propr. Hispan. pro principatu Catalauniæ eadem die.

Die 16. Novembris.
S. Eugenii Episc. et Mart.
Duplex.

Omnia ut in Propr. Hispan. die 15. Novembris.

Die 17. Novembris.
Ss. Aciscli et **Victoriæ**
Martyrum.
Duplex.

Omnia ut in Propr. Hispan. eadem die.

Die 19. Novembris.
S. Elisabeth Vid. Patron. princip. Archidiœceseos.
Duplex 1. cl. cum Oct.

Omnia ut in Breviario Rom. eadem die, omissa commem. S. Pontiani P. M. In I. Noct. Lectiones **Mulierem fortem.** de Comm. nec Virg. nec Mart.

Die 26. Novembris.
Octava **S. Elisabeth** Vid.
Duplex.

Omnia ut in die, præter sequ. Commem. S. Petri Alexandrini Episc. Mart.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.
De Sermóne S. Augustíni Epíscopi.
Serm. 54. de divers. cap. 12.

Lectio iv.

Duplícia pállia fecit viro suo. Jam acclamátis, credo, quod agnóscitis quæ sunt duplícia pállia. Laudes sunt, laudes fídei, laudes confessiónis, laudes prædicatiónis. Quare duplícia? Christum laudas, Deum laudas et hóminem. Duplíciter lauda, simplíciter lauda. Duplíciter, quia homo est, et Deus; simplíciter, ut non sis fictus. Confitére Deum, confitére hóminem: lauda Deum in hómine, lauda hóminem in Deo. Téxuit pretiosíssimum illud pállium laudis: In princípio erat Verbum,

Digitized by Google

et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in princípio apud Deum. Téxuit et áliud pállium, propter conversatiónem inter hómines quotidiánam: Verbum caro factum est, et habitávit in nobis.

℟. Propter veritátem.

Lectio v. Cap. 16.

Hic ergo ista laboriósa, vígilans, sollícita, sevére castígans domum suam, surgens de nóctibus, íntuens lucérnam ne exstinguátur, in tribulatióne fortis, nondum recéptis promíssis pavens, bráchia sua in fusum confírmans, non pigrum panem mandúcans. Ob labóres istos quasi paupertátis et necessitátis sæculáris, quid erit quia in diébus novíssimis lætáta est? Quid erit? Audíte: propter quam spem árdeat lucérna nostra tota nocte, nunc audíte: Surrexérunt fílii ejus, et ditáti sunt. Modo in paupertáte vívimus, in paupertáte vigilámus, et cum mórimur, in paupertáte dormímus: sed surgémus, et ditábimur. Quæ illæ divítiæ sunt Angelórum? Unam vestem habent lucis: numquam téritur, numquam sordidátur. Si fílius es mulíeris hujus, atténde quando tibi divítiæ promittántur. Surrexérunt fílii ejus, et ditáti sunt, paráti resurrectiónis divítias accípere. Noli has amáre, ut mereáris ad illas veníre.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi. Cap. 17. et 18.

Et vir ejus laudávit eam. Multæ, inquit, fíliæ fecérunt poténtiam. Laudes sunt, quibus eam laudat vir ejus. Quæ fíliæ, quibus hæc comparátur? Non comparátur. Tu autem superásti. Atténdite ergo vos, jam in fine lectiónis sumus. Multæ fíliæ fecérunt poténtias, multæ locútæ sunt linguis, sciérunt ómnia sacraménta, fecérunt virtútes multas, dæmónia exclusérunt, res suas paupéribus distribuérunt, córpora sua ígnibus tradidérunt: inflátæ sunt, quia caritátem non habuérunt. Tu autem superásti et superposuísti omnes, non solum flore, sed et fructu grávida abúndans. Date illi

Digitized by Google

de frúctibus mánuum suárum. Quid date? Veníte, benedícti Patris mei. De quibus frúctibus mánuum ejus? Esurívi enim, et dedístis mihi manducáre. Et quod illi deínde negótium erit, finítis labóribus? Et laudétur in portis vir ejus. Ipse erit portus labórum nostrórum, vidére Deum, laudáre Deum.

℟. Fallax grátia.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 13.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc. Símile est regnum cœlórum thesaúro abscóndito in agro. Et réliqua.

De Homilía S. Augustíni Epíscopi.

Quæst. ex Matth. 9. 16.

Ideo omnis scriba doctus in regno cœlórum, símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesaúro suo nova et vétera. Utrum ista conclusióne expónere vóluit, quem díxerit thesaúrum in agro abscónditum? Quóniam sanctæ Scriptúræ intelligúntur, quæ nómine duórum Testamentórum novi et véteris concludúntur, quemádmodum apud álium Evangelístam gládium bis acútum tali conclusióne vidétur expónere.

℟. Os suum.

Lectio viii.

An quia in parábolis ista locútus est, et cum quæsísset ab eis utrum intellexíssent, respondérunt se intellexísse? Fortásse ista similitúdine última patrisfamílias proferéntis de thesaúro suo nova et vétera, osténdere vóluit eum doctum habéndum esse in Ecclésia, qui étiam Scriptúras véteres parábolis explicátas intelléxit, ab istis novis accípiens régulas: quia et ista Dóminus per parábolas enuntiávit, quamvis ipse Christus esset finis illórum, id est, ut in eo illa vétera compleréntur.

℟. Regnum mundi.

Lectio ix.

Ut si ipse, in quo illa compléntur et manifestántur, per parábolas adhuc lóquitur, donec ejus

Digitized by Google

pássio velum discíndat, ut nihil sit occúltum quod non revelétur: multo magis illa, quæ ad commendándam tantam ejus salútem tam longe de illo scripta sunt, parábolis opérta esse novérimus: quæ cum Judæi ad lítteram accíperent, noluérunt esse docti in regno cœlórum, neque transíre ad Christum, ut auferrétur velámen quod supra cor eórum pósitum est.

Te Deum laudámus.

Die 27. Novembris.

Desponsationis B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut in Propr. Hispan. eadem die.

Die 28. Novembris.

S. Gregorii Thaumaturgi Episc. Conf.

Semiduplex.

Omnia ut in Breviario Rom. die 17. hujus.

Die 29. Novembris.

S. Didaci Confessoris.

Semiduplex.

Omnia ut in Breviario die 13. hujus. **(m. t. v.)**

Dominica II. Novembris.

Patrocinii B. Mariæ V.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis in Breviario Rom. eadem Dominica.

Digitized by Google

ADPROBATIO.

Revisione rite peracta cum originalibus omnia concordare reperta sunt. In fidem etc.

Ex Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis
hac die 19. Augusti 1881.

Pro **R. P. D. Placido Ralli** Secretario
Joannes Ponzi Substitutus.

Imprimatur.

Ratisbonæ die 2. Septembris 1889.

G. Erlenborn, Vic. in Spirit. Gen.

Digitized by Google

KALENDARIUM PERPETUUM

AD USUM CLERI

DIŒCESEOS MEDELLENSIS IN DITIONE COLUMBIANA.

PARS HIEMALIS.

December.

1.
2. S. Bibianæ Virg. Mart. *semiduplex.*
3. S. Francisci Xaverii Conf. *duplex.*
4. S. Barbaræ Virg. Mart. Patron. princ. Diœceseos. *duplex 1. classis cum Octava.*
5. S. Petri Chrysologi Episc. Conf. et Doct. *duplex.* Comm. Oct. et S. Sabbæ Abbatis.
6. S. Nicolai Episc. Conf. *duplex.* Comm. Oct.
7. S. Ambrosii Episc. Conf. et Doct. *duplex.* Commem. Oct. Vigiliæ vero in Missa tantum.
8. Immaculata Concept. B. M. V. Patron. Princip. Indiarum. *duplex 1. classis cum Octava.* 9*
9. S. Leocadiæ Virg. Mart. *duplex.* Comm. Octavarum 9*
10. Translatio Almæ Domus Lauretanæ. *dupl. maj.* Comm. Oct. S. Barbaræ et S. Melchiadis Papæ Mart. 9*
11. Octava S. Barbaræ Virg. Mart. *dupl.* Comm. Oct. Immac. Concept.
12. B. M. V. de Guadalupe. *duplex majus.* 10*
13. S. Luciæ Virg. Mart. *duplex.* Comm. Oct.
14. S. Eulaliæ Emeritensis Virg. Mart. (D. a. ex 10. hujus) *duplex.* Comm. Oct. 10*
15. Dies Octava Immaculatæ Conceptionis B. M. V. *duplex.*
16. S. Eusebii Episc. Mart. *semiduplex.*
17. S. Damasi Pap. Conf. *semiduplex.* (D. a. ex 11. hujus.)
18. Exspectatio Partus B. M. V. *duplex majus.* 12*
19.
20. S. Dominici Sylensis Conf. *duplex.* Commem. Vigiliæ in Missa. 19*
21. S. Thomæ Apost. *duplex 2. class.*
22.
23. B. Nicolai Factoris Conf. *duplex.* 19*
24. Vigilia.
25. Nativitas D. N. J. C. *dupl. 1. class. cum Oct.*

Digitized by Google

26. S. Stephani Protomart. *dupl. 2. class. cum Oct.* Commem. Oct. Nativitatis.
27. S. Joannis Ap. et Evang. *dupl. 2. class. cum Oct.* Comm. Octavarum.
28. Ss. Innocentium Mm. *dupl. 2. class. cum Oct.* Commem. Octavarum.
29. S. Thomæ Episc. Mart. *semidupl.* Commem. Octavar.
30. De Dominica infra Octav. Nativitatis. *semidupl.* Comm. Octavar. *vel* De Octava Nativitatis. *semidupl.* Comm. Octavarum.
31. S. Silvestri I. Pap. Conf. *duplex.* Comm. Octavarum.

Januarius.

1. Circumcisio D. N. J. C. *duplex 2. classis.*
2. Dies Octava S. Stephani Protom. *duplex.* Comm. Octav. S. Joannis et Ss. Innocentium.
3. Dies Octava S. Joannis Apost. et Evang. *duplex.* Comm. Octav. Ss. Innocentium.
4. Dies Octava Ss. Innocentium Mm. *duplex.*
5. Vigilia Epiph. *semid.* Comm. S. Telesphori Pap. Mart.
6. Epiphania Domini. *duplex 1. class. cum Octava.*
7. De Octava. *semidupl.*
8. De Octava. *semidupl.*
9. De Octava. *semidupl.*
10. De Octava. *semidupl.*
11. De Octava. *semidupl.* Comm. S. Hygini Pap. Mart.
12. De Octava. vel de Dom. infra Oct. *semidupl.*
13. Dies Octava Epiphaniæ. *duplex.*
14. S. Hilarii Ep. Cf. et Doct. *dupl.* Com̃. S. Felicis Presb. M.
15. S. Pauli primi Eremitæ Conf. *dupl.* Comm. S. Mauri Abb.
16. S. Marcelli I. Pap. Mart. *semidupl.*
17. S. Antonii Abb. Conf. *duplex.*
18. Cathedra S. Petri Ap. Romæ. *duplex majus.* Commem. S. Pauli Apost. et S. Priscæ Virg. et Mart.
19. S. Canuti Reg. Mart. *semid. ad libit.* Comm. Ss. Marii et Soc. Mm. pag. 19*
20. Ss. Fabiani Pap. et Sebastiani Mm. *duplex.* 19*
21. S. Agnetis Virg. Mart. *duplex.*
22. Ss. Vincentii et Anastasii Mm. *duplex.* 19*
23. S. Ildephonsi Episc. Conf. *duplex.* Commem. S. Emerentianæ Virg. Mart. 19*
24. S. Timothei Episc. Mart. *duplex.*
25. Conversio S. Pauli Apost. *dupl. maj.* Comm. S. Petri Ap.
26. S. Polycarpi Episc. Mart. *duplex.*
27. S. Joannis Chrysostomi Episc. Conf. et Doct. *duplex.*

Digitized by Google

28. S. Juliani Episc. Conf. *duplex.* Comm. S. Agnetis Virg. Mart. secundo. pag. 19*
29. S. Francisci Salesii Episc. Conf. et Doct. *duplex.*
30. S. Martinæ Virg. et Mart. *semidupl.*
31. S. Petri Nolasco Conf. *duplex.*

Dominica II. post Epiph. Ss. Nominis Jesu. *duplex 2. class.* Comm. Dominicæ.

Dominica III. post Epiph. B. M. V. de Bethlehem. *duplex maj.* Comm. Dominicæ. 19*

Feria III. post Dom. Septuag. Orationis D. N. J. C. in monte Oliveti. *duplex maj.* 28*

Feria III. post Dom. Sexages. Commemoratio Passionis D. N. J. C. *duplex maj.* 28*

Februarius.

1. S. Ignatii Episc. Mart. *duplex.*
2. Purificatio B. M. V. Patron. Civitat. *(in Civitate) duplex 1. class. cum Octava (in Diœcesi) duplex 2. classis.*
3. S. Fulgentii Episc. Conf. (D. a. ex 16. Januarii.) *duplex.* Comm. *(in Civit.* Oct. et) S. Blasii Episc. Mart. 28*
4. S. Andreæ Corsini Ep. Conf. *dupl. (in Civit.* Com̃. Oct.)
5. S. Agathæ Virg. Mart. *dupl. (in Civit.* Comm. Oct.)
6. S. Titi Ep. Conf. *dupl.* Comm. *(in Civit.* Oct. et) S. Dorotheæ Virg. Mart.
7. S. Romualdi Abbatis. *dupl. (in Civit.* Comm. Oct.)
8. S. Joannis de Matha Conf. *dupl. (in Civit.* Comm. Oct.)
9. *(In Civit.)* Octava Purificat. B. M. V. *dupl. (in Diœcesi)* S. Cyrilli Episc. Alexandr. Conf. et Eccl. Doct. *duplex.* Comm. S. Apolloniæ Virg. Mart. 28*
10. S. Scholasticæ Virg. *duplex.*
11. Ss. VII Fundator. Ord. Servor. B. M. V. *duplex.*
12. S. Eulaliæ Virg. et Mart. *duplex.* 28*
13. S. Raymundi de Peñafort Conf. (D. a. ex 23. Januarii.) *semidupl.* 28*
14. *(In Civit.)* S. Cyrilli Ep. Alexandr. Conf. et Eccl. Doct. Comm. S. Valentini Mart. 29*. *(In Diœces.)* S. Valentini Mart. *simpl.*
15. S. Valerii Ep. Conf. (D. a. ex 29. Januar.) *duplex.* 28* Comm. Ss. Faustini et Soc. Mm. 29*
16.
17. Ss. Fructuosi et Socior. Mm. *duplex.* (D. a. ex 21. Jan.)
18. S. Simeonis Episc. Mart. *simplex.*
19.
20.

Digitized by Google

21.
22. Cathedra S. Petri Apost. Antiochiæ. *duplex maj.* Comm. S. Pauli Apost.
23. S. Petri Damiani Episc. Conf. et Doct. *duplex.* Commem. Vigiliæ *nisi annus fuerit bissextilis.*
24. *vel* 25. S. Mathiæ Apost. *duplex 2. class.*
25. *vel* 26. B. Sebastiani ab Apparicio Conf. *duplex.* pag. 29*
26.
27.
28.

Anno bissextili Febr. habet dies 29. et festum S. Mathiæ celebr. die 25. et festum B. Sebastiani die 26.

Feria VI. post Cineres. Sacr. Spineæ Coronæ D. N. J. C. *duplex maj.* Comm. Feriæ. 29*

Martius.

1. S. Rudesindi Episc. Conf. *duplex.* 30*
2.
3. Ss. Hemetherii et Celedonii Mm. *duplex.* 30*
4. S. Casimiri Reg. Conf. *semiduplex.* Commem. S. Lucii I. Papæ Mart.
5.
6.
7. S. Thomæ Aquinatis Conf. et Doct. *duplex.* Commem. Ss. Perpetuæ et Soc. Mm.
8. S. Joannis de Deo Conf. *duplex.*
9. S. Franciscæ Romanæ Vid. *duplex.*
10. Ss. Quadraginta Martyrum. *semidupl.*
11.
12. S. Gregorii I. Magni Pap. Conf. et Doct. *duplex.*

℣ Officia quæ non inveniuntur in Breviario Romano, recitari debent ex proprio Archidiœceseos Sanctæ Fidei Bogotensis.

(L. S.) ✠ **Bernardus** Episcopus Medellensis.

Digitized by Google

MEDELLEN.

De legitima sacræ liturgiæ ordinatione in sibi credita Diœcesi summopere sollicitus Rm̃us Dn̄us Bernardus Herrera Restrepo hodiernus Episcopus Medellen. Kalendarium perpetuum ad usum Cleri suæ Diœceseos concinnare studuit, omnem adhibens curam ut cuncta in eo Rubricis atque Apostolicæ Sedis Decretis plane responderent; illudque supernæ sanctissimi Domini Nostri Leonis Papæ XIII. sanctione humillime subjecit. Ejusmodi porro Kalendarium quum de mandato ejusdem sanctissimi Domini Nostri Sacra Rituum Congregatio sedulo expenderit, ac probari posse censuerit, ast sub modo et forma, sicuti in superiori exemplari ponitur, a se revisum ac dispositum, sanctitas sua sententiam sacræ ipsius Congregationis, ab infrascripto Secretario relatam, ratam habens, concessit, ut a Clero Medellen. Diœceseos tam Sæculari quam Regulari Diœcesano Kalendario utente in Horis Canonicis persolvendis sacroque celebrando Kalendarium ipsum servari in posterum valeat. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 8. Aprilis 1886.

Dominicus Card. Bartolinius
S. R. C. Præfectus.

(L. S.) **Laurentius Salvati** S. R. C. Secretarius.

Concordat cum Originali.

(L. S.) ✠ **Bernardus** Episcopus Medellensis.

Digitized by Google

MEDELLEN.

Rmus Dñus Bernardus Herrera Restrepo hodiernus Episcopus Medellen. a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII. humillime expetivit, ut ad Clerum sibi commissæ Diœceseos, Diœcesano Kalendario utentem, Officia propria extendere dignaretur, quæ Archidiœcesi Sanctæ Fidei Neogranatensi, cujus Diœcesis Medellensis suffraganea est, sunt concessa. Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributis, benigne annuit pro gratia juxta preces: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 13. Augusti 1886.

Pro Emo et Rmo Dño **Card. D. Bartolini**
S. R. C. Præfecto

A. Card. Serafini.

(L. S.) Pro **R. P. D. Laurentio Salvati,** Secretario
Joannes Canonicus Ponzi, Substitutus.

Concordat cum Originali.

(L. S.) ✠ **Bernardus** Episcopus Medellensis.

Digitized by Google

OFFICIA PROPRIA
DIŒCESIS MEDELLENSIS
A SEDE APOSTOLICA CONCESSA.

Die 4. Decembris.

In Festo

S. Barbaræ Virg. Mart. Patronæ Principalis Diœc. Duplex 1. class. cum Oct.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis.

Lect. I. Noct. De **Virgínibus.**

Die 11. Decembris.

Octava

S. Barbaræ Virg. Mart.

Duplex.

Omnia ut in die festo præter Lectiones.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

De **Epístola S. Hierónymi Presbýteri ad Eustóchium.** De custod. Virg. t. 1. circa med.

Lectio iv.

De virgínibus, inquit Apóstolus, præcéptum Dómini non hábeo. Cur? quia et ipse ut esset virgo, non fuit impérii, sed própriæ voluntátis. Neque enim audiéndi sunt, qui eum uxórem habuísse confíngunt; cum de continéntia dísserens, et suádens perpétuam castitátem, intúlerit: Volo autem omnes esse sicut meípsum. Et infra: Dico autem innúptis et víduis: Bonum est illis, si sic permáneant, sicut et ego. Quare ergo non habet Dómini de virginitáte præcéptum? Quia majóris est mercédis, quod non cógitur et offértur: quia si fuísset virgínitas imperáta, núptiæ videbántur ablátæ; et durissimum erat contra natúram cógere, Angelorúmque vitam ab homínibus extorquére. ℟. Propter.

Lectio v.

Alia fuit in véteri lege felícitas. Ibi dícitur: Beátus, qui habet semen in Sion, et domésticos in Jerúsalem; et: Maledícta stérilis, quæ non pariébat; et: Fílii tui sicut novéllæ olivárum in circúitu mensæ tuæ. Vácuus erat orbis, et, ut de týpicis táceam, sola erat benedíctio liberórum. Proptérea et Abraham jam

Digitized by Google

senex Cethúræ copulátur, et Jacob mandrágoris redímitur, et conclúsam vulvam in Ecclésiæ figúram Rachel conquéritur. Paulátim vero increscénte ségete, messor immíssus est. Virgo Elías, Eliséus virgo, vírgines multi fílii Prophetárum. Jeremíæ dícitur: Et tu ne accípias uxórem. Sanctificátus in útero, captivitáte propínqua, uxórem prohibétur accípere. Aliis verbis idípsum Apóstolus lóquitur: Exístimo hoc bonum esse propter instántem necessitátem. Quæ est ista necéssitas, quæ aufert gaúdia nuptiárum? Tempus breviátum est, in próximo est Nabuchodónosor.

℟. Dilexísti.

Lectio vi.

Inveniebátur ergo, ut díximus, in viris tantum hoc continéntiæ bonum, et in dolóribus júgiter Heva parturiébat. Postquam vero virgo concépit in útero, et péperit nobis púerum, cujus principátus in húmeros ejus, Deum, fortem, patrem futúri sæculi, solúta maledíctio est. Mors per Hevam, vita per Maríam. Ideóque et dítius virginitátis donum fluxit in féminas, quia cœpit a fémina. Statim ut Fílius Dei ingréssus est super terram, novam sibi famíliam instítuit, ut qui ab Angelis adorabátur in cœlo, habéret Angelos et in terris. Tunc Holoférnis caput Judith cóntinens amputávit: tunc Aman, qui interpretátur iníquitas, suo combústus est igni: tunc primum audítum est: Quæ non est nupta, cógitat quæ sunt Dómini, ut sit sancta córpore et spíritu.

℟. Afferéntur.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 25.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

De Homilía S. Augustíni Epíscopi.

Unde supra, cap. 8.

Intendat ítaque cáritas vestra. Sapiéntium lámpades ar-

Digitized by Google

débant de óleo ætérno, de consciéntiæ securitáte, de interióre glória, de íntima caritáte. Ardébant tamen et illárum fatuárum. Quare tunc ardébant? quia non déerant laudes hóminum. Póstea vero quam surrexérunt, idest in resurrectióne a mórtuis, cœpérunt aptáre lámpades suas, idest paráre, Deo óperum suórum réddere ratiónem. Et quia tunc nemo est qui laudet, omnis homo causæ suæ vacat: non erant qui óleum vénderent, cœpérunt defícere lámpades. ℟. Hæc est.

Lectio viii.

Circa finem, cap. 10.

Clausum est óstium. Et quid illis dictum est: Non novi vos. Non illas novit, qui ómnia novit? Quid ergo est: Non novi vos? Improbo vos, réprobo vos: in arte mea non vos agnósco: ars mea nescit vítia. Hoc est autem magnum, et nescit vítia, et júdicat vítia: nescit faciéndo, júdicat arguéndo. Sic ergo non novi vos. Iérunt, intravérunt quinque prudéntes. Sint in vobis quinque prudéntes, ad istam prudéntiam quinárii úmeri pertinéntes. Véniet enim hora, et quando nescímus, véniet. Sic clausit Evangélium: Vigiláte, quia nescítis diem neque horam. ℟. Média.

Lectio ix.

Corde vígila, fide vígila, spe vígila, caritáte vígila, opéribus vígila: et quando córpore dormíeris, véniet tempus ut surgas. Cum autem surréxeris, prépara lámpades. Tunc non exstinguántur; tunc in interióre consciéntiæ óleo vegeténtur; tunc sponsus ille incorpóreis néxibus amplectátur; tunc te introdúcat in domum, ubi numquam dórmias, ubi numquam possit tua lampas exstíngui. Hódie vero laborámus, et lámpades nostræ inter ventos sæculi hujus tentationésque flúctuant: sed árdeat in rubóre flamma nostra, ut ventus tentatiónis aúgeat ignem pótius, quam exstínguat. Te Deum.

Die 9. Februarii.

Octavæ

Purificationis B. M. V.

Omnia ut in die festo præter Lectiones.

Digitized by Google

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

De expositióne S. Gregórii Papæ in libros Regum.

In 1. Regum 1.

Lectio iv.

Fuit vir unus de Ramáthaïm Sophim, de monte Ephraïm. Potest hujus montis nómine beatíssima semper Virgo María, Dei Génitrix, designári. Mons quippe fuit, quæ omnem eléctæ creatúræ altitúdinem electiónis suæ dignitáte transcéndit. An non mons sublímis María, quæ, ut ad conceptiónem ætérni Verbi pertíneret, meritórum vérticem supra omnes Angelórum choros usque ad sólium deitátis eréxit? Hujus enim montis præcellentíssimam dignitátem Isaías vatícinans, ait: Erit in novíssimis diébus præparátus mons domus Dómini in vértice móntium. Mons quippe in vértice móntium fuit, quia altitúdo Maríæ supra omnes Sanctos refúlsit.

℟. Símeon justus et timorátus exspectábat redemptiónem Israël: * Et Spíritus sanctus erat in eo. ℣. Respónsum accépit Símeon a Spíritu sancto, non visúrum se mortem, nisi vidéret Christum Dómini. Et Spíritus.

Ex Epístola S. Leónis Papæ ad Pulchériam Augústam.

Lectio v. Epist. 13.

Sacraméntum reconciliatiónis nostræ ante témpora ætérna dispósitum, nullæ implébant figúræ: quia nondum supervénerat Spíritus sanctus in Vírginem, nec virtus Altíssimi obumbráverat ei, ut et intra intemeráta víscera, ædificánte sibi Sapiéntia domum, Verbum caro fíeret, et forma Dei ac forma servi in unam conveniénte persónam, creátor témporum nascerétur in témpore, et per quem facta sunt ómnia, ipse inter ómnia gignerétur. Nisi enim novus homo, factus in similitúdinem carnis peccáti, nostram suscíperet vetustátem, et consubstantiális Patri, consubstantiális esse dignarétur et matri, naturámque sibi nostram solus a peccáto liber uníret; sub jugo diáboli

Digitized by Google

generáliter tenerétur humána captívitas.

℟. Respónsum accépit Símeon a Spíritu sancto, non visúrum se mortem, nisi vidéret Christum Dómini: * Et benedíxit Deum et dixit: Nunc dimíttis servum tuum in pace, quia vidérunt óculi mei salutáre tuum, Dómine. ℣. Cum indúcerent púerum Jesum paréntes ejus, ut fácerent secúndum consuetúdinem legis pro eo: ipse accépit eum in ulnas suas. Et.

De expositióne S. Basilíi Epíscopi in Isaíam Prophétam.

Lectio vi. Cap. 8.

Accéssi, inquit, ad prophetíssam, et in útero accépit, et péperit fílium. Quod María prophetíssa fúerit, ad quam próxime accéssit Isaías per prænotiónem spíritus, nemo contradíxerit, qui sit memor verbórum Maríæ, quæ prophético affláta spíritu elocúta est. Quid enim ait? Magníficat ánima mea Dóminum: et exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo: quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ: ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. Quod si ánimum accomodáveris univérsis ejus verbis, non útique per dissídium negáveris, eam fuísse prophetíssam, quod Dómini Spíritus in eam supervénerit, et virtus Altíssimi obumbráverit ei.

℟. Cum indúcerent.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 2.

In illo témpore: Postquam impléti sunt dies purgatiónis Maríæ secúndum legem Móysi, tulérunt Jesum in Jerúsalem, ut sísterent eum Dómino, sicut scriptum est in lege Dómini. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Ex Orat. 7. inter 17. Declam. Patrum.

Lumen ad revelatiónem géntium. Cur lumen? quia gentes in ténebris versabántur, et quia rursum obscuráta, tetrísque peccatórum ténebris obdúcta, per illud illustránda et expiánda erant.

Digitized by Google

Et glóriam plebis tuæ Israël. Hic glória, illic revelátio, hic doctrínæ inítium, illic disciplínæ prosecútio. Ast objécerit hic forte quíspiam: Dic, quæso, úbinam sunt Israëlítæ? Ecce habes Petrum, habes Paulum, habes Joánnem, habes tria míllia, habes quinque míllia, habes ecclésiam Jerosolymitánam, habes eos prætérea Judæos, qui inter gentes dispérsi fidem suscéperant.

℟. Suscípiens Jesum in ulnas suas Símeon exclamávit et dixit: * Tu es vere lumen ad illuminatiónem géntium et glóriam plebis tuæ Israël. ℣. Cum indúcerent púerum Jesum paréntes ejus, et ipse accépit eum in ulnas suas et benedíxit Deum et dixit. Tu es vere lumen.

Lectio viii.

Itaque asservabátur in pópulo illo fídei semen, neque simul univérsus pessum ivit, absit: neque simul omnes Judæi in intéritum ruérunt, sed plúrimi. Neque id mirum: nam et nunc quoque in felíci hac rerum constitutióne, beatáque vocatióne, multi quidem sunt vocáti, pauci vero elécti. Non totus ítaque pópulus ille simul intériit, non totus depravátus est, non totus in infidelitáte permánsit, non totus persecútus est Apóstolos. Credidérunt enim per Apóstolos simul tria míllia, extra mulíeres et párvulos, et facta est Jerosólymis Ecclésia ádmodum numerósa.

℟. Senex púerum portábat, puer autem senem regébat: * Quem Virgo concépit, Virgo péperit, Virgo post partum, quem génuit adorávit. ℣. Accípiens Símeon púerum in mánibus, grátias agens benedíxit Dóminum. Quem Virgo. Glória Patri. Quem Virgo.

Lectio ix. de S. Apollonia.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 28. Oct. 1889.

G. Erlenborn, Vic. in Spir. Gener.

Ratisbonæ. Sumptibus Fr. Pustet.

Digitized by Google

KALENDARIUM PERPETUUM

AD USUM CLERI

DIŒCESEOS MEDELLENSIS IN DITIONE COLUMBIANA.

PARS VERNA.

Februarius.

24. *vel* 25. S. Mathiæ Apost. *duplex 2. class.*
25. *vel* 26. B. Sebastiani ab Apparicio Conf. *duplex.* pag. 7*
26.
27.
28.

Anno bissextili Febr. habet dies 29. et festum S. Mathiæ celebr. die 25. et festum B. Sebastiani die 26.

Feria VI. post Domin. I. Quadrages. Lanceæ et Clavorum D. N. J. C. *duplex maj.* Comm. Feriæ. 7*

Feria VI. post Domin. II. Quadrages. Sacr. Sindonis D. N. J. C. *duplex majus.* Comm. Feriæ. 7*

Martius.

1. S. Rudesindi Episc. Conf. *duplex.* 7*
2.
3. Ss. Hemetherii et Calcedonii Mm. *duplex.* 8*
4. S. Casimiri Reg. Conf. *semiduplex.* Commem. S. Lucii I. Papæ Mart.
5.
6.
7. S. Thomæ Aquinatis Conf. et Doct. *duplex.* Commemor. Ss. Perpetuæ et Felicitatis Mm.
8. S. Joannis de Deo Conf. *duplex.*
9. S. Franciscæ Romanæ Vid. *duplex.*
10. Ss. Quadraginta Martyrum. *semidupl.*
11.
12. S. Gregorii I. Magni Pap. Conf. et Doct. *duplex.*
13. S. Leandri Episc. Conf. *duplex.* 9*
14. S. Florentinæ Virg. *duplex.* 9*
15. S. Raymundi Abbat. *duplex.* 9*
16.

Digitized by Google

17. S. Patritii Episc. Conf. *duplex.*
18. S. Gabrielis Archang. *duplex majus.* pag. 9*
19. S. Joseph Conf. Sponsi B. M. V. Catholicæ Eccl. Patr. *dupl. 1. cl.*
20. S. Braulii Episc. Conf. *duplex.* 10*
21. S. Benedicti Abbatis. *duplex majus.*
22. S. Cyrilli Ep. Hierosolymit. Conf. et Eccl. Doct. (D. a. ex 18. huj.) *Duplex.* pag. 10*
23.
24.
25. Annuntiatio B. M. V. *duplex 2. classis.*
26. Boni Latronis Conf. (D. a. ex heri.) *duplex.* 10*
27.
28.
29.
30.
31.

Feria VI. post Dom. III. Quadrag. Sacrorum Quinque Vulnerum D. N. J. C. *dupl. majus.* Comm. Feriæ. pag. 18*

Feria VI. post Domin. IV. Quadrag. Pretiosiss. Sanguinis D. N. J. C. *duplex majus.* Comm. Feriæ. 18*

Feria VI. post Dom. Passionis. Septem Dolorum B. M. V. *duplex majus.* Comm. Feriæ.

Aprilis.

1.
2. S. Francisci de Paula Conf. *duplex.*
3.
4. S. Isidori Episc. Conf. et Doct. *duplex.*
5. S. Vincentii Ferrerii Conf. *duplex.*
6.
7.
8.
9.
10.
11. S. Leonis I. Pap. Conf. et Doct. *duplex.*
12.
13. S. Hermenegildi Reg. Mart. *semidupl.*
14. S. Justini Mart. *dupl.* Comm. Ss. Tiburtii et Soc. Mm. 18*
15. S. Petri Gonzalez Conf. (D. a. ex heri.) *duplex.* 18*
16. S. Thuribii de Liebana Episc. Conf. *duplex.* 18*
17. B. Mariæ Annæ a Jesu Virg. *dupl.* Comm. S. Aniceti Papæ Mart. 18*
18.
19.

Digitized by Google

20. S. Agnetis a Monte Politiano Virg. *duplex.* pag. 19*
21. S. Anselmi Episc. Conf. et Doct. *duplex.*
22. Ss. Soteris et Caji Pont. et Mart. *semidupl.*
23. S. Georgii Mart. *semidupl.*
24. S. Fidelis a Sigmaringa Mart. *duplex.*
25. S. Marci Evang. *dupl. 2. class.*
26. B. M. V. de Bono Consilio. *duplex majus.* 20*
27. S. Thuribii de Mogrovejo Conf. *duplex.* 20*
28. S. Pauli a Cruce Conf. *duplex.* Comm. S. Vitalis Mart.
29. S. Petri Mart. *duplex.*
30. S. Catharinæ Senen. Virg. *duplex.*

Dominica III. post Pascha. Patrocinium S. Joseph Confessoris, Sponsi B. M. V. *dupl. 2. class.* Comm. Domin.

Majus.

1. Ss. Philippi et Jacobi Apost. *duplex 2. classis.*
2. S. Athanasii Episc. Conf. et Doct. *duplex.*
3. Inventio S. Crucis D. N. J. C. *duplex 2. classis.* Comm. Ss. Alexandri I. Pap. et Soc. Mm. ac Juvenalis Ep. Conf.
4. S. Monicæ Vid. *duplex.*
5. S. Pii V. Pap. Conf. *duplex.*
6. S. Joannis ante portam Latinam. *duplex majus.*
7. S. Stanislai Episc. Mart. *duplex.*
8. Apparitio S. Michaëlis Archang. *duplex majus.*
9. S. Gregorii Nazianzeni Episc. Conf. et Doct. *duplex.*
10. S. Antonini Episc. Conf. *duplex.* Comm. Ss. Gordiani et Soc. Mart.
11. S. Prudentii Episc. Conf. (D. a. ex 28. Aprilis.) *dupl.* 20*
12. Ss. Nerei et Achillei et Soc. Mm. *semidupl.*
13. S. Petri Regalati Conf. *semidupl.* 20*
14. Ss. Cleti et Marcellini Pont. Mm. (D. a. ex 26. April.) *semidupl.* Comm. S. Bonifacii Mart. 20*
15. S. Isidori Agricolæ Conf. *duplex.* 20*
16. S. Joannis Nepomuceni Mart. *duplex.* 21*
17. S. Paschalis Baylon Conf. *duplex.*
18. S. Venantii Mart. *duplex.*
19. S. Petri Cœlestini Pap. Conf. *dupl.* Commem. S. Pudentianæ Virg.
20. S. Bernardini Senensis Conf. *semidupl.*
21. Ss. Torquati et Soc. Ep. Mm. (D. a. ex 15. huj.) *dupl.* 21*
22. S. Dominici Calceaten. Conf. (D. a. ex 12. huj.) *semid.* 23*
23. S. Ubaldi Episc. Conf. (D. a. ex 16. huj.)
24. B. M. V. sub titulo Auxilium Christian. *duplex maj.* 23*
25. S. Gregorii VII. Pap. Cf. *dupl.* Commemor. S. Urbani I. Pap. Mart.

Digitized by Google

26. S. Philippi Nerii Conf. *duplex.* Commem. S. Eleutherii Papæ Mart.
27. S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virg. *semiduplex.* Comm. S. Joannis Papæ Mart.
28. S. Augustini Episc. Conf. *duplex.*
29.
30. S. Ferdinandi Reg. Conf. *dupl.* Comm. S. Felicis I. Papæ Mart. pag. 30*
31. S. Angelæ Mericiæ Virg. *dupl.* Comm. S. Petronillæ Virg.

Junius.

1.
2. B. Mariæ Annæ a Jesu de Paredes Virg. *dupl.* Commem. Ss. Marcellini et Soc. Mm. 30*
3.
4. S. Francisci Caracciolo Conf. *dupl.*
5. S. Bonifacii Episc. Mart. *dupl.*
6. S. Norberti Episc. Conf. *dupl.*
7.
8.
9. Ss. Primi et Feliciani Mm. *simplex.*
10. S. Margaritæ Regin. Scotiæ, Viduæ. *semidupl.*
11. S. Barnabæ Apost. *dupl. maj.*
12. S. Joannis a S. Facundo Conf. *dupl.* Comm. Ss. Basilidis et Socior. Mm.
13. S. Antonii de Padua Conf. *dupl.*

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 28. Oct. 1889.

G. Erlenborn, Vic. in Spirit. Gen.

Ratisbonæ 1889. Typis Fr. Pustet.

Digitized by Google

KALENDARIUM PERPETUUM

AD USUM CLERI

DIŒCESEOS MEDELLENSIS IN DITIONE COLUMBIANA.

PARS ÆSTIVA.

Majus.

13. S. Petri Regalati Conf. *semidupl.* pag. 7*
14. Ss. Cleti et Marcellini Pont. Mm. (D. a. ex 26. April.) *semidupl.* Comm. S. Bonifacii Mart. 7*
15. S. Isidori Agricolæ Conf. *duplex.* 8*
16. S. Joannis Nepomuceni Mart. *duplex.* 8*
17. S. Paschalis Baylon Conf. *duplex.*
18. S. Venantii Mart. *duplex.*
19. S. Petri Cœlestini Pap. Conf. *dupl.* Comm. S. Pudentianæ Virg.
20. S. Bernardini Senensis Conf. *semidupl.*
21. Ss. Torquati et Soc. Pont. M. (D. a. ex 15. huj.) *dupl.* 15*
22. S. Dominici Calceaten. Conf. (D. a. ex 12. huj.) *semid.* 17*
23. S. Ubaldi Episc. Conf. (D. a. ex 16. huj.) *semidupl.*
24. B. M. V. Auxilium Christianorum. *dupl. maj.* 17*
25. S. Gregorii VII. Pap. Cf. *dupl.* Com̃. S. Urbani I. Pap. Mart.
26. S. Philippi Nerii Conf. *duplex.* Commem. S. Eleutherii Papæ Mart. 17*
27. S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virg. *semidupl.* Comm. S. Joannis Papæ Mart.
28. S. Augustini Episc. Conf. *dupl.*
29.
30. S. Ferdinandi Reg. Conf. *dupl.* Com̃. S. Felicis I. P. M. 25*
31. S. Angelæ Merici Virg. *dupl.* Comm. S. Petronillæ Virg. *Feria VI. post Oct. Corporis Christi.* Ss. Cordis Jesu. *dupl. 1. class.* 25*

Junius.

1.
2. B. Mariæ Annæ de Paredes Virg. *dupl.* Comm. Ss. Marcellini et Soc. Mm. 25*
3.
4. S. Francisci Caracciolo Conf. *dupl.*
5. S. Bonifacii Episc. Mart. *dupl.*
6. S. Norberti Episc. Conf. *dupl.*
7.

Digitized by Google

8.
9. Ss. Primi et Feliciani Mm. simpl.
10. S. Margaritæ Regin. Scotiæ, Viduæ. *semidupl.*
11. S. Barnabæ Apost. *dupl. maj.*
12. S. Joannis a S. Facundo Conf. *dupl.* Comm. Ss. Basilidis et Socior. Mm.
13. S. Antonii de Padua Conf. *dupl.*
14. S. Basilii Magni Episc. Conf. et Doct. *dupl.*
15. Ss. Viti et Soc. Mm. *simplex.*
16. B. M. V. de Succursu *dupl. maj.* pag. 25*
17. S. Joannis Francisci Regis Conf. *semidupl.* 28*
18. Ss. Cyriaci et Paulæ Mm. *duplex.* Commem. Ss. Marci et Socior. Mm. 28*
19. S. Julianæ de Falconeriis Virg. *duplex.* Comm. Ss. Gervasii et Socior. Mm. 28*
20. S. Silverii Papæ Mart. *simplex.* 28*
21. S. Aloysii Gonzagæ Conf. *dupl.*
22. S. Paulini Episc. Conf. *simplex.*
23. Vigilia.
24. Nativitatis S. Joannis Baptistæ. *dupl. 1. class. cum Oct.*
25. S. Gulielmi Abb. Conf. *dupl.* Comm. Oct.
26. Ss. Joannis et Pauli Mm. *dupl.* Comm. Oct.
27. De Octava. *semidupl.*
28. S. Leonis II. Pap. Conf. *semidupl.* Comm. Oct. et Vigiliæ.
29. Ss. Petri et Pauli Apostolor. *dupl. 1. class. cum Oct.*
30. Commem. S. Pauli Apost. *dupl. majus.* Commem. S. Petri Apost. et Oct. S. Joannis Bapt.

Julius.

1. Dies Octava S. Joannis Baptistæ. *dupl.* Commem. Oct. Ss. App. Petri et Pauli.
2. Visitationis B. M. V. *dupl. 2. class.* Comm. Ss. Processi et Socior. Mm.
3. De Octava. *semidupl.*
4. De Octava. *semidupl.*
5. Ss. Cyrilli et Methodii Episc. Conf. *dupl.* Comm. Oct. 28*
6. Dies Octava Ss. Petri et Pauli Apostolor. *dupl.*
7. S. Firmini Episc. Mart. *dupl.* 28*
8. S. Elisabeth Regin. Portugal. Vid. *dupl.* 28*
9. B. M. V. de Chiquinquira. *dupl. maj.* 28*
10. Septem Fratrum Mm. et Rufinæ ac Secundæ Virg. Mm. *semiduplex.*
11. S. Michaëlis de Sanctis Conf. (D. a.ex 5. huj.) *dupl.* Com. S. Pii I. Papæ et Mart. 35*

Digitized by Google

12. S. Joannis Gualberti Abb. *dupl.* Commem. Ss. Naboris et Socior. Mm.
13. S. Anacleti Pap. Mart. *semidupl.*
14. S. Bonaventuræ Episc. Conf. et Doct. *dupl.*
15. S. Henrici Imperat. Conf. *semidupl.*
16. B. M. V. de Monte Carmelo. *dupl. maj.*
17. S. Alexii Conf. *semidupl.*
18. S. Camilli de Lellis Conf. *dupl.* Comm. Ss. Symphorosæ et septem Filiorum Martyrum.
19. S. Vincentii a Paulo Conf. *duplex.*
20. S. Liberatæ Virg. Mart. *dupl.* Comm. S. Margaritæ Virg. Mart. pag. 35*
21. Ss. Justæ et Rufinæ Virg. Mm. (D. a. ex 19. hujus) *dupl.* Comm. S. Praxedis Virg. 38*
22. S. Mariæ Magdalenæ Pœnit. *dupl.*
23. S. Apollinaris Episc. Mart. *duplex.* Commem. S. Liborii Episc. Conf.
24. S. Hieronymi Æmiliani Conf. (D. a. ex 20. huj.) *duplex.* Comm. Vigiliæ ac S. Christinæ Virg. Mart. 38*
25. S. Jacobi Apost. *dupl. 2. class.* Comm. S. Christophori M.
26. S. Annæ Matris B. M. V. *dupl. 2. class.*
27. S. Pantaleonis Mart. *simplex.* 40*
28. Ss. Nazarii et Soc. Mm. ac Innocentii I. Pap. Conf. *semid.*
29. S. Marthæ Virg. *semid.* Com. S. Felicis II. Pap. et Soc. Mm.
30. Ss. Abdon et Sennen. Mm. *simpl.*
31. S. Ignatii Loyola Conf. *dupl.*

Dominica I. Julii. Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. Chr. *dupl. 2. class.* Comm. Dominicæ.

Augustus.

1. S. Petri ad vincula. *dupl. maj.* Comm. S. Pauli Apost. ac Ss. Machabæorum Mm.
2. S. Alphonsi Mariæ de Ligorio Episc. Conf. et Doct. *dupl.* Comm. S. Stephani Pap. Mart.
3. Inventio Corporis S. Stephani Protomart. *semidupl.*
4. S. Dominici Conf. *dupl. majus.*
5. Dedicatio S. Mariæ ad Nives. *dupl. maj.*
6. Transfiguratio D. N. J. C. *dupl. maj.* Comm. Ss. Xysti II. Pap. Felicissimi et Agapiti Mart.
7. S. Cajetani Conf. *dupl.* Comm. S. Donati Ep. Mart.
8. Ss. Cyriaci et Socior. Mm. *semidupl.*
9. Ss. Justi et Pastoris Mm. (D. a. ex 6. hujus) *duplex.* Comm. Vigiliæ et S. Romani Mart. 41*
10. S. Laurentii Mart. *dupl. 2. class. cum Oct.*

Digitized by Google

11. De Octava. *semidupl.* Com̃. Ss. Tiburtii et Soc. Mm.
12. S. Claræ Virg. *dupl.* Comm. Octav.
13. De Octava. *semid.* Comm. Ss. Hippolyti et Soc. Mm.
14. De Octava. *semidupl.* Comm. Vigiliæ ac S. Eusebii Conf.
15. Assumptio B. M. V. *dupl. 1. class. cum Oct.*
16. S. Rochi Conf. *dupl.* Comm. Octavarum. pag. 48*
17. Dies Octava S. Laurentii Mart. *dupl.* Commem. Octavæ Assumptionis.
18. S. Hyacinthi Conf. (D. a. ex 16. huj.) *dupl.* Comm. Oct. et S. Agapiti Mart. 48*
19. De Octava. *semid.*
20. S. Bernardi Abb. Conf. et Doct. *dupl.* Comm. Octavæ.
21. S. Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal. Vid. *duplex.* Comm. Octavæ.
22. Dies Octava Assumptionis B. M. V. *duplex.* Commem. Ss. Timothei et Socior. Mm.
23. S. Philippi Benitii Conf. *dupl.* Comm. Vigiliæ.
24. S. Bartholomæi Apost. *dupl. 2. class.*
25. S. Ludovici Reg. Conf. *semidupl.*
26. S. Zephyrini Pap. Mart. *simplex.*
27. S. Josephi Calasanctii Conf. *dupl.*
28. S. Augustini Episc. Conf. et Doct. *duplex.* Commemor. S. Hermetis Mart.
29. Decollatio S. Joannis Baptistæ. *dupl. maj.* Commemor. S. Sabinæ Mart.
30. S. Rosæ Limanæ Virg. Patronæ Principal. Americæ, *dupl. 1. class. cum Oct.* 48*
31. S. Raymundi Nonnati Conf. *dupl.* Comm. Octavæ.

Dominica infra Oct. Assumpt. S. Joachim Conf. Patris B. M. V. *dupl. 2. class.* Comm. Domin. tant.

Dominica post Oct. Assumpt. Purissimi Cordis B. M. V. *dupl. maj.* Comm. Dominicæ. 57*

September.

1. De Octava S. Rosæ Virg. *semidupl.* Comm. S. Ægidii Abbatis et Ss. Duodecim Fratrum Martyrum. 57*
2. S. Antonini Mart. *dupl.* Comm. Octavæ. 58*
3. S. Stephani Reg. Conf. (D. a. ex heri) *semidupl.* Comm. Octavæ. 58*

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 28. Oct. 1889.

G. Erlenborn, Vic. in Spir. Gener.

Ratisbonæ. Sumptibus Fr. Pustet.

Digitized by Google

KALENDARIUM PERPETUUM

AD USUM CLERI

DIŒCESEOS MEDELLENSIS IN DITIONE COLUMBIANA.

PARS AUTUMNALIS.

Augustus.

29. Decollatio S. Joannis Baptistæ. *duplex majus.* Commem. S. Sabinæ Mart.
30. S. Rosæ Limanæ Virg. Patronæ Principal. Americæ, *dupl. 1. class. cum Oct.* pag. 7*
31. S. Raymundi Nonnati Conf. *dupl.* Comm. Octavæ.

September.

1. De Octava S. Rosæ Virg. *semidupl.* Comm. S. Ægidii Abbatis et Ss. Duodecim Fratrum Martyrum. 15*
2. S. Antonini Mart. *dupl.* Comm. Octavæ. 16*
3. S. Stephani Hungariæ Reg. Conf. (D. a. ex heri) *semidupl.* Comm. Octavæ. 16*
4. De Octava. *semid.* 17*
5. S. Victorini Episc. Mart. *dupl.* Comm. Oct.
6. Dies Octava S. Rosæ Liman. Virg. *dupl.* 18*
7. S. Laurentii Justiniani Episc. Conf. (D. a. ex 5. hujus) *semiduplex.* 19*
8. Nativitas B. M. V. *dupl. 2. class. cum Octava.* Commem. S. Adriani Mart.
9. S. Petri Claver Conf. *dupl.* Comm. Oct. ac S. Gorgonii Mart. 20*
10. S. Nicolai de Tolentino Conf. *dupl.* Comm. Oct.
11. De Octava. *semidupl.* Comm. Ss. Proti et Soc. Mart.
12. De Octava. *semiduplex.*
13. De Octava. *semiduplex.*
14. Exaltatio S. Crucis. *dupl. maj.* Comm. Oct.
15. Dies Octava Nativitatis B. M. V. *dupl.* Comm. S. Nicomedis Mart.
16. Ss. Cornelii Papæ et Cypriani Episc. Mm. *semiduplex.* Comm. Ss. Euphemiæ et Soc. Mm.

Digitized by Google

17. Impressio Sacror. Stigmatum S. Francisci Conf. *dupl.*
18. S. Josephi a Cupertino Conf. *dupl.*
19. Ss. Januarii Episc. et Soc. Mm. *dupl.*
20. Ss. Eustachii et Soc. Mm. *dupl.* Comm. Vigiliæ.
21. S. Matthæi Apost. et Evang. *dupl. 2. class.*
22. S. Thomæ a Villanova Episc. Conf. (D. a. ex 18. hujus) *dupl.* Comm. Ss. Mauritii et Soc. Mm.
23. S. Lini Pap. Mart. *semid.* Comm. S. Theclæ Virg. Mart.
24. B. M. V. de Mercede. *dupl. majus.*
25. B. Mariæ de Cervellione Virg. *dupl.* pag. 27*
26. Ss. Cypriani et Soc. Mm. *simplex.*
27. Ss. Cosmæ et Damiani Mm. *semidupl.*
28. B. Simonis de Roxas Conf. *dupl.* 27*
29. Dedicatio S. Michaëlis Archang. *dupl. 2. classis.*
30. S. Hieronymi Conf. et Doct. *dupl.*

Dominica infra Octav. Nativitatis B. M. V. Ss. Nominis ejusdem B. M. V. *dupl. maj.* Comm. Dominicæ.

Dominica III. Septembris. Septem Dolorum B. M. V. *dupl. maj.* Comm. Dominicæ.

October.

1. S. Remigii Episc. Conf. *semiduplex ad libit.*, vel *simplex de præcepto.*
2. Ss. Angelorum Custodum. *dupl. maj.*
3. S. Wenceslai Ducis Mart. (D. a. ex 28. Sept.) *semid.* 27*
4. S. Francisci Conf. *dupl. maj.*
5. S. Froylani Episc. Conf. *dupl.* Commem. Ss. Placidi et Socior. Mm. 27*
6. S. Brunonis Conf. *dupl.*
7. S. Marci Pap. Conf. Comm. Ss. Sergii et Soc. Mm. *simpl.*
8. S. Birgittæ Viduæ. *dupl.*
9. Ss. Dionysii Episc. et Soc. Mm. *semidupl.*
10. S. Ludovici Bertrandi Conf. Patron. Principalis Ditionis. *dupl. 1. class. cum Octava.* 27*
11. S. Francisci Borgiæ Conf. (D. a. ex heri) *dupl.* Comm. Octavæ. 27*
12. B. M. V. de Columna. *dupl. maj.* Comm. Octavæ. 27*
13. S. Eduardi Regis Conf. *semidupl.* Comm. Octavæ.
14. S. Callisti I. Pap. Mart. *dupl.* Comm. Octavæ.
15. S. Teresiæ Virg. *dupl.* Comm. Octavæ. 29*
16. De Octava. *semiduplex.* 29*
17. Dies Octava S. Ludovici Bertrandi Conf. *dupl.* 32*
18. S. Lucæ Evang. *dupl. 2. class.*
19. S. Petri de Alcantara Conf. *duplex.*

Digitized by Google

20. S. Joannis Cantii Conf. *dupl.*
21. Ss. Ursulæ et Soc. Virg. Mm. *dupl.* Comm. S. Hilarionis Abbatis. pag. 35*
22. S. Mariæ Salome Vid. *dupl.* 35*
23. S. Petri Paschasii Episc. Mart. *dupl.* 38*
24. S. Raphaëlis Archangeli. *dupl. maj.* 38*
25. S. Fructi Conf. *duplex.* Commem. Ss. Chrysanthi et Soc. Mm. 38*
26. Ss. Servandi et Germani Mm. (D. a. ex 23. hujus) *dupl.* Commem. S. Evaristi Pap. Mart. 38*
27. S. Hedwigis Vid. (D. a. ex 17. hujus) *semidupl.* Comm. Vigil. 38*
28. Ss. Simonis et Judæ Apost. *dupl. 2. class.*
29. S. Narcissi Episc. Mart. *dupl.* 41*
30.
31. Vigilia.

Domin. I. Oct. Ss. Rosarii B. M. V. *dupl. 2. class.* Comm. Dominicæ.

Domin. II. Oct. Maternitatis B. M. V. *dupl. maj.* Comm. Dominicæ. 44*

Domin. III. Oct. Puritatis B. M. V. *dupl. maj.* Commem. Dominicæ. 44*

November.

1. Omnium Sanctorum. *dupl. 1. class. cum Octava.*
2. Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum. *duplex.* — De Octava. *semidupl.*
3. Ss. Innumerabilium Martyrum Cæsaraugustæ. *duplex.* Commem. Octavæ. 44*
4. S. Caroli Episc. Conf. *dupl.* Commem. Oct. ac Ss. Vitalis et Socior. Mm.
5. B. Martini a Porres Conf. *dupl.* Comm. Octavæ. 45*
6. De Octava. *semiduplex.*
7. De Octava. *semiduplex.*
8. Dies Octava Omnium Sanctorum. *dupl.* Commemoratio Ss. Quatuor Coronatorum Mm.
9. Dedicatio Basilicæ Ss. Salvatoris. *dupl.* Commemoratio S. Theodori Mart.
10. S. Andreæ Avellini Conf. *dupl.* Commem. Ss. Tryphonis et Socior. Mm.
11. S. Martini Episc. Conf. *dupl.* Commem. S. Mennæ Mart.
12. S. Martini I. Pap. Mart. *semidupl.*
13. S. Stanislai Kostkæ Conf. *dupl.* 48*
14. S. Josaphat Episc. Conf. *dupl.*

Digitized by Google

15. S. Gertrudis Virg. *dupl.*
16. S. Eugenii Episc. Mart. (D. a. ex heri) *dupl.* pag. 48*
17. Ss. Aciscli et Victoriæ Mm. *dupl.* 48*
18. Dedicatio Basilicarum Ss. Petri et Pauli Apost. *dupl.*
19. S. Elisabeth Vid. *dupl.* Comm. S. Pontiani Papæ Mart.
20. S. Felicis de Valois Conf. *dupl.*
21. Præsentatio B. M. V. *dupl. maj.*
22. S. Cæciliæ Virg. Mart. *dupl.*
23. S. Clementis I. Pap. Mart. *dupl.* Commem. S. Felicitatis Mart.
24. S. Joannis a Cruce Conf. *duplex.* Commem. S. Chrysogoni Mart.
25. S. Catharinæ Virg. Mart. *dupl.*
26. S. Didaci Conf. (D. a. ex 13. hujus) Commem. S. Petri Alexandrini Episc. Mart.
27. Desponsatio B. M. V. cum S. Joseph Conf. *dupl. maj.* 51*
28. S. Gregorii Thaumaturgi Episc. Conf. (D. a. ex 17. hujus) *semiduplex.* 51*
29. Vigilia. Commem. S. Saturnini Mart.
30. S. Andreæ Apost. *duplex 2. classis.*

Dominica II. Novembris. Patrocinium B. M. V. *duplex majus.* Commem. Dominicæ. 51*

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 28. Oct. 1889.

G. Erlenborn, Vic. in Spirit. Gen.

Ratisbonæ 1889. Typis Fr. Pustet.

Digitized by Google

OFFICIA PROPRIA
PROVINCIÆ CANADA
A SANCTA SEDE APOSTOLICA INDULTA.

PARS HIEMALIS.

Die 28. Novembris.

Ss. Irenæi, Episc. et **Soc.** ejus, Mart.

Duplex.

Omnia de Communi plur. Mart., præter sequ.

Oratio.

Deus, invisíbilis fortitúdo certántium, adésto, quæsumus, nobis supplicántibus: ut qui hodiérna die sanctórum Mártyrum tuórum Irenæi et Sociórum gloriósum triúmphum recólimus, eórum méritis et précibus contra spirituália nequítiæ muniámur. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Ex Epístola sancti Irenæi Epíscopi et Mártyris ad Florínum de Monarchía.

Euseb., Hist. Eccl., lib. 5, cap. 20.

Lectio iv.

Floríne, vidi te cum adhuc puer essem, in inferióre Asia apud Polycárpum, spléndide agéntem in palátio, et magnópere laborántem, ut te illi approbáres. Etenim ea quæ tunc témporis gesta sunt, mélius memória téneo, quam illa quæ nuper accidérunt; ádeo ut et locum ipsum possem dícere, in quo beatíssimus Polycárpus sedens disserébat: procéssus quoque ejus et ingréssus vitéque totíus

Digitized by Google

formam, et córporis spéciem: sermónes dénique quos ad pópulum habébat, et familiárem consuetúdinem, quæ illi cum Joánne, ut narrábat, et cum réliquis qui Dóminum vidíssent, intercésserat, et quáliter dicta illórum commemorábat: et quæcúmque de Dómino ab iísdem audíerat: de miráculis quoque illíus, ac de doctrína, prout ab iis qui Verbum vitæ ipsi conspéxerant, Polycárpus accéperat, eódem prorsus modo referébat, in ómnibus cum Scriptúris conséntiens. Hæc ego, divína mihi largiénte misericórdia, tunc studiósius audiébam; non in charta, sed in corde meo audíta descríbens; eadémque per Dei grátiam assídue répeto ac revólvo.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis: * Terra appáruit árida, et in mari rubro via sine impedimento. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. Terra.

Ex libro sancti Hierónymi Presbýteri de Scriptóribus Ecclesiásticis.

Lectio v. Cap. 5.

Irenæus, Pothíni Episcopi, qui Lugdunénsem in Gállia regébat Ecclésiam, a martýribus ejúsdem loci ob quasdam Ecclésiæ quæstiónes legátus Romam missus, honoríficas super nómine suo ad Eleuthérium Epíscopum perfert lítteras. Póstea jam Pothíno prope nonagenário, ob Christum martýrio coronáto, in locum ejus substitúitur. Scripsit quinque advérsus hæreses libros, et contra Gentes volúmen breve; et de Disciplína, áliud; et ad Marciánum fratrem, de apostólica Prædicatióne; et librum variórum tractátuum, et ad Blastum, de Schísmate: et ad Florínum, de Monarchía, sive quod Deus non sit cónditor malórum; et de Octonário egrégium commentárium. Feruntur ejus et áliæ ad Victórem Epíscopum, de quæstióne Paschæ, epístolæ, in quibus cómmonet eum non fácile debére unitátem col-

Digitized by Google

légii scíndere. Síquidem Victor multos Asiæ et Oriéntis Epíscopos, qui a décima quarta luna cum Judæis Pascha celebrábant, damnándos credíderat. In qua senténtia ii qui discrepábant ab illis, Victóri non dedérunt manus. Flóruit máxime sub Cómmodo príncipe, qui Marco Antoníno Vero in impérium succésserat.

℟. Vérbera carnífícum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine: * Ut hærédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut hærédes.

Ex libro primo Historiárum sancti Gregórii Turonénsis Epíscopi.

Lectio vi. Cap. 27.

Beatíssimus Irenæus, Pothíni succéssor mártyris, qui a beáto Polycárpo Lugdunénsem ad urbem diréctus est, admirábili virtúte enítuit: qui in módici témporis spátio prædicatióne sua máxime in íntegro civitátem réddidit christiánam. Sed, veniénte persecutióne, tália ibídem diábolus bella per tyránnum exércuit, et tanta ibi multitúdo Christianórum ob confessiónem domínici nóminis est juguláta, ut per platéas flúmina cúrrerent de sánguine christiáno: quorum nec númerum, nec nómina collígere potúimus; Dóminus enim eos in libro vitæ conscrípsit. Beátum Irenæum divérsis in sua cárnifex præséntia pœnis afféctum, Christo Dómino per martýrium dedicávit.

℟. Tamquam aurum.

In III. Nocturno. Homilia S. Gregorii in Evang. secundum Lucam. Cum audiéritis.

In II. Vesp. fit commem. S. Saturnini, ut in Brev.

Si Festum S. Andreæ venerit Feria II., Lect. ix. fit de Vigilia ejusdem Sancti.

Die 11. Februarii.
S. Genovefæ Virginis. Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliqu. loc. die 3. Januarii.

Die 18. Februarii.
S. Simeonis Ep. et Mart. Duplex.

Omnia de Communi unius Mart. præter sequentia.

Digitized by Google

Oratio. **Infirmitátem.**

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrag. A **Miléto.** de Communi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Símeon, fílius Cléophæ, post Jacóbum próximus Jerosólymis ordinátus Epíscopus, Trajáno Imperatóre, apud Atticum consulárem est accusátus, quod Christiánus esset et Christi propínquus. Comprehendebántur enim omnes eo témpore, quicúmque ex génere David orti essent. Quare multis cruciátus torméntis, eódem passiónis génere, quod Salvátor noster subíerat, afficitur, miránibus ómnibus, quod homo setáte confféctus (erat enim centum et vigínti annórum) acerbíssimos crucis dolóres fórtiter constantérque paterétur.

℟. **Honéstum fecit.**

Lectio v. et vi. **Triumphális.** de Comm. unius Mart. 1. loco cum ℟. v. et vi. de eod. Comm.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Si quis venit.** de Comm. 1. loco. In Quadrag. Lect. ix. de Homil. Fer.

Imprimatur.

Die 30. Martii 1886.

✠ **E. Alexander,** Archiepisc. Quebecen.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 9. Julii 1886.

M. Dandl, Vicar. in Spirit. Gener.

Typis Fr. Pustet, S. Sed. Apost. et S. Rit. Congr. Typogr.

Digitized by Google

OFFICIA PROPRIA
PROVINCIÆ CANADA
A SANCTA SEDE APOSTOLICA INDULTA.

PARS VERNA.

Die 11. Februarii.

S. Genovefæ Virginis.

Duplex.

Omnia de Communi Virg., præter sequentia.

Oratio.

ffúnde super nos, Dómine, spíritum agniónis et dilectiónis tuæ, quo ancíllam tuam Genovéfam implevísti: ut sédula ejus imitatióne tibi sincére obsequéntes, fide tibi et ópere placeámus. Per Dóminum nostrum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

enovéfa, Nemptodúri in agro Parisiénsi, Sevéro et Gerúntia paréntibus nata, inaudíto virtútis splendóre a téneris annis cláruit. Germánus Antissiodorénsis in Británniam transitúrus cum Lupo Trecénsi, ut Pelagiánæ hæresis relíquias profligáret, conjéctis in eam óculis, Deo caram et vitæ sanctitáte illústrem fore prædíxit. Ab ea cum postulásset num virginitátem Deo consecráre vellet, Genovéfa, vultu ad modéstiam compósito, statim respóndit id unum se veheménter optáre. Germánus ítaque, ecclésia frequénti pópulo ingréssus, puéllæ manus impósuit, et inter crebros psalmórum concéntus, prolixásque oratiónes, vírginem consecrávit. Postrídie sciscitánti an voti jam emíssi memor esset, mémorem vero se, et in eo propósito permansúram, Deo operánte, asseverávit. Ille nummum æreum signo crucis insignítum,

Digitized by Google

nec sine Dei nutu humi conspicátus, collégit, vírgini dedit, præcepítque ut collo appénsum gestáret, nec ullis deínceps monílibus, quæ sponsæ Christi non convéniunt, ornári se paterétur.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et.

Lectio v.

Miraculórum dono et multitúdine excélluit, máxime circa energúmenos, quos óleo consecráto inúngens a dæmonum tyránnide liberábat. Plúrima prophético spíritu edíxit, atque imprímis, accedénte Attila, Hunnórum rege, cives Parisiénses adhortáta est ne, relíctis sédibus, fortúnas suas álio transférrent, urbem pollícita, subvérsis áliis munitiónibus, perstitúram. Rei veritátem probávit evéntus, idque Genovéfæ patrocínio datum. Grassánte deínde fame, et in máxima annónæ caritáte, urbem magna fruménti cópia, et páuperes innúmeros erogátis pánibus sustentávit. Neque tamen tot éditis miráculis effúgere pótuit, quin malevolórum ódio et contuméliis premerétur. Germánus, in Británniam íterum profectúrus, eam ádiit, et váriis impetítam calúmniis divíno elóquio consolátus est; habitáque gravi ad pópulum oratióne, quanti esset apud Deum mériti expósuit, et locum in quo preces illa fundébat, lácrimis ejus madefáctum osténdit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Lectio vi.

Ab anno ætátis décimo quinto ad usque quinquagésimum, Domínica tantum die et quinta féria jejúnium solvit, sumpto pane hordeáceo, ac módico pulménto, quod ante quíndecim dies coctum, ut minus sápidum esset, frígida temperábat aqua. Post id tem-

Digitized by Google

pus, suadéntibus Epíscopis, quibus non obtemperáre nefas putábat, piscículis et lacte usa est. Neque vero intra Gálliæ límites tanta virtus continéri pótuit. Símeon ille Stylítes, audíta tot miraculórum fama, ejus se précibus vóluit commendátum. Admirándis dénique virtútibus, ut scribit Beda, late cláruit, et in Christi servitúte ad octogínta et novem annos consénuit. De qua hæc étiam Gregórius Turonénsis: Sancta Genovéfa, quæ in córpore pósita, tanta virtúte præváluit, ut mórtuum suscitáverit, Lutétiæ in basílica sanctórum Apostolórum Petri et Pauli sepúlta est; ad cujus túmulum sæpius petitiónes datæ suffrágium óbtinent; sed et frigoriticórum febres ejus virtúte sæpíssime restringúntur.

℟. **Afferéntur Regi.**

In III. Nocturno Homilia in Evang. Símile erit regnum. de Comm. 1. loco.

In Quadrag. Lect. ix. de Homil. et Commem. Feriæ in Laud.

Die 18. Februarii.

S. Simeonis Ep. et Mart. Duplex.

Omnia de Comm. unius Mart., præter sequentia.

Oratio. Infirmitátem.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrag. A Miléto. de Comm.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Símeon, fílius Cléophæ, post Jacóbum próximus Jerosólymis ordinátus Epíscopus, Trajáno Imperatóre, apud Atticum consulárem est accusátus, quod Christiánus esset et Christi propínquus. Comprehendebántur enim omnes eo témpore, quicúmque ex génere David orti essent. Quare multis cruciátus torméntis, eódem passiónis génere, quod Salvátor noster subíerat, affícitur, mirántibus ómnibus, quod homo ætáte confíctus (erat enim centum et vigínti annórum) acerbíssimos crucis dolóres fortiter constantérque paterétur.

℟. **Honéstum fecit illum** Dóminus, et custodívit eum

Digitized by Google

ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. Et.

Lectio v. et vi. **Triumphális.** de Comm. unius Mart. 1. loco cum ℟. v. et vi. de eod. Comm.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Si quis venit.** de Comm. 1. loco. In Quadrag. Lect. ix. de Homil. Fer.

Die 23. Martii.

S. Thuribii Episc. et Conf. Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont., præter sequentia.

In I. Vesperis.

Capitulum. Eccli. 50.

Ecce Sacérdos magnus, qui in vita sua suffúlsit domum, et in diébus suis corroborávit templum. In diébus ipsíus emanavérunt pútei aquárum, et quasi mare adimpléti sunt supra modum.

In utrisque Vesperis et ad Laudes.

Hymnus.

Thuríbii efférimus cármine glóriam,
Pastórem cánimus, qui ex ánimo gregem
Diléxit: sóciet se pia vócibus
Nostris Lima, Patrem et canat.

Ut primum hic pópulos venit ad Indicos,
Convérti in mélius visa statim ómnia:
Succréscit píetas, móntium et íncolæ
Ad sacras próperant aquas.

Virtus hoc méruit Præsulis ínclyti,
Quæ late nítido lúmine prómicans
Mentémque irrádians facta tuéntium
Exémplum rapit ad suum.

Non illum próhibet sémita lóngior,
Non morum aspéritas, non álius labor:
Invísat próprium ne intrépidus gregem
Servet cautus et aúgeat.

Mox aptis júvenes ædibus éxcipit,
In spem quos alat Ecclésiæ, et óptime
Edóctos pópulo præfíciat, pares
Mores excólere et fidem.

Digitized by Google

Tum sacras státuit virgínibus domos,
Comméndent Dómino pura ubi lília
Cœlum Agníque petant índeque núptias
Qui inter lília páscitur.

Reddéndo intérea prǽmio at a Deo
Lux adscrípta venit. Lima Patrem dolet
Amíssum, súperis ædibus ádvolat
Sanctórũ ádditus hic choris.

Cordi gens ádeo cui fuit Indica,
Nostras propítius súscipe nunc preces:
Fac cives plácida pace quiéscere,
Sanctis vívere móribus.

Nostris prǽlia de fínibus rémove;
Mortem quæ ingéminant fébribus ímpera:
Urbes ne súbitis mótibus éruant,
Et terram cóhibe et mare.

Sanctæ sit Tríadi laus, honor et decus,
Thuríbii méritis quæ pópulo Indico
Hic pacem tríbuat, dénique sóspitem
Cœli sédibus ínferat. Amen.

Ad Magnif. Ant. Dispérsit, dedit paupéribus, justítia ejus manet in sæculum sæculi, allelúja.

Oratio.

Ecclésiam tuam, Dómine, beáti Thuríbii Confessóris tui atque Pontíficis contínua protectióne custódi: ut sicut illum pastorális sollicitúdo gloriósum réddidit; ita nos ejus intercéssio in tuo semper fáciat amóre ferventes. Per Dóminum nostrum.

Ad Matutinum.

Hymnus.

Thuríbii redit sacra
Dies: Parénti público
Limána plaudat cívitas
Et vota reddat ánnua.

Gente a vetústa nóbilis
Mundána sprevit ómnia,
Servíre Christo dígnius
Ratus crucémque súbsequi.

Hinc denegávit córpori
Quæcúmque mentis ímprobat
Lex, et flagéllis cóntudit,
Ne forte contra assúrgeret.

Limána nullum cívitas
Hoc sanctiórem Prǽsulem;
Benigniórem squálidi
Sensére nullum páuperes.

Digitized by Google

Nunc ergo te canéntibus
Thúribi, adésto cívibus,
Et quos amásti, fírmiter
Horum nepótes prótege.

Qui suscitásti mórtuos,
Fontes petísti ex árido,
Nos morte serva críminum
Exple salútis fóntibus.

Te protegénte e fínibus
Nostris facéssant prælia:
Nec mota terra aut æquora
Cives domósque absórbeant.

Malígna fébrium cohors
Quæ nostra vastat óppida,
Nocére nobis, súpplices
Qui te precámur, désinat.

Ut te adjuvánte, púriter
Post acta vitæ hic témpora,
Intráre tandem cœlicæ
Possímus aulæ in gaúdia.

Almo Parénti et Fílio,
Tibíque, sancte Spíritus,
Honor, decúsque et glória
Sit nunc, et omne in sæculum. Amen.

In I. Nocturno Lect. Audémus viros gloriósos. de Comm. Conf. Pont. 2. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Thuríbius Alphónsus, ex nóbili Mogrovéja gente Majórgæ in regno Legiónis natus, liberálibus disciplínis et juri canónico Vallisoléti primum, deínde Salmánticæ in majóri collégio Oveténsi sancti Salvatóris ita óperam dedit, ut tamen potiórem témporis partem oratióni aliísque piis et christiánis exercítiis impénderet. Id comprobátum est, cum emíssam in ejus cubículum impudícam mulíerem præcípuus virginitátis sectátor constánti ánimo extémplo éxpulit. Inde jejúniis, vigíliis et próprii córporis castigatióne contínuo vitam exércuit, et nudis quoque pédibus Compostéllam ad sancti Jacóbi sepúlchrum peregrinátus est.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v.

A Gregório décimo tértio Limánæ ecclésiæ ex quæstóre fídei invítus præfícitur. Quo in múnere apostólicam sollicitúdinem in nova christianitáte vel soli-

Digitized by Google

dánda vel ampliánda ádhibens perfécti præsulis partes explévit. Quare síngulis domínicis diébus vel in ecclésia vel in hospitáli domo, in parvis étiam oppídulis et súbdiu concionabátur plebémque catechísmo instruébat. Sýnodos étiam diœcesánas et provinciália concília juxta Tridentíni statúta hábuit, et in eis complúra decréta, póstea a Sede apostólica confirmáta, cóndita sunt, quibus modo ecclésia Americána régitur. Hinc morum emendátio, cleri disciplína, júvenum seminária, vírginum ac male nuptárum cœnóbia, ægrotórum xenodochía, aliæque ædes et templa, ejus étiam sumptu constrúcta, emanárunt.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

Diœcésim suam, amplíssimam quidem, incredíbili labóre totam sæpe visitávit, omnésque pene ecclésiæ suæ provéntus in paúperum usus, quos creditóres suos vocábat, erogávit, octingéntis, ut ferunt, hóminum míllibus sacro chrísmate unctis. Innúmeras contradictiónes, sive ab iis, qui foris sunt, propter fidem, sive ab iis, qui intra, propter Ecclésiæ libertátem, summa patiéntia sústinens, ácriter deféndit, martýrii cupidíssimus. Tandem sacerdótio et miráculis clarus, quæ étiam post mortem ipsíus sanctitátem comprobárunt, dum própriæ diœcésis visitatióni incúmberet, anno millésimo sexcentésimo sexto, ætátis suæ sexagésimo octávo, sumpto in ecclésia sacro viático, ad mortis núntium exclámans: Lætátus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Dómini íbimus, die vigésima tértia Mártii obdormívit in Dómino: quem Innocéntius undécimus in beatórum númerum rétulit, assignáta ejus festivitáti die vigésima séptima Aprílis. Deínde novis quamplúribus fulgéntem signis Benedíctus décimus tértius

Digitized by Google

Póntifex Máximus quarto Idus Decémbris anno salútis millésimo septingentésimo vigésimo sexto sanctórum fastis adscrípsit.

℟. Iste est.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Ego sum Pastor bonus. ut in Dom. II. post Pascha.

℟. vii. et viii. de Communi Confessoris Pontificis.

Ad Laudes.

Capitulum et Hymnus ut in I. Vesp.

Ad Bened. Ant. Quasi thus rédolens in diébus æstátis, quasi ignis effúlgens et thus ardens in igne, allelúja.

Ad Tertiam.

Capitulum de Laudibus.

In II. Vesperis.

Capitulum et Hymnus ut in I. Vesp.

Ad Magnif. Ant. Eccli. 50. Quasi olíva púllulans et cypréssus in altitúdinem se extóllens, in accipiéndo ipsum stolam glóriæ, et vestíri eum in consummatiónem virtútis; in ascénsu altáris sancti, glóriam dedit sanctitátis amíctum, allelúja.

Domin. II. post Pascha.

S. Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph.

Duplex 2. classis.

In I. Vesperis.

Ant. de Laud. Psalmi ut in festis B. M. V.

Capitulum. Gal. 4.

Fratres: Quanto témpore hæres párvulus est, nihil differt a servo, cum sit dóminus ómnium: sed sub tutóribus et actóribus est usque ad præfinítum tempus a patre.

Hymnus.

O par ingénito, Christe Deus, Patri
Infans, quem téneris, cónjuge cum sacro,
Mulcet Virgo Parens et colit ósculis,
Da cunas prope sístere.
Hic diræ méditans supplícium crucis,
Fletu nostra tuo crímina díluis,
Vágitu mísero flectis et æthera:
Pœnas éxcipis ínnocens.
Libas purpúreum córpore sánguinem
Excíso, Sólymæ damna præóccupas,

Digitized by Google

Natalíque solo non pudet éjici;
Sic sontes míserans pias.

Tu, Mater, pénetrans grande sacrárium,
Quid vindex scélerum, quid Deus éxigat,
Alta mente vides, jamque tuum, ferox,
Pectus, láncea vúlnerat.

Quo te cumque Dei jussa ferant pedem,
Joseph cum púero Mátreque dírigis,
Christe, et perpétuo tu obséquio, in patres
Quid natos déceat mones.

Insúdas óperi, pauper et índigus,
Templo qui próceres, sermo Patris doces
Unus qui sápiens es, sapiéntiam
Visus quærere et éloqui.

Per Christum púerum máxima laus Patri;
Per Matrem, próprio máxima Fílio;
Per Sponsum tibi laus máxima, Spíritus:
Per Tres glória sit Tribus. Amen.

℣. Verbum caro factum est, allelúja. ℟. Et habitávit in nobis, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Joseph, fili David, noli timére accípere Maríam cónjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spíritu sancto est: páriet autem fílium, et vocábis nomen ejus Jesum, allelúja.

Oratio ut in Laudibus.

Ad Complet. et per Horas. Hymni concluduntur:

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine.

Ad Matutinum.

Invit. Allelúja, Jesum, Angelórum Dóminum, paréntibus súbditum, * Veníte adorémus, allelúja.

Hymnus.

Natum piándo crímini
Missúrus in terras Deus,
Natóque Matrem Vírginem
Sponsúmque Matri próvidet.

Mortális isthæc Trínitas
Adúmbrat ætérnam, piis,
Et æmulans honóribus
Sancta refert concórdia.

Edícto Regis éxeunt:
Tunc, summe rerum Cónditor,
Migras paréntum nómine
Censéndus instar súbditi.

Sub noctis incleméntia
Rigénte, Natum, frígore,

Digitized by Google

Stringit puélla fásciis:
Joseph adórat Príncipem.
Præsépe quem tu cóntines!
Lux fulget; ales gaúdia
Lambens Olýmpo núntiat;
Et Pastor et currit Magus.
Illic paréntes éxcubant:
Quid non, tacéndo, férvidis
Intus sonant afféctibus!
Quali minístrant órdine!
Legále dum cultrum ferens
Infans profúndit sánguinẽ,
Jesus vocátur; víctima
Mox rite templo sístitur.
Ægýpte, servas hóspites
Reddísque, dum cœlum monet:
Quos, Christe, præsens róboras,
Non sors acérba cóncutit.
Sit laus Patri, laus Fílio,
Sit par tibi laus, Spíritus,
Quem Christus afflábat Puer,
Simul Deus, paréntibus.
Amen.

In I. Nocturno.

Ant. María péperit Fílium suum primogénitum, et pannis eum invólvit, et reclinávit in præsépio, allelúja.

Psalmi trium Nocturn. ut in Officio B. M. V.

℣. Puer natus est nobis, allelúja. ℟. Et fílius datus est nobis, allelúja.

De Isaía Prophéta.

Lectio i. Cap. 7.

Et adjécit Dóminus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum a Dómino Deo tuo in profúndum inférni, sive in excélsum supra. Et dixit Achaz: Non petam et non tentábo Dóminum. Et dixit: Audíte ergo, domus David: Numquid parum vobis est moléstos esse homínibus, quia molésti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum: Ecce Virgo concípiet et páriet Fílium, et vocábitur nomen ejus Emmánuel. Bútyrum et mel cómedet, ut sciat reprobáre malum, et elígere bonum.

℟. Verbum caro factum est, et habitávit in nobis, * Et vídimus glóriam ejus, glóriam quasi unigéniti a Patre, plenum grátiæ et veritátis, allelúja, allelúja. ℣. Quotquot autem recepérunt eum, dedit eis potestátem fílios Dei fíeri. Et.

Digitized by Google

Lectio ii. Isai. cap. 2.

Et egrediétur virga de radíce Jesse, et flos de radíce ejus ascéndet. Et requiéscet super eum spíritus timóris Dómini, spíritus sapiéntiæ et intelléctus, spíritus consílii et fortitúdinis, spíritus sciéntiæ et pietátis, et replébit eum spíritus timóris Dómini. Non secúndum visiónem oculórum judicábit, neque secúndum audítum aúrium árguet; sed judicábit in justítia paúperes, et árguet in æquitáte pro mansuétis terræ: et percútiet terram virga oris sui, et spíritu labiórum suórum interfíciet ímpium. Et erit justítia cíngulum lumbórum ejus, et fides cinctórium renum ejus.

℟. Missus est Gábriel Angelus ad Maríam Vírginem desponsátam Joseph: Ave, María, grátia plena, Dóminus tecum: ecce concípies et páries Deum páriter et hóminem, * Ut benedícta dicáris inter omnes muliéres, allelúja. ℣. Páries quidem fílium, et virginitátis non patiéris detriméntum; efficiéris grávida, et eris mater, semper intácta. Ut.

Lectio iii. Isai. cap. 62.

Propter Sion non tacébo, et propter Jerúsalem non quiéscam, donec egrediátur ut splendor justus ejus, et salvátor ejus ut lampas accendátur. Et vidébunt gentes Justum tuum, et cuncti reges ínclytum tuum; et vocábitur tibi nomen novum, quod os Dómini nominábit. Et eris coróna glóriæ in manu Dómini, et diadéma regni in manu Dei tui. Non vocáberis ultra Derelícta: et terra tua non vocábitur ámplius Desoláta: sed vocáberis Volúntas mea in ea, et terra tua inhabitáta, quia complácuit Dómino in te: et terra tua inhabitábitur. Habitábit enim júvenis cum vírgine, et habitábunt in te fílii tui. Et gaudébit sponsus super sponsam, et gaudébit super te Deus meus. Super muros tuos, Jerúsalem, constítui custódes: tota die et tota nocte in perpétuum non tacébunt.

℟. Cum esset desponsáta Mater Jesu María Joseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu sancto. * Joseph,

Digitized by Google

fili David, noli timére accípere Maríam cónjugem tuam: * Quod enim in ea natum est, de Spíritu sancto est, allelúja, allelúja. ℣. Páriet autem fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. Joseph. Glória Patri. Quod enim.

In II. Nocturno.

Ant. Postquam compléti sunt dies purgatiónis Maríæ, tulérunt Jesum in Jerúsalem paréntes ejus, ut sísterent eum Dómino, allelúja.

℣. Ave María grátia plena, allelúja. ℟. Dóminus tecum, allelúja.

Sermo S. Bernárdi Abbátis. Homil. 1. in Laudibus Virg. Matris.

Lectio iv.

Quæ est hæc Virgo, tam venerábilis, ut salutétur ab Angelo; tam húmilis, ut desponsáta sit fabro? Pulchra permíxtio virginitátis et humilitátis; nec mediócriter placet Deo illa ánima, in qua et humílitas comméndat virginitátem, et virgínitas exórnat humilitátem. Sed quanta putas veneratióne digna est, in qua humilitátem exáltat fœcúnditas, et partus cónsecrat virginitátem? Audis vírginem, audis húmilem. Si ígitur virginitátem in María non potes nisi mirári, stude humilitátem imitári, et súfficit tibi. Quod si et virgo et húmilis es, quisquis es, magnus es. Est tamen majus áliquid quod miréris in María, scílicet cum virginitáte fœcúnditas.

℟. Quem vidístis, pastóres, dícite, annuntiáte nobis in terris quis appáruit. * Natum vídimus, et chóros Angelórum collaudántes Dóminum, allelúja, allelúja, allelúja. ℣. Dícite quidnam vidístis, et annuntiáte Christi nativitátem. Natum.

Lectio v.

A sæculo enim non est audítum, ut áliqua simul mater esset et virgo. Quod si et cujus mater atténdas, quo te tua super ejus mirábili celsitúdine ducet admirátio? Nonne ad hoc ut te vídeas nec satis posse mirári? Nonne tuo, imo veritátis judício, illa quæ Deum hábuit fílium, super omnes étiam choros exaltábitur Angelórum? An non Deum et Dóminum An-

Digitized by Google

gelórum María suum audácter appéllat fílium, dicens: Fili, quid fecísti nobis sic? Quis hoc aúdeat Angelórum? Súfficit eis, et pro magno habent, quod cum sint spíritus ex conditióne, ex grátia facti sint, et vocáti Angeli, testánte David: Qui facit, inquit, Angelos suos spíritus. María vero matrem se agnóscens, majestátem illam cui illi cum reveréntia sérviunt, cum fidúcia suum núncupat fílium. Nec dedignátur nuncupári Deus, quod esse dignátus est. Nam paulo post subdit Evangelísta: Et erat, ínquiens, súbditus illis. Quis? quibus? Deus, homínibus: Deus, inquam, cui Angeli súbditi sunt, cui Principátus et Potestátes obédiunt, súbditus erat Maríæ; nec tantum Maríæ, sed étiam Joseph propter Maríam.

℟. Congratulámini mihi, omnes qui dilígitis Dóminum: * Quia cum essem párvula, plácui Altíssimo, et de meis viscéribus génui Deum et hóminem, allelúja. ℣. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Deus. Quia.

Lectio vi.

Et ipse Jesus erat incípiens quasi annórum trigínta, ut putabátur fílius Joseph. Nec vir ergo matris, nec fílii pater éxstitit, quamvis certa (ut dictum est) et necessária dispensatióne utrúmque ad tempus et appellátus sit et putátus. Cónjice ex hac appellatióne, qua (licet dispensatória) méruit honorári a Deo, ut pater Dei et dictus et créditus sit: cónjice et ex próprio vocábulo, quod augméntum non dúbites interpretári, quis et qualis homo fúerit iste homo Joseph. Simul et meménto magni illíus quondam Patriárchæ vénditi in Ægýpto, et scito ipsíus istum non solum vocábulum fuísse sortítum, sed et castimóniam adéptum, innocéntiam assecútum, et grátiam. Non est dúbium, quin bonus et fidélis homo fúerit iste Joseph, cui Mater desponsáta est Salvatóris. Fidélis, inquam, servus et prudens, quem constítuit Dóminus suæ Matris

Digitized by Google

solátium, suæ carnis nutrítium, solum dénique in terris magni consílii coadjutórem fidíssimum.

℟. Fidélis servus et prudens, * Quem constítuit Dóminus suæ Matris solátium, suæ carnis nutrítium, et solum in terris magni consílii coadjutórem fidelíssimum, allelúja, allelúja. ℣. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi Dóminus, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. Quem constítuit. Glória Patri. Quem constítuit.

In III. Nocturno.

Ant. Ecce Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe púerum et matrem ejus, et fuge in Ægýptum, allelúja.

℣. Constítuit eum dóminum domus suæ, allelúja. ℟. Et príncipem omnis possessiónis suæ, allelúja.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 2.

Cum factus esset Jesus annórum duódecim, ascendéntibus illis Jerosólymam secúndum consuetúdinem diéi festi, consummatísque diébus, cum redírent, remánsit puer Jesus in Jerúsalem. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

Cap. 2. in Luc.

Duæ sunt in Christo generatiónes: una est patérna, matérna áltera. Patérna illa divínior; matérna vero quæ in nostrum labórem usúmque descéndit. Et ídeo quæ supra natúram, supra ætátem, supra consuetúdinem fiunt non humánis assignánda virtútibus, sed divínis referénda sunt potestátibus. Alibi eum ad ministérium mater impéllit, hic mater argúitur, quia adhuc, quæ humána sunt, éxigat. Sed cum hic duódecim describátur annórum, illic discípulos habére dicátur; vides matrem didicísse a Fílio ne exígeret a validióre ministérium, quæ stupébat in junióre miráculum.

℟. Benedíctus qui venit in nómine Dómini: Deus Dóminus, et illúxit nobis, * allelúja, allelúja. ℣. Hæc dies quam fecit Dóminus:

Digitized by Google

exsultémus, et lætémur in ea, allelúja, allelúja.

Bened. Divínum auxíliũ.

Lectio viii.

Et venit Názareth, et erat súbditus illis. Quid enim magíster virtútis, nisi offícia pietátis impléret? et mirámur si patri defert qui súbditur matri? Non útique infirmitátis, sed pietátis ista subjéctio est: attóllat licet sævis emíssus látebris cóluber perfídiæ caput, et serpentínis évomat venéna pectóribus. Cum dicit se Fílius missum, majórem hæréticus appéllet Patrem, ut imperféctum Fílium dicat, qui potest habére majórem, ut aliénis auxíliis ásserat eum qui míttitur indigére, numquid et humáno egébat auxílio, ut matérno servíret império?

℟. Ascéndit Joseph a Galilæa, de civitáte Názareth, in Judæam, in civitátem David, quæ vocátur Béthlehem, * Eo quod esset de domo et família David, allelúja. ℣. Ut profiterétur cum María desponsáta sibi uxóre. Eo quod. Glória Patri. Eo quod.

Lectio ix. de Homil. Domin.

Ad Laudes

et per Horas.

Ant. 1. O admirábile commércium! * Creátor géneris humáni, animátum corpus sumens, de Vírgine nasci dignátus est: et procédens homo sine sémine, largítus est nobis suam Deitátem, allelúja.

Ps. Dóminus regnávit. cum reliqu. de Domin.

2. Ante lucíferum * génitus et ante sécula, Dóminus Salvátor noster in forma servi appáruit, allelúja.

3. Ecce María * génuit nobis Salvatórem, quem Joánnes videns exclamávit, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi, allelúja.

4. Benedícite Dóminum, omnes Angeli ejus, minístri ejus, qui fácitis voluntátem ejus, allelúja.

5. Joseph, * fidélis et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam, allelúja.

Capitulum. Gal. 4.

Fratres: Quanto témpore hæres párvulus est, nihil differt a servo, cum sit dóminus ómnium: sed sub tutóribus et actóribus est

Digitized by Google

usque ad præfinítum tempus a patre.

Hymnus.

Verbum, virgíneo te génitum sinu,
Te Christi cánimus Virgo puérpera,
Te, Joséphe, sacram progéniem regens,
Cujus díceris et pater.

Regnátor rútilo lapsus ab æthere,
Tranquíllus súperis quæ penetrálibus
Pacis regna tenet, cóndere tum venit
Imis qua hábitat plagis.

Fortunáta domus, quam Deus íncolit,
Ac cœléstis amor, sánctaque cáritas
Diffúsa e púero illúminat, et suis
Ditem munéribus facit.

Prudens hanc décorat simplícitas domum:
Vanæ hinc delíciæ lóngius éxsulant:
Hic et tota Deo glória pérfrui,
Mundi spérnere gaúdia.

O sedes Dómini quo chorus ádvolat
Mirans angélicus, laúdibus æmulis
Circum tecta sonans, nútibus óbsequens!
O cœlo domus áltior!

Non te servítio légifer éximis,
Non divína negas membra labóribus,
Cœlósque atque hómines qui regis, in fabri
Obscúrus látitas domo.

Sacris verba Dei vátibus édita
Exércent ánimos, cándida véritas
Imples, Christe; jubar nube paréntibus
Excússa, patet óbvium.

Quæ virtus rádiat! quæ sapiéntia!
Qualis mellífluis grátia vócibus,
Quæ morum grávitas! quam venerábiles
Progréssus hóminis Dei.

Per Christum púerum máxima laus Patri;
Per matrem próprio máxima Fílio;
Per sponsum, tibi laus máxima, Spíritus;
Per Tres glória sit Tribus. Amen.

℣. Vidérunt omnes fines terræ, allelúja. ℟. Salutáre Dei nostri, allelúja.

Digitized by Google

Ad Bened. Ant. **Puer Jesus crescébat et confortabátur, plenus sapiéntia; et grátia Dei erat in illo, et erat súbditus illis, allelúja.**

Oratio.

Deus, qui salútis ætérnæ per sanctíssimam famíliam Jesu, Maríæ, Joseph, humáno géneri præmia præstitísti: tríbue, quæsumus; ut in qua vitæ auctórem nobis símilem foris agnóvimus, per eam intus reformári mereámur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Ad Primam.

Ant. **O admirábile commércium.**

In ℟. br. dicitur: **Qui natus es de Vírgine.**

Ad Tertiam.

Ant. **Ante lucíferum.**

Capit. **Fratres: Quanto témpore.** ut supra.

℟. br. **Speciósus forma præ fíliis hóminum, * allelúja, allelúja. Speciósus. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Speciósus.**

℣. Notum fecit Dóminus, allelúja. ℟. Salutáre suum, allelúja.

Ad Sextam.

Ant. **Ecce María.**

Capitulum. Gal. 4.

At ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum, factum ex mulíere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus.

℟. br. **Benedícta tu in muliéribus, * allelúja, allelúja. Benedícta. ℣. Et benedíctus fructus ventris tui. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Benedícta.**

℣. Post partum, virgo invioláta permansísti, allelúja. ℟. Dei Génitrix, intercéde pro nobis, allelúja.

Ad Nonam.

Ant. **Joseph.**

Capitulum. Gal. 4.

Quóniam autem estis fílii, misit Deus spíritum Fílii sui in corda vestra clamántem: Abba, Pater. Itaque jam non est servus, sed fílius: quod si fílius, et hæres per Deum.

℟. br. **Constítuit eum dóminum domus suæ, * allelúja, allelúja. Constítuit. ℣. Et príncipem omnis possessió-**

Digitized by Google

nis suæ. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Constítuit.

℣. Glória et divítiæ in domo ejus, allelúja. ℟. Et justítia ejus manet in sæculum sæculi, allelúja.

In II. Vesperis.

Omnia ut in I., præter sequ.

℣. Adorábunt in conspéctu ejus, allelúja. ℟. Univérsæ famíliæ géntium, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Propter nímiam caritátem suam, qua diléxit nos Deus, Fílium suum misit, factum ex muliére; ut in ipso benedicerémur omnes famíliæ terræ, et adoptiónem filiórum reciperémus, allelúja, allelúja.

Die 1. Junii.

B. M. V. Matris Gratiæ.

Duplex majus.

Omnia ut in Breviario Romano in festis B. M. V. per annum, præter sequentia.

In I. Vesperis.

℣. Exsultábimus et lætábimur in te, allelúja. ℟. Mémores úberum tuórum super vinum, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Núptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, et erat Mater Jesu ibi; et deficiénte vino, dicit ad eum: Vinum non habent. Dicit minístris: Quodcúmque díxerit vobis fácite, allelúja.

Oratio.

Deus, qui humáno géneri Beátæ Maríæ Virginitáte fœcúnda Reparatiónis grátiam contulísti; concéde, ut quam Grátiæ Matrem accépimus in terris, ejus felíci consórtio perénniter perfruámur in cœlis. Per Dóminum nostrum.

In II. Nocturno.

Sermo Benedícti Papæ décimi quarti.

(In Decreto pro Congregationibus B. M. V.)

Lectio iv.

Sicut omnípotens Deus hanc felicíssimam Vírginem eléctam ex míllibus, et ad ineffábilem divínæ Maternitátis dignitátem, Angelo nuntiánte evéctam, grátiæ suæ donis abundántius præ céteris ómnibus puris creatúris replévit, ac splendidíssimis glóriæ corónis super ália ómnia mánuum suárum ópera decorávit; sic étiam Cathólica Ecclésia, sancti

Digitized by Google

Spíritus magistério edócta, eámdem, et tamquam Dómini ac Redemptóris sui Paréntem, cœlíque ac terræ Regínam impensíssimis obséquiis cólere, et tamquam amantíssimam Matrem, extréma Sponsi sui moriéntis voce sibi relíctam, filiális pietátis afféctu prósequi studiosíssime semper profésса est.

℟. Quómodo descéndit imber et nix de cœlo, et illuc ultra non revértitur, sed inébriat terram et infúndit eam, et germináre eam facit, et dat semen serénti, et panem comedénti, * Sic erit verbum meum, quod egrediétur de ore meo, allelúja. ℣. Non revertétur ad me vácuum, sed fáciet quæcúmque vólui, et prosperábitur in his ad quæ misi illud; quia in lætítia egrediémini, et in pace deducémini. Sic erit verbum.

Lectio v.

Ad ejus opem in públicis calamitátibus et perturbatiónibus, quæcúmque infernórum hóstium vi excitátæ fuérunt, véluti ad tutíssimum salútis portum, confúgere consuévit, ejúsque potíssimum virtúte cunctas hæreses in univérso mundo exstínctas ac debellátas esse fatétur. Hæc enim est speciosíssima Esther quam ádeo suprémus Regum Rex adamávit, ut ad salútem pópuli sui non tam dimídiam regni sui partem, quam totum quodámmodo impérium suum et potestátem cum ea communicásse videátur: hæc fortis illa Judith cui Deus Israël de ómnibus inimícis terræ suæ victóriam reportáre concéssit. Hanc ipsa Ecclésia, concórdibus Patrum senténtiis, a fíliis suis ómnibus, in peculiáribus eórum necessitátibus atque perículis cum fidúcia adeúndam suádet, tamquam Advocátam apud suum Deíque unigénitum Fílium, loquéntem pro nobis bona: hanc prædicat mýsticam Arcam fœderis, in qua reconciliatiónis nostræ impléta sunt Sacraménta, quam Deus respíciens, pacti sui recordábitur, et misericórdiæ memor erit. Ipsa est cœléstis véluti rivus, per quem gratiárum ómnium atque donórum fluénta in miserórum

Digitized by Google

mortálium sinum deducúntur: ipsa est aúrea cœli Porta, per quam in sempitérnæ beatitúdinis réquiem aliquándo intráre confídimus.

℟. Lauda Deum tuum, Sion: quóniam confortávit seras portárum tuárum: * Benedíxit fíliis tuis in te, qui pósuit fines tuos pacem, et ádipe fruménti sátiat te, allelúja. ℣. Sicut lætántium ómnium nostrum habitátio est in te, sancta Dei Génitrix. Benedíxit.

Ex antiquis monumentis.

Lectio vi.

Ad hanc præcélsam Turrim Davídicam respiciébant, in eáque spem suam, nec frustra, ponébant, innúmeri illi mílites, sub Christi vexíllo conscrípti, qui péctore crucem et manu gládium geréntes, sacrum Redemptóris sepúlchrum defensúri, ad Palæstínam olim convolábant. Cujus potentíssimum ferunt fuísse expértos præsídium tres nóbiles e Francórum gente et Appiórum stirpe Fratres, qui, pátria domo relícta, sancti Joánnis Jerosolymitáni milítiæ nomen dédérant. Cum enim Saracenórum incúrsibus fórtiter obsísterent, ad Ascalónem dolo capti, in víncula conjécti sunt. Hos Ægýpti Soldánus ad Mahuméticam sectam minis et blandítiis perdúcere frustra conátus, novum perfídiæ genus adhíbuit, missa fília Isméria, quæ eórum fidem subvérteret. At dum inter illos de vera religióne disceptátum est, victa Soldáni fília, Vírginis Maríæ, quam júvenes laúdibus extúlerant, imáginem summópere cúpiens contemplári, Deíparæ effígiem prece fervénti, ut fama est, cœlitus impetrátam ab ipsis áccepit, et uberióri jam movénte grátia, se Christiánam proféssa est. Tunc Equites cum Isméria fugam ab infidélium terris moliéntes, cœlésti auxílio a Memphíticis oris ad Laudunénsem agrum, juxta fontem prædii patérni, una cum sacro pígnore transvécti sunt. Quorum insperáti réditus tanta omnes lætítia cepit, ut templum in quo sacra effígies véluti causa lætítiæ colerétur, perénne

Digitized by Google

grati ánimi testimónium, applaudénte Epíscopo, exstrúxerint. Quod toto mox Galliárum tractu miraculórum fama illustrátum, varísque Pontíficum grátiis ornátum, et innúmeris Príncipum donis cumulátum, ad hæc usque témpora, ǽmulo regum populorúmque concúrsu, diébus præsértim Pentecóstes, tamquam Fons grátiæ frequentátum est. His permótus Pius IX. Póntifex Máximus, anno millésimo octingentésimo quinquagésimo séptimo, Imáginem Lætitiénsem Beátæ Maríæ Vírginis sub título Matris Grátiæ solémniter coronári, annuúmque commemoratiónis Festum sub eódem título in hoc templo, et circumjacénti Lætítiæ óppido celebrári concéssit.

℟. Leva in circúitu óculos tuos, et vide: omnes isti congregáti sunt, venérunt tibi;* Fílii tui de longe vénient, et fíliæ tuæ de látere surgent, allelúja. ℣. Tunc vidébis et áfflues, et mirábitur et dilatábitur cor tuum. Fílii tui. Glória Patri. Fílii tui.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 1., 26.

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilǽæ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David: et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homília sancti Bernárdi Abbátis.

Sermo 2. in festo Pentecostes.

issus est cóluber tortuósus a diábolo, ut venénum per aures mulíeris in ipsíus mentem transfúnderet, et sic refúnderet in totíus posteritátis orígenem. Missus est ínterim Gábriel Angelus a Deo, ut Verbum Patris per aurem Vírginis in ventrem et mentem ipsíus eructáret, ut eádem via intráret antídotum, qua venénum intráverat. Vere vídimus glóriam ejus, glóriam quasi Unigéniti a Patre: quia totum patérnum est quod de corde Patris Christus áttulit nobis, ut nihil in Fílio Dei nisi dulce, nisi

Digitized by Google

patérnum humáni géneris trepidátio suspicétur. A planta pedis usque ad vérticem non erat in nobis sánitas: erraverámus ab útero: in útero damnáti, ántequam nati: quia de peccáto et in peccáto concépti.

℟. Misit Deus Fílium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redímeret. * Ut adoptiónem filiórum reciperémus, allelúja. ℣. Qui sanctíficat et qui sanctificántur ex uno omnes, propter quam causam non confúnditur fratres eos vocáre. Ut adoptiónem.

Lectio viii.

Christus ergo ibi primum medicínam appósuit, ubi primus vúlneri patébat locus: et substantiáliter útero Vírginis illápsus de Spíritu sancto concéptus est, ut conceptiónem nostram mundáret: quam spíritus malus, si non fécerat, tamen infécerat: ut non esset étiam in útero vita ipsíus otiósa, dum novem ménsibus purgat vulnus antíquum, scrutans, ut dícitur, usque ad imum putrédinem virulén-tam, ut sánitas sempitérna succéderet. Et tunc jam operabátur salútem in médio terræ, in útero vidélicet Vírginis Maríæ, quæ mirábili proprietáte terræ médium appellátur. Ad illam enim sicut ad médium, sicut ad Arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negótium sæculórum respíciunt et qui in cœlo hábitant, et qui in inférno, et qui nos præcessérunt, et nos qui sumus, et qui sequéntur, et nati natórum, et qui nascéntur ab illis. Illi qui sunt in cœlo ut resarciántur, et qui in inférno ut eripiántur: qui præcessérunt, ut prophétæ fidéles inveniántur: qui sequúntur, ut glorificéntur.

℟. Porta cœli et Stella maris es, Virgo María, Regis ætérni Mater; gratos nos redde Fílio tuo, * Quia omnis virtus et decor et glória ex te respléndet, allelúja. ℣. Tu véniæ vena, tu Grátiæ Mater, tu spes mundi: exaúdi fílios tuos clamántes ad te. Quia. Glória Patri. Quia.

Lectio ix.

Eo beátam te dicent omnes generatiónes, Gé-

Digitized by Google

nitrix Dei, Dómina mundi, Regína cœli; omnes, inquam, generatiónes. Sunt enim generatiónes cœli et terræ: Pater spirítuum, ait Apóstolus, ex quo omnis patérnitas in cœlo et in terra nominátur. Ex hoc ergo beátam te dicunt omnes generatiónes, quæ ómnibus generatiónibus vitam et glóriam genuísti. In te enim Angeli lætítiam, justi grátiam, peccatóres véniam invéniunt in ætérnum. Mérito in te respíciunt óculi totíus creatúræ, quia in te, et per te, et de te benígna manus Omnipoténtis quidquid creáverat recreávit.

Ad Laudes.

℣. Beáta quæ credidísti, allelúja. ℟. Quóniam perficiéntur quæ dicta sunt tibi a Dómino, allelúja.

Ad Bened. Ant. Cum vidísset Jesus Matrem et discípulum stantem quem diligébat, dicit Matri suæ: Ecce fílius tuus: deínde dicit discípulo: Ecce Mater tua; et ex illa hora accépit eam discípulus in sua, allel.

In II. Vesperis.

℣. Converténtur sedéntes in umbra ejus, allelúja. ℟. Vivent trítico, et germinábunt quasi vínea, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Revérsi sunt discípuli Jerosólymam a monte qui vocátur Olivéti, et cum introíssent in Cœnáculum, omnes erant perseveránte unanímiter in oratióne cum muliéribus et María Matre Jesu, et frátribus ejus, allelúja.

Index alphabeticus.

	pag.
Familiæ Ss. Jesu, Mariæ, Joseph. Dom. II. post Pascha.	8*
Genovefæ Virg. 11. Febr.	1*
Mariæ B. V. Matris Gratiæ. 1. Junii.	18*
Simeonis Episc. et Mart. 18. Febr.	3*
Thuribii Episc. et Conf. 20. Martii.	4*

Digitized by Google

MARIANOPOLITAN.

Rmus Dominus Ignatius Bourget, Episcopus Marianopolitanus exponens ab antiquissimo tempore in sua Diœcesi recitari Officium cum Missa sub titulo Sanctæ Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph, quin tamen Apostolicæ concessionis vestigium ullum appareat, a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX. supplicibus votis postulavit ut usus prædicti Officii recitandi et Missæ celebrandæ de Apostolica Benignitate continuari possit a Clero sibi concreditæ Diœceseos; Sanctitas vero Sua ad relationem subscripti Sacrorum Rituum Congregationis Secretarii permisit posse continuari in hujus Officii recitatione et Missæ celebratione in dicta Diœcesi, attamen sub modo et forma a Sacra Rituum Congregatione approbatis, uti in Exemplari huic decreto prævio, et dummodo Rubricæ serventur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 23. Martii 1865.

Pro Emo Revmo Card. Præfecto
L. Episc. Albanen. **Card. de Alteriis**
D. Bartolini S. R. C. Secr.

QUEBECEN.

Illmus D. N. Pius PP. IX. clementer deferens supplicibus votis Rmi Domini Petri Flavii Turgeon, Archiepiscopi Quebecensis, aliorumque Episcoporum Provinciæ Canada a subscripto S. Rit. Congregat. Secretario relatis, indulsit ut in omnibus Diœcesibus dictæ Provinciæ continuari possit in recitatione Officii et celebratione Missæ Sacræ Familiæ, attamen sub ritu, forma et modo concessis Diœcesi Marianop. die 23. Martii vertentis anni, et dummodo Rubricæ serventur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 1. Junii 1865.

C. Ep. Port. et S. Ruf., **Card. Patrizi** S. R. C. Præf.
D. Bartolini S. R. C. Secr.

Imprimatur.
Die 30. Martii 1886.
✠ **E. Alexander,** Archiepisc. Quebecen.

Imprimatur.
Ratisbonæ, die 9. Julii 1886.
M. Dandl, Vicarius in Spirit. Generalis.

Typis Fr. Pustet, S. Sedis Apost. et S. Rit. Congr. Typogr.

Digitized by Google

OFFICIA PROPRIA

PROVINCIÆ CANADA

A SANCTA SEDE APOSTOLICA INDULTA.

PARS ÆSTIVA.

Die 1. Junii.

B. M. V. Matris Gratiæ.

Duplex majus.

Omnia ut in Breviario Romano in festis B. M. V. per annum, præter sequentia.

In I. Vesperis.

℣. **Exsultábimus et lætábimur in te.** ℟. **Mémores úberum tuórum super vinum.**

Ad Magnif. Ant. **Núptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, et erat Mater Jesu ibi; et deficiénte vino, dicit ad eum: Vinum non habent. Dicit minístris: Quodcúmque díxerit vobis fácite.**

Oratio.

Deus, qui humáno géneri Beátæ Maríæ Virginitáte fœcúnda Reparatiónis grátiam contulísti; concéde, ut quam Grátiæ Matrem **accépimus in terris, ejus felíci** consórtio perénniter perfruámur in cœlis. Per Dóminum nostrum.

In II. Nocturno.

Sermo Benedícti Papæ décimi quarti.

(In Decreto pro Congregationibus B. M. V.)

Lectio iv.

Sicut omnípotens Deus hanc felicíssimam Vírginem eléctam ex míllibus, et ad ineffábilem divínæ Maternitátis dignitátem, Angelo nuntiánte evéctam, grátiæ suæ donis abundántius præ céteris ómnibus puris creatúris replévit, ac splendidíssimis glóriæ corónis super ália ómnia mánuum suárum ópera decorávit; sic étiam Cathólica Ecclésia, sancti Spíritus magistério edócta, eámdem, et tamquam Dómini ac Redemptóris sui Paréntem, cœlíque ac terræ Regínam impensíssimis obséquiis cólere, et tamquam

Digitized by Google

amantíssimam Matrem, extréma Sponsi sui moriéntis voce sibi relíctam, filiális pietátis afféctu prósequi studiosíssime semper profésса est.

℟. Quómodo descéndit imber et nix de cœlo, et illuc ultra non revértitur, sed inébriat terram et infúndit eam, et germináre eam facit, et dat semen serénti, et panem comedénti, * Sic erit verbum meum, quod egrediétur de ore meo. ℣. Non revertétur ad me vácuum, sed fáciet quæcúmque vólui, et prosperábitur in his ad quæ misi illud; quia in lætítia egrediémini, et in pace deducémini. Sic erit verbum.

Lectio v.

Ad ejus opem in públicis calamitátibus et perturbatiónibus, quæcúmque infernórum hóstium vi excitátæ fuérunt, véluti ad tutíssimum salútis portum, confúgere consuévit, ejúsque potíssimum virtúte cunctas hæreses in univérso mundo exstínctas ac debellátas esse fatétur. Hæc enim est speciosíssima Esther quam ádeo suprémus Regum Rex adamávit, ut ad salútem pópuli sui non tam dimídiam regni sui partem, quam totum quodámmodo impérium suum et potestátem cum ea communicásse videátur: hæc fortis illa Judith cui Deus Israël de ómnibus inimícis terræ suæ victóriam reportáre concéssit. Hanc ipsa Ecclésia, concórdibus Patrum sententiis, a fíliis suis ómnibus, in peculiáribus eórum necessitátibus atque perículis cum fidúcia adeúndam suádet, tamquam Advocátam apud suum Deíque unigénitum Fílium, loquéntem pro nobis bona: hanc prædicat mýsticam Arcam fœderis, in qua reconciliatiónis nostræ impléta sunt Sacraménta, quam Deus respíciens, pacti sui recordábitur, et misericórdiæ memor erit. Ipsa est cœléstis véluti rivus, per quem gratiárum ómnium atque donórum fluénta in miserórum mortálium sinum deducúntur: ipsa est aúrea cœli Porta, per quam in sempitérnæ beatitúdinis réquiem aliquándo intráre confídimus.

Digitized by Google

℟. Lauda Deum tuum, Sion: quóniam confortávit seras portárum tuárum: * Benedíxit fíliis tuis in te, qui pósuit fines tuos pacem, et ádipe fruménti sátiat te. ℣. Sicut lætántium ómnium nostrum habitátio est in te, sancta Dei Génitrix. Benedíxit.

Ex antiquis monumentis.

Lectio vi.

Ad hanc præcélsam Turrim Davídicam respiciébant, in eáque spem suam, nec frustra, ponébant, innúmeri illi mílites, sub Christi vexíllo conscrípti, qui péctore crucem et manu gládium geréntes, sacrum Redemptóris sepúlchrum defensúri, ad Palæstínam olim convolábant. Cujus potentíssimum ferunt fuísse expértos præsídium tres nóbiles e Francórum gente et Appiórum stirpe Fratres, qui, pátria domo relícta, sancti Joánnis Jerosolymitáni milítiæ nomen dédérant. Cum enim Saracenórum incúrsibus fórtiter obsísterent, ad Ascalónem dolo capti, in víncula conjécti sunt. Hos Ægýpti Soldánus ad Mahuméticam sectam minis et blandítiis perdúcere frustra conátus, novum perfídiæ genus adhíbuit, missa fília Isméria, quæ eórum fidem subvérteret. At dum inter illos de vera religióne disceptátum est, victa Soldáni fília, Vírginis Maríæ, quam júvenes laúdibus extúlerant, imáginem summópere cúpiens contemplári, Deíparæ effígiem prece fervénti, ut fama est, cœlitus impetrátam ab ipsis áccepit, et uberióri jam movénte grátia, se Christiánam proféssa est. Tunc Equites cum Isméria fugam ab infidélium terris moliéntes, cœlésti auxílio a Memphíticis oris ad Laudunénsem agrum, juxta fontem prædii patérni, una cum sacro pígnore transvécti sunt. Quorum insperáti réditus tanta omnes lætítia cepit, ut templum in quo sacra effígies véluti causa lætítiæ colerétur, perénne grati ánimi testimónium, applaudénte Episcopo, exstrúxerint. Quod toto mox Galliárum tractu miraculórum fama illustrátum, varísque Pontíficum grátiis ornátum, et innúmeris Prín-

**

Digitized by Google

cipum donis cumulátum, ad hæc usque témpora, æmulo regum populorúmque concúrsu, diébus præsértim Pentecóstes, tamquam Fons grátiæ frequentátum est. His permótus Pius IX. Póntifex Máximus, anno millésimo octingentésimo quinquagésimo séptimo, Imáginem Lætitiénsem Beátæ Maríæ Vírginis sub título Matris Grátiæ solémniter coronári, annuúmque commemoratiónis Festum sub eódem título in hoc templo, et circumjacénti Lætítiæ óppido celebrári concéssit.

℟. Leva in circúitu óculos tuos, et vide: omnes isti congregáti sunt, venérunt tibi;* Fílii tui de longe vénient, et fíliæ tuæ de látere surgent. ℣. Tunc vidébis et áfflues, et mirábitur et dilatábitur cor tuum. Fílii. Glória Patri. Fílii.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 1., 26.

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David: et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homília sancti Bernárdi Abbátis.

Sermo 2. in festo Pentecostes.

issus est cóluber tortuósus a diábolo, ut venénum per aures mulíeris in ipsíus mentem transfúnderet, et sic refúnderet in totíus posteritátis oríginem. Missus est ínterim Gábriel Angelus a Deo, ut Verbum Patris per aurem Vírginis in ventrem et mentem ipsíus eructáret, ut eádem via intráret antídotum, qua venénum intráverat. Vere vídimus glóriam ejus, glóriam quasi Unigéniti a Patre: quia totum patérnum est quod de corde Patris Christus áttulit nobis, ut nihil in Fílio Dei nisi dulce, nisi patérnum humáni géneris trepidátio suspicétur. A planta pedis usque ad vérticem non erat in nobis sánitas: erraverámus ab útero: in útero damnáti, ántequam nati: quia de peccáto et in peccáto concépti.

Digitized by Google

℟. Misit Deus Fílium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redímeret. * Ut adoptiónem filiórum reciperémus. ℣. Qui sanctíficat et qui sanctificántur ex uno omnes, propter quam causam non confúnditur fratres eos vocáre. Ut adoptiónem.

Lectio viii.

Christus ergo ibi primum medicínam appósuit, ubi primus vúlneri patébat locus: et substantiáliter útero Vírginis illápsus de Spíritu sancto concéptus est, ut conceptiónem nostram mundáret: quam spíritus malus, si non fécerat, tamen infécerat: ut non esset étiam in útero vita ipsíus otiósa, dum novem ménsibus purgat vulnus antíquum, scrutans, ut dícitur, usque ad imum putrédinem viruléntam, ut sánitas sempitérna succéderet. Et tunc jam operabátur salútem in médio terræ, in útero vidélicet Vírginis Maríæ, quæ mirábili proprietáte terræ médium appellátur. Ad illam enim sicut ad médium, sicut ad Arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negótium sæculórum respíciunt et qui in cœlo hábitant, et qui in inférno, et qui nos præcessérunt, et nos qui sumus, et qui sequéntur, et nati natórum, et qui nascéntur ab illis. Illi qui sunt in cœlo ut resarciántur, et qui in inférno ut eripiántur: qui præcessérunt, ut prophétæ fidéles inveniántur: qui sequúntur, ut glorificéntur.

℟. Porta cœli et Stella maris es, Virgo María, Regis ætérni Mater; gratos nos redde Fílio tuo, * Quia omnis virtus et decor et glória ex te respléndet. ℣. Tu véniæ vena, tu Grátiæ Mater, tu spes mundi: exaúdi fílios tuos clamántes ad te. Quia. Glória. Quia.

Lectio ix.

Eo beátam te dicent omnes generatiónes, Génitrix Dei, Dómina mundi, Regína cœli; omnes, inquam, generatiónes. Sunt enim generatiónes cœli et terræ: Pater spirítuum, ait Apóstolus, ex quo omnis patérnitas in cœlo et in terra nominátur. Ex hoc ergo beátam te dicunt omnes generatiónes, quæ ó-

Digitized by Google

mnibus generatiónibus vitam et glóriam genuísti. In te enim Angeli lætítiam, justi grátiam, peccatóres véniam invéniunt in ætérnum. Mérito in te respíciunt óculi totíus creatúræ, quia in te, et per te, et de te benígna manus Omnipoténtis quidquid creáverat recreávit.

Ad Laudes.

℣. Beáta quæ credidísti. ℟. Quóniam perficiéntur quæ dicta sunt tibi a Dómino.

Ad Bened. Ant. Cum vidísset Jesus Matrem et discípulum stantem quem diligébat, dicit Matri suæ: Ecce fílius tuus: deínde dicit discípulo: Ecce Mater tua; et ex illa hora accépit eam discípulus in sua.

In II. Vesperis.

℣. Converténtur sedéntes in umbra ejus. ℟. Vivent trítico, et germinábunt quasi vínea.

Ad Magnif. Ant. Revérsi sunt discípuli Jerosólymam a monte qui vocátur Olivéti, et cum introíssent in Cœnáculum, omnes erant perseveránte unanímiter in oratióne cum muliéribus et María Matre Jesu, et frátribus ejus.

Die 9. Julii.

Ss. Zenonis et **Soc.** Mart.

Duplex.

Omnia de Communi plur. Mart., præter ea quæ hic ponuntur.

Oratio.

Deus, qui nos cónspicis ex nostra infirmitáte defícere: ad amórem tuum nos misericórditer per Sanctórum tuórum exémpla restáura. Per Dóminum.

Deinde fit commem. S. Elisabeth.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Témpóribus Diocletiáni et Maximiáni cóntigit, ut eórum consílio omnes ubíque pósitæ legiónes lustraréntur, et qui in eísdem repérti christiáni míllites essent, exúti milítia ac pénitus exarmáti, vincti Romam perdúcti tamquam servi adscriptícii, Thermárum opéribus fúerint mancipáti: Thermis vero absolútis, qui constántes in con-

Digitized by Google

fessióne nóminis Christi, nullis fracti labóribus, perstitíssent, ne labórum ópere alleviáti (quod ingens esset illórum número) áliquid in impérium moliréntur, omnes páriter cápitis senténtia condemnaréntur.

℟. Sancti tui.

Lectio v.

Repértus est ómnium número decem míllium ducentórum trium, qui omnes una cum Zenóne tribúno, qui inter eos dignitáte excéllere videbátur, extra Urbem, porta Trigémina ducti sunt: et in cóncavo vallis, in loco dicto Gutta júgiter manans, ad aquas Sálvias, ad unum omnes necáti sunt, séptimo Idus Júlii, quo célebri memória annuátim, eorúmdem triúmphi dies natális recólitur. ℟. Vérbera.

Sermo sancti Ambrósii Epíscopi.

Serm. in Nat. Ss. Nazarii et Soc. 93. post med.

Lectio vi.

Honorémus beátos Mártyres, príncipes fídei, intercessóres mundi, præcónes regni, cohærédes Dei. Quod si dicas mihi: Quid honóras in carne jam resolúta atque consúmpta, de qua nulla jam Deo cura est? Et ubi est illud, carísimi, quod ipsa Véritas lóquitur per prophétam? Pretiósa, inquit, in conspéctu Dómini mors Sanctórum ejus. Et íterum: Mihi autem valde honorificándi sunt amíci tui, Deus. Honoráre debémus servos Dei, quanto magis amícos Dei? De quibus álio loco dícitur: Dóminus custódit ómnia ossa eórum, et unum ex his non conterétur.

℟. Tamquam aurum.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 10. c.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nihil est opértum quod non revelábitur, et occúltum quod non sciétur. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia 35. in Matth.

Vides quod non promíttit ipsis hujus vitæ perpetuitátem, mori autem promíttit,

Digitized by Google 118

ut majóra sublimióraque cónferat, quam si numquam morti traderéntur. Et certe multo mélius est mortem omníno despícere quam eam effúgere; quocírca non in perículum mortis, cum nati essent hómines, ipsos introdúcit, sed terróre moriéndi, morte superióres facit. Ita brevi oratióne, duóbus vel tribus verbis absolúta, salutárem de immortalitáte opiniónem in ánimis eórum fixit atque locávit. ℟. Propter.

Lectio viii.

Póstea ne putaréntur quasi se derelíctos ab eo, ad cædem et violéntum perventúros intéritum, de providéntia Dei dísputat, dicens: Nonne duo pásseres asse vendúntur, et unus ex ipsis non cadit in láqueum sine Patre vestro, qui in cœlis est? Vestri autem et capílli cápitis omnes numeráti sunt. Quid enim vílius passéribus? ait: sed tamen numquam ignoránte Deo capiúntur: non enim cooperánte Deo incídere in láqueum pásseres ait, quod divína majestáte indígnum est; sed non esse clam Deo étiam vilissimárum ávium causam osténdit. Quod si nihil pénitus Deus ignórat: et vos patérna caritáte proséquitur, et ita amat, ut pilos cápitis quoque vestri non négligat; quid timéndum vobis est?

℟. Sancti mei.

Lectio ix.

Hoc autem dicébat, non quod Deus capíllos númeret, sed quia perféctam cognitiónem rerum ómnium, et summam de ómnibus Dei providéntiam osténdere vóluit. Si ergo cuncta novit quæ fiant, si vult, potest simul serváre vos; nolíte, cum tribulatiónes vobis accíderint, derelíctos vos esse a Deo existimáre: non enim ab incómmodis córporis liberáre vos vult, sed ad eam perfectiónem addúcere studet, ut incómmoda córporis contemnátis.

Te Deum laudámus.

In II. Vesperis fit commem. de sequenti.

Die 27. Julii.

Secunda die infra Octavam

Sanctæ Annæ.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

Digitized by Google

In II. Nocturno.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 59. de div.

Lectio iv.

Tres vitæ sunt in Ecclésia membrórum Christi: conjugális, viduális, virginális. Quia ipsæ vitæ, ipsæ pudicítiæ futúræ erant in sanctis membris Christi, omnes istæ vitæ tres attestátæ sunt Christum. Prima conjugális. Quando María Virgo concépit, Elísabeth, uxor Zacharíæ, et ipsa concéperat; hujus júdicis præcónem ferébat in útero. Venit ad eam sancta María tamquam ad cognátam suam salutándam. Exsultávit infans in útero Elísabeth. Ille exsultávit, illa prophetávit. Habes attestántem pudicítiam conjugálem. Ubi viduális? In Anna.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Audístis quod Anna esset sancta prophetíssa, vídua, octogínta et quátuor annórum, quæ septem annis víxerat cum viro suo, frequéntans templum Dómini, sérviens in oratiónibus nocte et die. Et ipsa vídua agnóvit Christum: vidit parvum, agnóvit magnum. Et ipsa attestáta est. Habes et in ista vitam viduálem; in María virginálem. Eligat sibi quisque de istis tribus quam volúerit. Qui præter istas esse volúerit, in membris Christi esse non dispónit.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Non dicant conjugátæ: Nos ad Christum non pertinémus. Habuérunt maritos sanctæ féminæ. Non se extóllant vírgines. Quanto magnæ sunt, humíliant se in ómnibus. Omnia exémpla salútis propósita sunt ante óculos nostros. Nemo exórbitet. Si pudicítiam conjugálem quæris, habes Susánnam; si viduálem, habes Annam; si virginálem, habes Maríam.

℟. Fallax grátia.

In III. Nocturno Homilia ut in die Festo. Lectio ix. de S. Pantaleone, Mart.

Digitized by Google

Die 30. Julii.

Quinta die infra Octavam

S. Annæ.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno Lectiones de Communi pro nec Virg. nec Martyre.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Símile est regnum cœlórum. de eodem Comm.

Lect. ix. de Ss. Abdon et Sennen, Mart.

In Laud., fit commem. eorumdem Ss. Martyrum.

Die 2. Augusti.

In Octava

Sanctæ Annæ.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Joánnis Damascéni.

Ex lib. 4. de Fide orth. cap. 15.

Lectio iv.

Ióachim lectíssimam illam ac summis laúdibus dignam mulíerem Annam matrimónio sibi copulávit. Verum quemádmodum prisca illa Anna, cum sterilitátis morbo laboráret, per oratiónem ac promissiónem Samuélem procreávit; eódem modo hæc étiam per obsecratiónem et promissiónem Dei Genitrícem a Deo accépit, ut ne hic quoque cuíquam ex illústribus matrónis céderet. Itaque grátia, nam hoc sonat Annæ vocábulum, Dóminam parit, id enim nómine Maríæ significátur. Vere étenim rerum ómnium conditárum Dómina facta est, cum Creatóris Mater éxstitit.

℟. Propter veritátem.

In Orat. de B. M. dormit. ante med.

Lectio v.

Quamvis omni virtútum génere floréret Anna, tamen arcána quadam ratióne, sterilitátis morbo tenebátur. Póstea bonus Deus, manus suæ figméntum conspicátus ac miserátus, illúdque salúti assérere volens, grátiæ, hoc est, piæ Annæ sterilitátem depéllit; Filiámque parit, qualis nec ante fuit, nec post futúra est. Sterilitátis porro depúlsio apertíssime hoc indicábat, fore ut bonórum sterílitas, qua mundus laborábat, submoverétur, arcanéque beatitúdinis seges producerétur. Hinc Dei Gé-

Digitized by Google

nitrix ex pollicitatióne prodit. Angelus quippe conceptiónem paréntibus núntiat. Conveniébat enim, ut hic quoque nulli ea céderet, ac posterióres partes ferret, quæ solum ac vere perféctum Deum juxta carnem paritúra erat.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.
In Orat. 3. de B. M. Nat. circa finem.

Conveniébat ut is, per quem ómnia, et in quo ómnia, útpote natúræ Dóminus, in ávia sua novum miráculum designáret, eámque, quæ sterilitáte laborábat, matrem rédderet, atque ita deínde in Matre leges natúræ immutáret, ac vírginem Matrem efficeret, et virginitátis signácula obsignáret. Hujúsmodi scílicet est eárum rerum quæ prædíctæ fúerant demonstrátio, abscónditi mystérii patefáctio ac finis, totíus humáni géneris visitátio, in qua nos qui prius in ténebris et mortis umbra sedebámus, visitáti, per eámque collustráti sumus, inaccésso vidélicet ejus lúmine perfúsi, qui ex alto nobis ortus est, hoc est, Christi Jesu ómnium nostrum Dómini ac Salvatóris Dei. Ipsi glória, honor et impérium cum sempitérno Patre, ac vivífico Spíritu, nunc, et semper, et in sæcula sæculórum. Amen.

℟. Fallax grátia.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 13.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cœlórum thesaúro abscóndito in agro. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

Serm. 65. de connexione tripl. parab.

Tríplicem nobis commendat gradum parábola triplex lectiónis uníus. Ager est corpus. Hic dum adhuc dominántur passiónes desideriórum, jacet incúltus et obnóxius maledícto, spinas et tríbulos gérminat: quid intus láteat, ignorátur. Quis enim eo témpore idóneos réputet ferre dignos pœniténtiæ

Digitized by Google

fructus? Quid tam insipiénter expónis, ánima, corpus tuum? Nescis quid abscónditum sit in eo. Quid nisi regnum cœlórum? Invenire est in eo salútis ópera, quibus regnum cœlórum póteris adipísci. Eme ergo agrum, et a concupiscéntiis tuis tibi víndica corpus tuum, dato nimírum prétio foméntis et occasiónibus ipsárum concupiscentiárum.

℟. Os suum apéruit.

Lectio viii.

Nunc autem ubi thesaúrum réperit, quómodo quærit bonas margarítas, et pro una ómnia véndidit? Ego unam hanc nihil áliud quam unitátem árbitror esse. Quærit autem bonas margarítas, qui in ópere salútis suæ non est conténtus inferióribus bonis, sed summa quæque et excellentióra perquírit. Nihil ergo pretiósius invéniens unitáte, non parcat ómnibus céteris propter eam: jejúniis, oratiónibus audácter præferat unitátem. Volo autem ut in ea quoque sic máneat, non quasi ex ómnibus, sed quasi cum ómnibus unus. Latum expándat sinum, ex omni génere affectiónum claudat intra víscera sua, ómnibus ómnia fiat, et congaudére parátus et cómpati; gaudére cum gaudéntibus, flere cum fléntibus. Erit enim cum, ad littus véniens, malos pisces a sagéna caritátis exclúdet, et quidquid moléstum est, foras mittétur.

℟. Regnum mundi.

Lect. ix. de S. Stephano, Pap. et Mart.

Imprimatur.

Die 30. Martii 1886.

✠ **E. Alexander,** Archiepisc. Quebecen.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 9. Julii 1886.

M. Dandl, Vicarius in Spirit. Generalis.

Typis Fr. Pustet, S. Sedis Apost. et S. Rit. Congr. Typogr.

Digitized by Google

OFFICIA PROPRIA
PROVINCIÆ CANADA

A SANCTA SEDE APOSTOLICA INDULTA.

PARS AUTUMNALIS.

Die 9. Septembris.
Beati Petri Claver
Confessoris.
Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui **miserabília mancípia ad agnitiónem tui nóminis vocatúrus, beátum Petrum, Confessórem tuum, mira in eis juvándis sui abnegatióne et exímia caritáte roborásti: ejus nobis intercessióne concéde; ut non quæ nostra sunt, sed quæ Jesu Christi quæréntes, próximos ópere et veritáte dilígere valeámus. Per eúmdem Dñm.**

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Petrus Claver, Hispánus, Verdúni natus, quod óppidum est Catalaúniæ non ignóbile in diœcési Celsonénsi, Societáti Jesu nomen dedit adoléscens móribus innocentíssimis. Religiósæ vitæ tyrocínio sancte et ad exémplum functus, humanióribus lítteris et philosophíæ óperam datúrus, in Baleárium máximam trajécit: ubi cum beáto Alphónso Ródriguez, qui multa jam tum de Petri apostolátu, ejúsque futúra in cœlis glória divínitus cognóverat, conjunctíssime vivens, ab eo sublimióris virtútis arcána et labóres ingéntes sibi parátos edóctus est. In Hispániam revo-

Digitized by Google

cátus, theologíæ currículo nondum expléto, in Neogranaténse austrális Amerícæ regnum, moderatórum jussu, transmíssus, et sacerdótio auctus, sacrárum disciplinárum cursum in urbe Sanctæ Fídei Bogoténsi confécit. Inde Cartháginem ad oram maris Atlántici missus, in illo empório rúdibus et bárbaris homínibus ex Africa addúctis, et per vim de libertáte in servitútem dejéctis, se omnésque vitæ suæ ratiónes, interpósita étiam sacraménti fide, plane devóvit: quorum ipse unus multa míllia salutáribus baptísmatis aquis expiávit. Vix autem dici potest quanta patiéntia et caritáte in calamitosíssimo illo hóminum génere excoléndo, et christiánis præceptiónibus et móribus imbuéndo, vir apostólicus per quadragínta et eo ámplius continéntes annos desudáverit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

Neque eórum ánimis solum, sed et corpóribus opitulabátur assídue. Cum naves ejúsmodi mancípiis onústæ in portum appélleren t, præsto áderat Petrus, cibum, potum, phármaca, áliaque necessária præsídia secum ferens, hominésque miséria et squalóre conféctos, ceu pater fílios, peramánter compléctens, nudis vestiménta, esuriéntibus escam, ægris medicámina suppeditábat. Lue pestífera, aliísque morbis infféctos, nihil de sua vita sollícitus, peculiári cura et ope levábat, visus non raro pútrida eórum úlcera studiósius tractáre, donec nauseántis natúræ moléstiam pénitus superáret, dignus inde qui plúrimis a Deo charísmatum donis ditarétur. Quamplúres a médicis desperátos súbito sanitáti restítuit, multis oculórum lúmine captis visum réddidit, tres a mórtuis excitávit. Pállium quo utebátur, quodque sæpe, álio strá-

gulo deficiénte, ægris languéntibus quibuscúmque impónere, vel substérnere solébat, ægrotórum et pessime ulceratórum sórdibus licet inquinátum, nónnisi suavíssimum odórem efflábat, ejusdémque contáctu plures repénte ex morbis gravíssimis convaluérunt.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum: * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio vi.

Tot labóribus in mancipiórum cura exantlátis mínime fractus, céteris étiam, qui Carthágine versaréntur, cívibus advenísque juvándis, hæréticis cum Ecclésia reconciliándis, Mahuméticæ superstitióni addíctis ad Christi ovíle trahéndis, multam atque útilem óperam pósuit. Quod témporis superésset contemplatióni dabat, et fessus diúrnis labóribus, in seram noctem horas continéntes Deum precabátur, semper cum eo virtútum exercitióne conjúnctus. Virginális integritátis custos rigidíssimus, eam puram ab omni labe ad túmulum usque servávit. Somni parcíssimus, assériibus, injécto supra centóne indormiébat. Erga omnes comis et affábilis, in se uno excruciándo asper et sævus. Domi forísque in honóre hábitus, numquam éxtulit ánimum; ódia impiórum et convícia immóbili fortitúdine tolerávit, nullam ádhibens contuméliæ memóriam. Demum tot virtútum méritis, et potíssimum caritáte exímia illústris, anno millésimo sexcentésimo quinquagésimo quarto, die natáli Deíparæ Vírginis Maríæ, quam a púero semper ad amáverat, ad cœléstium sedem plácido éxitu emigrávit, annum agens ætátis nonum supra sexagésimum. Post óbitum clárior elúxit sánctitas, patrátis a Deo, ejus intercessióne, illústribus miráculis, quibus rite probátis, Pius nonus, Póntifex Máximus, honóres cœlitum beatórum eídem tribuéndos decrévit.

℟. Iste homo.

**

Digitized by Google

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 10. e.

In illo témpore: Legisperítus quidam volens justificáre seípsum, dixit ad Jesum: Et quis est meus próximus? Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Ex Homil. 8. adv. Judæos.

Imitáre Samaritánum illum qui in Evangélio tantam erga vulnerátum præstitit sollicitúdinem. Etenim illic prætériit levíta, prætériit pharisæus, ac neuter defléxit ad jacéntem; sed incleménter crudelitérque relícto illo, abiérunt. Samaritánus autem, qui nulla ex parte illi conjúnctus erat, non prætercúrrit; sed occúrrens misértus est, instillávit óleum et vinum, impósuit ásino, duxit ad diversórium, pecúniam partim dedit, partim pollícitus est, pro ejus, qui nihil ad ipsum pertinébat, curatióne. Si Samaritánus ádeo humánus mitísque fuit erga hóminem ignótum, quam habitúri sumus nos véniam, si próprios fratres neglexérimus in malis gravióribus? Ne ígitur dissimulémus, neque incleménter prætereámus; quin etiámsi álii hoc fécerint, cave tu ne idem fácias.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. Ipse.

Lectio viii.

Neque enim Samaritánus ille dicébat: Ubi nunc sacerdótes, ubi nunc pharisæi, ubi nunc Judæórum doctóres? Sed perínde ac venátum quemdam máximum nactus esset, ita lucrándi ansam arrípuit. Et tu ergo cum víderis álium egéntem curatióne vel córporis vel ánimæ, ne dicas apud temetípsum: Quare ille et ille eum non curavérunt? Sed illum tu a

Digitized by Google

morbo líbera, nec ratiónes negligéntiæ ab illis éxigas. Si aurum jacens invénias, num dicis apud temetípsum: Quare ille aut ille non sustulérunt? et non festínas ante álios rápere? Itidem et de frátribus collápsis cógita putatóque thesaúrum te reperísse, nimírum curam illórum. ℣. Etenim si instilláveris cuípiam, velut óleum, doctrínam sermónis, si ligáveris cum mansuetúdine, si sanáveris tolerántia, ille te fáciet ditiórem quovis thesaúro. Qui enim separáverit pretiósum a vili, tamquam os meum erit, inquit Deus. Quid huic bono pótterit æquiparári? Quod neque jejúnium, neque humi cubatiónes, neque pervigília, neque áliud quídpiam potest effícere, id éfficit fratris procuráta salus.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus Dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis, qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos símiles. Glória Patri. Et vos símiles.

Lectio ix. de S. Gorgonio.

In Laudib. fit commem. Oct. Nativitatis B. M. V.

Deinde S. Gorgonii.

Die 21. Octobris.

Ss. Ursulæ et **Sociarum** Virginum et Martyrum.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 28. Novembris.

Ss. Irenæi, Episc. et **Soc.** ejus, Mart.

Duplex.

Omnia de Communi plur. Mart., præter sequ.

Oratio.

Deus, invisíbilis fortitúdo certántium, adésto, quæsumus, nobis supplicántibus: ut qui hodiérna die sanctórum Mártyrum tuórum Irenæi et Sociórum gloriósum triúmphum recólimus, eórum méritis et précibus contra spirituália nequítiæ muniámur. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

Digitized by Google

In II. Nocturno.

Ex Epístola sancti Irenæi Epíscopi et Mártyris ad Florínum de Monarchía.

Euseb., Hist. Eccl., lib. 5, cap. 20.

Lectio iv.

Floríne, vidi te cum adhuc puer essem, in inferióre Asia apud Polycárpum, spléndide agéntem in palátio, et magnópere laborántem, ut te illi approbáres. Etenim ea quæ tunc témporis gesta sunt, mélius memória téneo, quam illa quæ nuper accidérunt; ádeo ut et locum ipsum possem dícere, in quo beatíssimus Polycárpus sedens disserébat: procéssus quoque ejus et ingréssus vitæque totíus formam, et córporis spéciem: sermónes dénique quos ad pópulum habébat, et familiárem consuetúdinem, quæ illi cum Joánne, ut narrábat, et cum réliquis qui Dóminum vidíssent, intercésserat, et quáliter dicta illórum commemorábat: et quæcúmque de Dómino ab iísdem audíerat: de miráculis quoque illíus, ac de doctrína, prout ab iis qui Verbum vitæ ipsi conspéxerant, Polycárpus accéperat, eódem prorsus modo referébat, in ómnibus cum Scriptúris conséntiens. Hæc ego, divína mihi largiénte misericórdia, tunc studiósius audiébam; non in charta, sed in corde meo audíta descríbens; eadémque per Dei grátiam assídue répeto ac revólvo.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis: * Terra appáruit árida, et in mari rubro via sine impedimento. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torrentes inundavérunt. Terra.

Ex libro sancti Hierónymi Presbýteri de Scriptóribus Ecclesiásticis.

Lectio v. Cap. 5.

Irenæus, Pothíni Epíscopi, qui Lugdunénsem in Gállia regébat Ecclésiam, a martýribus ejúsdem loci ob quasdam Ecclésiæ quæstiónes legátus Romam missus,

Digitized by Google

honoríficas super nómine suo ad Eleuthérium Epíscopum perfert lítteras. Póstea jam Pothíno prope nonagenário, ob Christum martýrio coronáto, in locum ejus substitúitur. Scripsit quinque advérsus hæreses libros, et contra Gentes volúmen breve; et de Disciplína, áliud; et ad Marciánum fratrem, de apostólica Prædicatióne; et librum variórum tractátuum, et ad Blastum, de Schísmate: et ad Florínum, de Monarchía, sive quod Deus non sit cónditor malórum; et de Octonário egrégium commentárium. Feránturur ejus et áliæ ad Victórem Epíscopum, de quæstióne Paschæ, epístolæ, in quibus cómmonet eum non fácile debére unitátem collégii scíndere. Síquidem Victor multos Asiæ et Oriéntis Epíscopos, qui a décima quarta luna cum Judæis Pascha celebrábant, damnándos credíderat. In qua senténtia ii qui discrepábant ab illis, Victóri non dedérunt manus. Flóruit máxime sub Cómmodo príncipe, qui Marco Antonino Vero in* impérium succésserat.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine: * Ut hærédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut hærédes.

Ex libro primo Historiárum sancti Gregórii Turonénsis Epíscopi.

Lectio vi. Cap. 27.

Beatíssimus Irenæus, Pothíni succéssor mártyris, qui a beáto Polycárpo Lugdunénsem ad urbem diréctus est, admirábili virtúte enítuit: qui in módici témporis spátio prædicatióne sua máxime in íntegro civitátem réddidit christiánam. Sed, veniénte persecutióne, tália ibídem diábolus bella per tyránnum exércuit, et tanta ibi multitúdo Christianórum ob confessiónem domínici nóminis est juguláta, ut per platéas flúmina cúrrerent de sánguine christiáno: quorum nec númerum, nec nómina collígere potúimus;

Digitized by Google

Dóminus enim eos in libro vitæ conscrípsit. Beátum Irenæum divérsis in sua cárnifex præséntia pœnis afféctum, Christo Dómino per martýrium dedicávit.

℟. **Tamquam aurum.**

In III. Nocturno. Homilia S. Gregorii in Evang. secundum Lucam. **Cum audiéritis.**

In II. Vesp. fit commem. S. Saturnini, ut in Brev.

Si Festum S. Andreæ venerit Feria II., Lect. ix. fit de Vigilia ejusdem Sancti.

Imprimatur.

Die 30. Martii 1886.

✠ **E. Alexander,** Archiepisc. Quebecen.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 9. Julii 1886.

M. Daudl, Vicar. in Spirit. Gener.

Typis Fr. Pustet, S. Sed. Apost. et S. Rit. Congr. Typogr.

Digitized by Google

[Ad Off. Angrensia]

DIE XV. JANUARII.

IN FESTO

S. MAURI ABBATIS CONF.

DUPLEX 1. CLAS. *Pro diœc. Angr.*

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis.

ORATIO.

DEUS, qui per obediéntiæ virtútem beátum Maurum Abbátem super aquas illæsum ambulâre fecísti : da nobis, quæsumus, ejus intercessióne et exémplo, ita tuis obedíre mandátis ; ut, te rectóre, te duce, inter hujus sæculi fluctus ambulántes, ad ætérnæ beatitúdinis portum felíciter pervenire mereámur. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones, Laudémus viros. *de Communi Confessoris Pontificis ÿ. loco.*

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

MAURUS, nóbilis Románus ab Eutychio dignitátis Senatóriæ et Júlia paréntibus, puer duodécimo ætátis suæ anno, Deo sub sancti Benedícti discíplina ad Sublácum oblátus, íllico exultávit ut gigas, ad curréndam evangélicæ perfectiónis viam. Nemo álius in ascética Benedícti schola ad sensus ánimi corporísque repriméndos solértior, nemo ad virtútum ómnium exercitatiónes alácrior fuit. Is usque dum vixit, hórrida quadam cilícii spécie, qui tum Trógulus dicebátur, ab húmeris lumbórum tenus sub túnica perpétuo indútus, et vigíliis, jejúniis, siléntio, mánuum labóri, atque áliis id genus córporis afflictatiónibus assuétus, plerúmque noctis atque diéi in cœléstium contemplatióne traducébat. Cum vero oránti somnus obréperet, super sábuli calcísque congérie, eódem, quo utebátur, cilício parúmper decumbébat ; tum ut ad Matutínas Horas matúrius excitarétur, tum, ut satis sibi superésset noctúrni témporis, quod sacris lectiónibus et Psalterii recitatióne privátim consúmeret. In quo quidem tanta ánimi voluptáte afficiebátur, ut sæpíssime in dulcíssimam éxtasim raperétur. Per qua-

Digitized by Google

dragésimam vero, ut Christi patiéntis magis formarétur exémplo, aspérrimo circúmdatus cilício, semel atque íterum hebdómada, ténui cibo usus, qui corpus vix refíceret, cum levi somno tenerétur, non jacére quidem, sed aut stare, aut si lassus defíceret, sedére sólitus erat.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Hac insólita vivéndi ratióne præter commúnes cœnóbii institutiónes quibus erat obsequentíssimus brevi tantum divína grátia profécit, ut ipsi Magístro admiratióni esset: qui illum sæpe velúti ascéticæ vitæ et virtútum ómnium spécimen áliis discípulis imitándum proponébat. Hujus adhuc adolescéntis illud admirábilis obediéntiæ exémplum a sancto Gregório Papa commemorátur. Nam cum Plácidus mónachus in lacum prolápsus aquárum ímpetu raperétur, sancti Patris jussu accúrrens Maurus, et super aquas incédens, sócium capíllis apprehénsum ad terram attráxit. Exínde Cassínum addúctus in imbuéndis christiána fide illíus loci íncolis ibíque ædificándo monastério sancto Benedícto adjútor fuit. Cassinénsi famílíæ præféctus, Diacónatus initiátus est. In Gálliam ire jussus, summa alacritáte illud iter arrípuit, ut monásticam disciplínam eo quámprimum invéheret. Miraculórum vestígia relíquit, quacúmque iter egit; quod dum prope erat ut confíceret, vidit, Deo revelánte, ánimam sui Patris Benedícti eúntem in cœlum pállio ornátam pretiosíssimo, crebris circum úndique fácibus a terra ad cœlum usque collucéntibus: quod beáto Románo, aliísque significávit. Ubi Andegavénsium fines átigit, tamquam Apóstolus visus est, qui célebri monastério, quod Glannafólium dícitur, extrúcto, cui annos quadragínta præfuit, monachórum Institútum mirífice propagávit, quod per suos deínceps alúmnos longe, latéque diffúsum est.

℣. Amávit eum.

Lectio vi.

Fama tanti viri, per quem Deus cæcis visum, loquélam mutis, claudis gressum, vitam mórtuis, energúmenis libertátem, atque ália áliis impertítus erat, ita ánimos hóminum occupáverat, ut certátim omnes illum véluti commúne præsídium adíe-

Digitized by Google

rint; imo ipse Francórum rex Theodobértus ejus génibus provolútus, se súaque ómnia commendáverit, et Glannafoliénse locupletáverit. Jam suprémum sibi diem appétere Maurus præsénserat; quare, abdicáto múnere, álium, qui mónachis præésset, Abbátem creári curávit. Ipse autem in partem domus remotiórem secéssit, ubi biénnio mortis memor, Deo adhæsit veheméntius. Interim cum ipse timéret suis a dæmónis invídia, ángelus e cœlo adésse visus, bono ánimo eum esse jubet, docétque discipulórum plerósque vitam cum morte prius commutátum ire, ut ætérna beatitúdine donéntur; deínde ipsum próxime hinc migratúrum in cœlum. Tandem árduo vitæ génere et labóribus pro animárum salúte confectus, acérrimo láteris dolóre corrípitur; ad aram beáti Martíni in cilício decúmbit: et divínis mystériis munítus, coram his, qui réliqui sunt, discípulis, cœléstem in pátriam recípitur, duos círciter et septuagínta annos natus, décimo octávo Kaléndas Februárias, anno Dómini quingentésimo octogésimo fere quinto. Ad ejus sepúlchrum et ad monastérium Fossaténse, quo ejus corpus póstea delátum est, plúrima Deus patrávit miracula. Eum vero novis in dies ubíque géntium miráculis coruscántem Casáuriæ cives in Neapolitána Diœcési, ejúsdem præsentíssimam opem rebus in ómnibus expérti, olim sibi Patrónum adoptárunt; eíque póstea augústius atque elegántius templum, ut nunc est, público ære a fundaméntis excitárunt, insígni Canonicórum Collégio et Præpositúra decorátum. Ibi sacræ ejus relíquiæ et pervetústa ex argénto státua magna veneratióne colúntur tum ab ipsis Casauriénsibus, tum a confluéntibus eo úndique religiónis et voti causa pópulis, præsértim décimo octávo Kaléndas Februárias, cum ejus festívitas per dies octo solémni pompa quotánnis celebrátur.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO.

Léctio Sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio VII. *Cap.* 14.

In illo témpore: Quarta vigília noctis venit ad eos Jesus ámbulans super mare. Et vidéntes eum super mare ambulántem, turbáti sunt, dicéntes:

Digitized by Google

Quia phantásma est. Et réliqua.

Homília Sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 50 *in cap.* 14 *Matth.*

QUID Petrus, semper férvidus, semper ante álios præsíliens, Dómine, si tu es, inquit, jube me veníre ad te super aquas ? Non dixit : Ora, et precáre; sed : Jube. Viden quantus fervor ? quanta fides ? quamquam hinc sæpe periclitarétur quod ultra vírium mensúram quæreret. Nam hic, rem máximam postulábat, ob charitátem solum, non ad ostentatiónem. Non enim dixit, Jube me ambuláre super aquas; sed quid? Jube me veníre ad te. Nemo quippe ita Jesum amábat. Illud étiam post resurrectiónem fecit. Neque enim sustínuit cum áliis veníre, sed præcucúrrit. Nec modo amóris, sed étiam fídei suæ arguménta præbet. Neque solum crédidit posse ipsum ambuláre supra mare, sed étiam áliis parem facultátem dare : desiderátque cito ad ipsum perveníre.

℟. Iste est.

LECTIO VIII.

IPSE autem dixit : Veni. Et cum descendísset de navícula Petrus, ambulábat super aquas, et venit ad Jesum. Ubi vidit autem ventum válidum, tímuit : et cum cœpísset mergi, clamávit dicens : Dómine, salvum me fac. Statim vero Jesus exténdens manum, apprehéndit eum, et dicit ei : Módicæ fídei, quare dubitásti ? Hoc prióre mirabílius est. Ideo post illud áccidit. Cum enim ostendísset se mari imperáre, tunc signum mirabílius effécit. Tunc enim ventis imperávit tantum ; nunc autem et ipse ámbulat : et álium permíttit ambuláre quod si initio jussísset, non sic eam rem suscepísset Petrus, quia nondum tanta præditus erat fide.

℟. Sint lumbi.

LECTIO IX.

CUR ergo Christus id permísit ? Quia si dixísset : non potes ; ille, qui fervens erat, contradixísset. Ideóque ex ipsa re illum id persuásum habére vóluit, ut in futúro modéstior esset. Sed neque sic se potest continére. Cum descendísset ígitur, flúctibus exagitabátur : timébat enim. Ut exagitarétur, fluctus effécit ; ut timéret, ventus. Joánnes autem ait : voluísse eos ipsum in navículam accípere, et confestim navículam venísse ad terram, ad

Digitized by Google

quam tendébant, idípsum significans ; ita ut cum ad terram appulsúri essent, in navígium ascénderet. Cum descendíssent ergo de navi, ad ipsum ibat, non ita gaudens, quod supra aquas ambuláret, quam quod ad ipsum veníret : et cum id, quod majus erat, assequerétur , ex minóri periclitatúrus erat , a venti dico ímpetu, non a mari.

Te Deum laudámus.

Imprimi potest.

Mechliniæ, die 24 Maji 1888.

† PETRUS LAMBERTUS, Archiep. Mechlin.

HIEM. ANGR. 2

Mechliniæ, H. Dessain.— mdcccclxxxviii.

Digitized by Google

Digitized by Google

DIE XI. FEBRUARII.

IN FESTO

B. JOANNIS DE BRITO,

MARTYRIS E SOCIETATE JESU

DUPLEX.

ORATIO.

DEUS, qui ad fidem cathólicam apud Indos propagándam Beátum Joánnem Mártyrem tuum invícta constántia roborásti; ipsíus méritis et intercessióne concéde, ut qui triúmphi ejus memóriam recólimus, étiam fídei exémpla imitémur. Per Dóminum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrag. Fratres : Debitóres *de Comm.*

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

JOANNES de Brito paréntibus nobilitáte appríme conspícuis Olisippóne in Lusitánia natus est. Honorários inter ephébos Petri príncipis, qui totíus Lusitániæ rex hoc nómine secúndus paulo post est salutátus, ineúntem ætátem transégit. Intra régiam domum, quæ corruptelárum omnis géneris illécebris illum fácile irretíre potuísset, innocéntem ádeo vitam tradúxit, ut ómine futúri non vano, sancti et mártyris nomen sibi fúerit promériturus. Paréntes de gravi púeri valetúdine omníno ánxii, uti illum inter mortáles diútius servárent, Sancto Francísco Xavério dedidérunt. Hinc ipse qui aliúnde Xavérii vestígiis insístere exoptábat, se de Xavérii societáte esse, et, ut primum præ ætátem lícuit, societátem íre, Indos ac speciátim sacram Madurénsem expeditiónem appétere cœpit, ac tandem impetrávit.

℟. Honéstum fecit.

LECTIO V.

MADURAM ut venit, christiánam religiónem per quinque ea regna, qua expedítio tota exténditur, magno ánimi ardóre propagándam suscépit. Quo in ópere vix credíbile est quot quantásque ærúm-

Digitized by Google

nas lætus devoráverit. Oléribus parce víctitans ; vino, cárnibus, píscibus omníno abstínuit. Ultro citróque cursans longíssima itínera sub ardénti sole et nudis sæpe pédibus obívit ómnium rerum inópiæ, barbarórum insectatiónibus, piratárum insídiis, plurimísque áliis vitæ perículis continénter obnóxius. Annis quatuórdecim per hos labóres insígni animárum fructu exáctis, ad necem quæsítus in cárcerem conjícitur : hinc fústibus concísus, per tríbulos et saxa raptátus, aliísque supplíciis et exílio mulctátus, míttitur in Európam ad res missiónis procurándas. Simul tamen ac munus suum implévit, íllico in Indiam rédiit, invíto ádmodum rege Lusitániæ, qui eum fílio regni hærédi moderatórem et magístrum destináverat.

℟. Desidérium ánimæ.

LECTIO VI.

APPULSUS íterum ad Marávæ regnum, Madurénsi vicínum et vectigále , duódecim míllia ethnicórum diébus decem sacro fonte lustrávit. In iis, quum Dynástes, qui nomen Christo dare cupiébat, uxóres álias dimisísset præter illam, quam olim primam dúxerat, eárum una regem Marávæ, cujus neptis erat, ac Brachmánes in odiósum castitátis præcónem stimulávit. Comprehénsus qua prædíxerat die, quum ratiónem divínæ legis apostólica libertáte regi reddidísset, contuméliis primum et verbéribus affectus, deínde jugulátus et obtruncátus, demum, mánibus pedibúsque abscíssis, prealto stípiti suffíxus , prídie Nonas Februárii, anno millésimo sexcentésimo nonagésimo tértio, ætátis quinto et quadragésimo , fortissimórum mártyrum número auxit. Post óbitum multa patrávit signa, quibus una cum martyrio rite probátis ex auctoritáte Pii Noni Pontíficis Máximi cœlitum beatórum hónores est adsequútus. ℟. Stola jucundátis.

In iij. Nocturno Homilia in Evang. Nihil est opértum. *de Comm.*

DIE XV. FEBRUARII.

In Festo BB. Joannis Baptistæ Machado, e Soc. Jesu et Sociorum Mart. Duplex.

Omnia de Comm. plur. Mart. præter sequentia.

ORATIO.

AUXILIUM tuum nobis, Dómine, quæsumus

placátus impénde : et, intercedéntibus beátis Martyribus tuis Joánne Baptísta et Sóciis ejus, déxteram super nos tuæ propitiatiónis exténde. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadragesima: Fratres, Debitóres.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

JOANNES Baptísta Machádo de Favóra in Fértia, Azórum ínsula, nóbili génere natus, Lusitániam pétiit adoléscens, ac Deo in Societáte Jesu, per quam confidébat sibi áditum ad Japónes patére aliquándo posse, totum se dédidit. Voti compos effáctus, Fúximæ primum súbstitit paulísper, plures deínde annos exégit Nangasáchii : quo témpore ætáte ac víribus multum valens párochi munus ita gessit, ut solus multórum instar esset. Demum in ínsula Goto captus, atque Omuram dedúctus in cárcerem conjícitur, ubi jam tenebátur sacérdos Franciscánus Petrus ab Assumptióne per eósdem dies simíliter comprehénsus. Damnáti ambo ad mortem, cum pervenísent ad supplícii locum, sese mútuo amplexáti sunt; mox alter ab áltero paulo dirépti procidérunt in génua, sublatísque in cœlum óculis ac mánibus, cervícem bárbaro acínaci præbuére undécimo Kaléndas Júnii, anno millésimo sexcentésimo décimo séptimo.

℟. Sancti tui.

LECTIO V.

ADERAT triúmphi spectátor Leo Fánaca Societátis catechísta, qui óperam naváre sólitus Machádo, cum eóque captus in ínsula Goto, quamvis darétur facúltas fugæ, malúerat magístri sortem subíre, quam Christi cultum vel in spéciem deserére. Ubi vero sibi tam invidéndæ mortis glóriam éripi aut retardári vidit, magno fletu se míserum ac tanto honóre indígnum inclamáre non déstitit. At diu expectándum fortíssimo júveni non fuit, ut martyrii cupiditátem expléret. Additus namque sócius duóbus áliis, quorum alter Dominicánus, alter Augustiniánus, in ínsula desérta Omurénsis provínciæ cum iísdem impávidus et prælætítia géstiens lictóri caput objécit; atque ita discípulus magístro suo, décimo post die sese íterum adjúnxit.

℣. Vérbera carnífícum.

Digitized by Google

LECTIO VI.

TRIENNIO post, eádem die, qua in Machádum, sed longe atrocióri torménti génere sævítum est Nangasáchii in Matthíam Arimensem, et décimo séptimo Kaléndas Septémbris Cocúræ in Simónem Quóitam, et ipsos Societátis catechístas. Ille, aqua semel atque íterum stómacho ingésta et per summam vim cum sánguine extrúsa, inter sævíssimos cruciátus constans et álacris expirávit: hic autem régio sánguine clarus, quod Christiánam legem suis populáribus explicáret, una cum Magdaléna ejus uxóre, ac tribus hospítibus jussu príncipis Bugénsis, cruci, cápite invérso, suffíxus insígni mártyrum coróna donátus est.

℟. Tamquam aurum.

In iij. Nocturno Homília in Evang. Descéndens, *ij. loco. Lectio ix. et com. SS. Faustini et Jovitæ.*

Imprimi potest.

Mechliniæ, die 24 Maji 1888.

† PETRUS LAMBERTUS, ARCHIEP. MECHLIN.

MECHLINIÆ, H. DESSAIN. — MDCCCLXXXVIII.

Digitized by Google

DIE XVIII. JULII.

IN FESTO

BB. QUADRAGINTA MARTYRUM

IGNATII DE AZEVEDO ET SOC.

E SOCIETATE JESU.

DUPLEX.

Omnia de Communi plur. Mart.

ORATIO.

OMNIPOTENS ætérne Deus, qui nos in Beáto Ignátio et Sóciis ejus, quadragínta Mártyrum palmas sub una tríbuis solemnitáte venerári; concéde propítius, ut quorum in cœlis glóriam læti suspícimus, eórum invíctam in fide constántiam æmulémur. Per Dóminum.

Inj. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

ANNO reparátæ salútis millésimo quingentésimo septuagésimo, uno die, unóque certámine Societas Jesu quadragínta viros inter beatórum mártyrum cœtus cœlo transmísit. Horum dux fuit Ignátius de Azevédo Portuénsis, nobilíssimo génere in Lusitánia natus, qui multis jam munéribus in Societáte egrégie perfúnctus et ómnium virtútum laude in exémplum insígnis, missus a sancto Francísco Bórgia in Brasíliam visitátor, biénnio post Európam repétiit, ut auxiliáres operariórum cópias ad fidem inter bárbaras gentes disseminándam comparáret. Voti compos factus, tum ex Hispánia, tum ex Lusitánia novem supra sexagínta florénti, fere omnes, ætáte sócios elégit, quos secum addúceret; et Ulysippóne solvens, semel atque íterum cœlésti mónitu cértior factus est, se brevi cum áliis trigínta novem, qui eádem vehebántur navi, mártyrem futúrum.

℟. Sancti tui.

LECTIO V.

JAMQUE ad ínsulas Canárias et in conspéctum urbis palmæ pervénerant, cum repénte onerárium adorítur prædónum classis, cui præerat Jacóbus Sória Calviniánus. Deditióne facta, íl-

Digitized by Google

lico Lória e prætória navi in Dei minístros sententiam tulit, omnésque ad unum occídi imperávit. Primus irruéntibus occúrrit Ignátius, qui sacram Deíparæ imáginem Romæ a sancto Pio quinto dono accéptam manu præferens, dum sócios ad constántiam hortátur, et hæréticos de impietáte coárguit, gravi vúlnere discísso cápite et crebris hastárum íctibus transfóssus fortíssimam ánimam exhalávit. Cæteri deínde véstibus ad ludíbrium exúti, convíciis et verbéribus affécti, lánceis gladiísque transfíxi, fractis crúribus et bráchiis, bini vel terni in pélagus acti, gloriosíssimam pro fide cathólica mortem obiérunt.

℟. Vérbera carnífícum.

LECTIO VI.

EQUADRAGINTA unus supérerat rei familiáris adjútor, quem prædónes ad ministéria doméstica útilem sibi fore putavérunt. Ejus loco, ut quadragenárius número explerétur, nóbilis adoléscens, ætáte mínimus, qui lusitánæ navis præfécto nepos erat, idémque Societátis candidátus, martyrii incénsus desidério, occísi mártyris vestem raptim índuit, seque ultro neci óbtulit, et illátam fórtiter pértulit. Hæc clades íncidit in diem décimam quintam Júlii, eodémque die sancta Theresia a Jesu Abulæ degens rem totam divínitus cognóvit, renunciavítque se vidísse beátos quadragínta mártyres corónis redimítos in cœlum ováutes ascéndere. Hinc statim ab eórum óbitu plúribus in locis de Episcopórum facultáte, et étiam Romæ ex Indúlto Sedis Apostólicæ mártyrum honóribus públice colí cœpti sunt. Hunc autem cultum multis jam privilégiis auctum et Sanctórum virórum auctoritáte probátum, Pius Nonus póntifex máximus e sententia Sacræ Rituum Congregatiónis redintegrándum, confirmandúmque decrévit.

℟. Tamquam aurum.

In iij. Nocturno Homilia in Evang. Cum audiéritis, *de Comm. plur. Mart. j. loco.*

Imprimi potest.

Mechliniæ, die 24 Maji 1888.

† PETRUS LAMBERTUS, ARCHIEP. MECHLIN.

MECHLINIÆ, H. DESSAIN. — MDCCCLXXXVIII.

Digitized by Google

DIE XXVIII. SEPTEMBRIS.

B. SIMONIS DE ROXAS CONF.

DUPLEX.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter seq.

AD VESP. ET MATUT.

HYMNUS.

NOMEN et laudes cánimus Simónis,
Sede qui cœli nítida recéptus
Súpplicum justis précibus benígnam
Admovet aurem.
Os puer primo ténerum resólvens,
Exhibet cultus spécimen futúri;
Et Dei Matrem Gabriélis alma
Voce salútat.
Voce cœlésti mónitus, supérnæ
Déligit cœtum Tríadi sacrátum,
Læta cui plaudit rígidis solúta
Turba caténis.
Vita par tanto micat Institúto,
Sive Captívos próperat juváre,
Seu viam monstrans, ánimas redémptas
Ducit ad astra.
Huic fames fractum violénta corpus
Sæpe lassávit, laceráta sæpe
Rétibus flagri maduére multo
Membra cruóre.
Réspuens annos nímium fugáces
Æstuat puro recreátus igne,
Sédulus multa prece lacrymísque
Numen adórat.
Ut sit exémplum nívei pudóris,
Cínguli donum récipit beátum,
Carnis hinc numquam stímulas, facémque
Sensit iníquam.
Régiæ proli datus est magíster
Norma virtútis spéculum, decúsque
Nóbiles, factis ánimos simúlque
Voce refíngens
Sint tibi laudes, honor, atque grates,
Trínitas cœli super astra regnans,
Unde virtútum fluit, et bonórum
Cópia dives. Amen.

ORATIO.

DEUS, cujus cháritas in corde Beáti Simónis diffúsa, exímio in Sanctíssimam Fílii tui Geni-

Digitized by Google

trícem cultu, et assíduis misericórdiæ opéribus enítuit : illíus intercessióne concéde, ut eódem charitátis fervóre succénsi, et Beátæ Maríæ Vírginis tutéla protécti tuam misericórdiam consequámur. Per eúmdem Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

VALLIS Oléti in urbe Castéllæ Véteris natus est Simon paréntibus piis æque ac nobílibus. Ab ejus ortu statim lícuit vidére quoddam futúræ sanctitátis indícium. Puer namque infans ubi balbutíre cœpit, prima fere audítus est hæc verba proférre, Ave María: quod ut audiéntibus mirum áccidit, ita arguménto fuit, eximium olim divínæ Matris cultórem, clientémque fore. Præságium affirmávit evéntus. Magna illi vel adolescéntulo pietas, mira in capesséndis exequendísque religiónis offíciis alácritas ac diligéntia : stúdium vero coléndæ Vírginis tantum, ut jam tum eas angélicæ Salutatiónis voces, in quas primum sólverat linguam, sibi máxime familiáres rédderet, et tértio quoque verbo usurpáret. Elucébat præsértim amor erga páuperes plane admirábilis, ut ipso eórum aspéctu commoverétur, nec continére se posset, quin cibos illis, clam sibi detráctos, et ipsa intérdum induménta tribúeret. Talis cum esset adoléscens, jamque multum in lítteris profecísset, incénsus sanctióris vitæ desidério, Christi crucem inter fratres sanctíssimæ Trinitátis Redemptiónis captivórum in eádem civitáte ampléxus est.

℟. Honéstum fecit.

LECTIO V.

TIROCINII, ac studiórum spátiis cum laude confléctis, vitam deínceps réliquam frátribus vel docéndis, vel gubernándis impéndit; Magíster proínde appellátus, et cum plúribus provínciæ Castellánæ cœnóbiis, tum toti demum provínciæ rector impósitus. Suis porro ita præfuit, ut morum inter eos gravitátem, sanctitatémque ad legum normam atque óptima quæque stúdia provéheret, patérnum alióquin exércens impérium, neque tam potestáte, quam exémplo síngulos ad offícium impéllens. Quæ dum agit domi, nihil intérea minus pro-

Digitized by Google

ximórum salúti prospiciébat foris, idque tum divíni verbi, tum sacrárum confessiónum ministério, artibúsque áliis charitátis, quibus nóviter insístens, incredíbile dictu est, quam multos a vítiis ad frugem, vel étiã ad perfectiónem christiánæ vitæ perdúxerit. Præter hæc famélicos mendicórum greges quotídie ab ínsita misericórdia cogébat parcebátque, large ómnia subministránte providéntia cœlésti, cujus sæpe benefício insperátam accipiébat annónam. Eórum præcípuam sumébat curam, qui inter bárbaros Mahometános caténis onústi degunt, hisque rediméndis ampla pecuniárum subsídia corrogábat. At sibimetípsi vacábat imprímis, studebátque, ut fíeret in dies sánctior. Ob id spíritum oratióne assídua, rerúmque cœléstium meditatióne excolébat, corpus cilício, flagris, cibi potúsque parcitáte dirum in modum excruciábat.

℟. Amávit eum.

LECTIO VI.

PHILIPPO Tértio regi, ejúsque cónjugi Margarítæ appríme charus ob sanctimóniæ opiniónem fuit. Datus regiis líberis adolescéntiæ institútor, id munus gessit egrégie: sed oblátas a rege dignitátes constantíssime répulit. Isabéllæ regínæ a confessiónibus, eóque nómine magno apud áulicos honóre hábitus; nosocómia tamen, carcerésque vinctórum frequentáre, ægrótis vocántibus diu noctúque præsto esse, egénis aliménta divídere, calamitósis ómnibus opitulári perréxit usque ad extrémum, ut vulgo pater páuperum vocitarétur. Multas vitiórum pestes e pópulo sústulit, et augéndo beátæ Vírginis cúltui assídue inténtus, cumália multa perfécit, tum celebérrimam sodalitátem, quam vocant ab Ave María, Matríti instítuit, ac late propagándam curávit. Ejúsdem cura, et indústria sanctíssimum Maríæ nomen inter Trinitários Offício próprio celebrári cœptum est. Illum vicíssim Virgo beatíssima multis maximísque ornávit benefíciis, inter quæ illud a Deo impetrásse fertur, ut multas post pugnas, omnis tandem in eo, qui victor semper eváserat, pravæ libídinis sensus extínctus manéret. Dono tandem prophetíæ, curatiónum grá-

Digitized by Google

tia miraculísque plúribus clarus, qua prorsus prænuntiáverat die, súbita vi morbi oppréssus occúbuit, annos natus duos supra septuagínta. Elátus est fúnere honorificentíssimo, eumdémque illi honórem per dies continénter duódecim præcípui civitátis órdines præstitére. Cum vero crebri ad ejus sepúlchrum concúrsus fierent, et novis subínde miráculis venerábilis viri fama inclarésceret, illum Clemens Décimus tértius Beatórum fastis adscrípsit.

℟. Iste homo.

In iij. Nocturno Homilia in Evangelium, Nolíte timére, pusíllus grex, *de Communi ij. loco.*

Imprimi potest.

Mechliniæ, die 24 Maji 1888.

† PETRUS LAMBERTUS, Archiep. Mechlin.

Mechliniæ, H. Dessain. — mdcccclxxxviii.

Digitized by Google

[ad Off. Angr.]

PRECES.

POST ℣. ET ℟. Sacrosánctæ.

Orémus. ORATIO.

SUSCIPE, quæsumus, Clementíssime Deus, précibus et méritis Beátæ Maríæ semper Vírginis et ómnium sanctórum, offícium servitútis nostræ; et si quid in tuis láudibus dignum égimus, propítius réspice, et, quod negligénter actum est, cleménter indúlge. Per Christum Dóminum nostrum.

COMMEMORATIONES IN CHORO FACIENDÆ.

Post Primam.

Contra Luem contagiosam.

Antiphona.

STELLA cœli extirpávit, quæ lactávit Dóminum, mortis pestem, quam plantávit primus parens hóminum. Ipsa Stella nunc dignétur sídera compéscere, quorum bella plebem cædunt diræ mortis úlcere. O piíssima Stella maris, a peste succúrre nobis. Audi nos Dómina; nam Fílius tuus nihil negans te honórat. Salva nos Jesu, pro quibus Virgo Mater te orat.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus. ORATIO.

DEUS misericórdiæ, Deus pietátis, Deus indulgéntiæ, qui misértus es super afflictiónem pópuli tui, et dixísti Angelo percutiénti pópulum tuum: Cóntine manum tuam: ob amórem illíus Stellæ gloriósæ, cujus úbera pretiósa contra venénum nostrórum delictórum, quam dúlciter suxísti: præsta auxílium grátiæ tuæ; ut ab omni peste et improvísa morte secúre liberémur, et a totíus perditiónis incúrsu misericórditer salvémur. Per te Jesu Christe Rex glóriæ: Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Post Nonam.

PRO SS. CORDE JESU.

Antiphona.

O OMNIUM pulchritúdine speciosíssime Jesu, ámplius lava me ab iniquitáte mea, et a peccáto meo munda me: ut purificátus per te puríssimum, possim accédere, et in Corde tuo ómnibus diébus vitæ meæ mérear habitáre: et ut vidére simul et fácere tuam váleam vo-

Digitized by Google
/32

luntátem. ℣. Díscite a me, quia mitis sum et húmilis Corde. ℟. Et inveniétis réquiem animábus vestris.

Orémus. ORATIO.

FAC nos, Dómine Jesu, sanctíssimi Cordis tui virtútibus índui, et afféctibus inflammári : ut et imágini bonitátis tuæ conformes, et tuæ Redemptiónis mereámur esse partícipes. Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Post Completorium.

PRO CONCEPTIONE B. MARIÆ V.

Totius Ditionis Lusitanæ Principalis Patronæ.

Ańa. ℣.

TOTA pulchra es María. ℟. Tota pulchra es María.

℣. Et mácula originális non est in te.

℟. Et mácula originális non est in te.

℣. Tu glória Jerúsalem.

℟. Tu lætítia Israel.

℣. Tu honorificéntia pópuli nostri.

℟. Tu advocáta peccatórum.

℣. O María.

℟. O María.

℣. Virgo prudentíssima.

℟. Mater clementíssima.

℣. Ora pro nobis.

℟. Intercéde pro nobis ad Dóminum Jesum Christum.

℣. In Conceptióne tua Virgo immaculáta fuísti.

℟. Ora pro nobis Patrem, cujus Fílium peperísti.

Orémus. ORATIO.

DEUS, qui per immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti : quæsumus ; ut qui ex Morte ejúsdem Fílii sui prævísa, eam ab omni labe præservásti : nos quoque mundos ejus intercessióne ad te pervenire concédas. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Imprimi potest.

Mechliniæ, die 24 Maji 1888.

† PETRUS LAMBERTUS, ARCHIEP. MECHLIN.

MECHLINIÆ, H. DESSAIN. — MDCCCLXXXVIII.

Digitized by Google

CLERO DIŒCESIS FUNCHALENSIS

CONCESSA.

DIE V. DECEMBRIS.

S. Geraldi Epísc. et Conf. Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont. j. loco.

Oratio. Da quæsumus.

DIE IX. DECEMBRIS.

S. Leocádiæ Virg. et Mart. Duplex.

Omnia de Comm. Virg. et Mart. præter sequentia.

Oratio.

BEATÆ Leocádiæ vírginis et mártyris tuæ, quæsumus Dómine, précibus et méritis adjuvémur : ut quæ pro tui nóminis confessióne cárceres et mortem pértulit, suo nos patrocínio ab ætérno cárcere deféndat. Per Dóminum nostrum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente, sed ubi fit Duplex majus, Lectiones de Comm. ij. loco.

Confitébor.

In secundo Nocturno.

Ex Breviariis, Martyrologiis, et Historiis antiquis.

Lectio IV.

LEOCADIA, virgo Toletána, nóbilis génere, sed nobílior christiána pietáte, eo témpore martyrium passa est, quo, Diocletiáno et Maximiáno Imperatóribus, tam dira in Dei Ecclésiam persecútio commóta est, ut ubíque géntium conquisíti christiáni, aut Christi fidem abnegáre, aut mortem subíre cogeréntur. Ad quam crudelitátem exercéndam, et veri Dei cultum in Hispánia exstinguéndum, missus est ab Imperatóribus Daciánus præses. Qui multis civitátibus ejus provínciæ mártyrum sánguine consecrátis, ubi Tolétum venit, Leocádiam ad se accersíri jubet, eámque blandítiis primum delínire aggrédi-tur : deínde étiam terróribus ac modis ómnibus de propósito coléndæ christiánæ religiónis dedúcere conátur. Cujus ímpiam oratiónem Leocádia detestáta in víncula conjícitur, ut aut senténtiam mutet, aut vim immánium tormentórum experiátur.

℟. Propter veritátem.

Lectio V.

CUM autem in custódiam virgo ducerétur, Deo húmili corde grátias egit,

Digitized by Google

quod pro Christo fundéndi sánguinem sibi occasiónem obtulísset. Convérsaque ad eos, qui se lácrymis prosequebántur, plácido vultu : Eia, inquit, Christi mílites, congratulámini mihi ; quóniam digna hábita sum pro nómine Jesu contuméliam pati. In tetro cárcere diu jácuit, donec audítis sævíssimis tormentórum genéribus, quibus Daciánus permúltos christiános excruciátos necáverat, pio dolóre commóta, flexis humi génibus Deum precáta est, ut se (si ita expedíret) e custódia córporis edúceret ad confiténdum nómini ejus : exauditáque a Dómino, squalóre confécta, impollútum spíritum in oratióne Deo réddidit.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vj.

LEOCADIÆ ígitur corpus honorífice a christiánis in subúrbio Toletáno sepelítur. Ubi póstea et in loco, ubi mórtua est, duæ Ecclésiæ Collegiátæ, et tértia item Parochiális in ædibus, in quibus habitávit, ejus nómine dedicátæ étiam nunc exstant. Quibus tantus honor Gothórum témpore est hábitus, ut in eis potíssimum multa Concília Toletána, éaque frequent.ssima hábita; et sanctíssimi Archiepíscopi Toletáni, Eugénius tértius, Ildefónsus, et Juliánus in Leocádiæ Basílica propter vírginis reveréntiam, sepúlti sunt. Hæc sanctíssima virgo post mortem e túmulo surréxit, et Reccesvíntho rege præsénte, et magna hóminum multitúdine, beáto Ildefónso appáruit, ejúsque stúdium in gloriosíssimam vírginem Maríam commendávit.

℟. Afferéntur Regi.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 25.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homilía Sancti Isidóri Archiepíscopi Hispalénsis.

Liber Sententiar, Cap. 40.

VIRGO carne, non mente, nullum præmium habet in repromissióne. Unde et insipiéntibus virgínibus Salvátor in judício véniens dicit : Amen dico vobis, néscio vos. Ubi enim júdicans mentem corrúptam invénerit, carnis pro-

Digitized by Google

cul dúbio incorruptiónem damnábit. Nihil prodest incorrúptio carnis, ubi non est intégritas mentis. Nihílque valet mundum esse córpore eum, qui pollútus est mente.

℟. Hæc est Virgo.

Lectio viij.

MULTI sunt reprobórum, qui carnális corruptélæ contágium nésciunt. Qui sicut infœcúndi sunt córpore, ita stériles manent mente, operísque boni fœcunditáte. Qui recte de virginitáte gaudérent, si áliis pravis opéribus non inservírent. Qui continéntiam profitétur, et ab áliis terrénis desidériis non subtráhitur, quamvis hunc luxúria carnis non pólluat, divérsa tamen mundánæ conversatiónis operátio máculat.

℟. Média nocte.

Lectio ix.

VIRGINES de suis méritis gloriántes, hypócritis comparántur, qui glóriam boni óperis foris áppetunt, quam intra consciéntiam húmiles habére debuérunt. Tales ígitur ad promíssa cœléstia non pervéniunt : quia ipsæ sibi virginitátis præmium per elatiónis vítium áuferunt. Hoc est enim in Evangélio non habére vírgines in vasis óleum, id est, non serváre intra consciéntiam boni óperis testimónium, sed in fácie gloriári apud hómines, non in corde apud Deum.

Te Deum laudámus.

DIE XX. FEBRUARII.

S. Fulgentii Epísc. Conf. et C. R.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia.

In Hymno. Iste Conféssor, mutatur 3. V.

Oratio. Exáudi. de Comm.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurr. In Quadrag. Laudémus, de Comm. ij. loco.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

FULGENTIUS Epíscopus natióne Hispánus ex illústri regiáque Gothórum gentis família natus, qui et Leándrum et Isidórum utrúmque Hispalénsem Archiepíscopum fratres hábuit. Paréntum diligéntia pie religioséque ab infántia educátus fuit : deínde in Cathedráli Ecclésia Hispalénsi tunc Regulári sub hábitu Canónico fuit regulàriter institútus. Ubi proficiens ætáte et sapiéntia Sacérdos est ordinátus,

Digitized by Google

deínde Astigitánæ, tandem Carthaginénsi Ecclésiæ Epíscopus præfuit. Qui quantum in utróque Episcopátu fécerit fructus, plures testántur.

℟. Invéni David.

Lectio v.

FUIT ítaque Fulgéntius eruditíssimus vir, singularíque doctrína et sanctitáte præclárus : quippe qui et linguam Hebræam, Græcam, Latínam, et Arábicam appríme callébat, et laudabília vitæ ac morum exémpla céteris Epíscopis et Prælátis per totam Hispániam dispósitis, ut Ecclésia Dei ædificarétur, ostendébat. Cumque super gregem assíduis excúbiis invigiláret, Arianósque lupos a mórsibus óvium ubíque personáliter abígeret, irritátus rex Leovigíldus, eo quod Ariána pravitáte esset infféctus, Fulgéntium cum áliis in exílium mittit : a quo póstmodum per Reccarédum regem, regis Leovigíldi fílium, est revocátus.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

CÆTERUM, cum Ariána hæresis christiános a Dei cultu impénse conarétur abdúcere, collécto multórum Episcopórum Hispanorúmque Príncipum apud Tolétum Concílio, sic inter omnes Fulgéntius conciónibus suis et miris opéribus fulsit, ut Arianos fórtiter opprésserit. Demum cum annum vitæ suæ ágeret sextum et sexagésimum, convocáto fratre suo Leándro, postquam insígnis prudéntiæ et pietátis pósteris monuménta relíquerat, summa cum glória et laude migrávit e vita. Cujus funus a Reccarédo Gothórum rege una cum áliis quamplúrimis Epíscopis honorificentíssime celebrátum est. Corpus autem ejus ex nova Carthágine Hispalim magna cum solemnitáte et devotióne deportátum est, ibidémque fratris sui Leándri próvida cura in Basílica Sancti Joánnis Baptístæ Canonicórum Regulárium sepúltum décimo Kaléndas Mártii, summáque cum veneratióne civitátis requiéscit.

℟. Iste est qui ante.

In iij. Nocturno Homília in Evang. Vigiláte. de Comm. ij. loco.

DIE XXVII vel XXVIII FEBRUARII.

S. Leandri Epísc. Conf. et C. K. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia.

Digitized by Google

Oratio.

SEMPITERNE Deus, qui hunc diem beáti Leándri Confessóris atque Pontíficis tui glória collustrásti: præsta nobis quæsumus; ut cujus celebritáte gaudémus, ejus patrocínio tuæ pietátis múnera consequámur. Per Dóminum nostrum.

In j. Nocturno Lectiones. Fidélis. de Comm. j. loco. Extra Quadrag. de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

CUM Leovigíldus Hispániæ rex, Ariánam fovens impietátem, bellum advérsus Hermenegíldum fílium, cathólicæ religiónis propugnatórem excitásset, sanctus Leánder, ex Canónico Regulári, Hispalénsis Epíscopus Constantinópolim usque proféctus, óptimi príncipis legátus ad Imperatórem Maurítium conténdit, ut auxílium inde obtinéret; quo tanta impíetas, nedum sapiéntiæ acúmine, sed et armórum róbore domarétur. In ea urbe diversátus, Divo Gregório, qui apud Imperatórem, Sedis Apostólicæ Apocrisiárius erat, sancta familiaritáte junctus est. Quare, et eódem adniténte Leándro, egrégium opus Morálium expositiónum in librum Job inchoátum fuit, quod primo Pontificátus anno absolútum ad ipsum Leándrum légitur transmíssum.

℟. Invéni David.

Lectio v.

AT egrégius hic Póntifex, cum doctrína et pietáte præstáret nedum Hermenegíldum, rege ejus patre hæréticoadhuc vivénte, ad cathólicam fidem animávit, sed et ad martyrii láuream cupiéndam roborávit. Quo defúncto cum Leovigíldus, iracúndia, ex fílii nece a se patráta fervéscens, æstuáret; advérsus cathólicos acerbíssimam persecutiónem excitávit, relégans in divérsa loca Epíscopos, Ecclesiásque bonis spólians. Quo témpore sanctus Leánder una cum Epíscopo Fulgéntio ejus fratre, aliísque, quorum méminit Isidórus, compúlsus est exsuláre. At ímpio rege exstíncto, ad suam Sedem revérsus assíduæ prædicatiónis labóre ita insudávit, ut tota Gothórum gens, Reccarédo novo rege favénte, ab Ariána pravitáte ad cathólicam fidem sit convérsa.

℟. Pósui adjutórium.

Digitized by Google

Lectio vj.

CUM autem auctoritáte Apostólica in Toletána urbe tértium ejus civitátis, idémque universále totíus Hispániæ Concílium celebrarétur ; sanctus Leánder totíus Hispániæ celebérrimus, Legatióne pro Románo Pontífice functus, illi intérfuit ; sed et Synodum Hispalénsem instítuit primus, ut ejus benefício, et excitátæ ab ímpiis procéllæ sopiréntur, et multi e vitiórum naufrágio emérsi, in salútis portum enatárent. Itaque ut óptimus gubernátor, in puppi sedens, et clavum tenens, et hæresum repressit fluctus, et heróico nisu effécit, ne Ariáno in æstu náufraga Hispánia períret. Jugi labóre fatigátus, tandem in Dómino quiévit tértio Kaléndas Mártii.

℟. Iste est qui ante.

In iij. Nocturno Homilia in Evang. **Homo péregre** de Communi Conf. Pont. j. loco.

MECHLINIÆ, H. DESSAIN. — MDCCCLXXXIX.

Digitized by Google

PROFUGANDAPESTE.

Antiphona.

STELLA cœli exstirpávit, quæ lactávit Dóminum, mortis pestem, quam plantávit primus parens hóminum. Ipsa Stella nunc dignétur sídera compéscere, quorum bella plebem cædunt diræ mortis úlcere. O piíssima Stella maris, a peste succúrre nobis. Audi nos Dómina ; nam Fílius tuus nihil negans te honórat. Salva nos Jesu, pro quibus Virgo Mater te orat.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

DEUS misericórdiæ, Deus pietátis, Deus indulgéntiæ, qui misértus es super afflictiónem pópuli tui, et dixísti Angelo percutiénti pópulum tuum : cóntine manum tuam ob amórem illíus Stellæ gloriósæ, cujus úbera pretiósa contra venénum nostrórum delictórum quam dúlciter suxísti : præsta auxílium grátiæ tuæ ; ut ab omni peste, et improvísa morte secúre liberémur, et a totius perditiónis incúrsu misericórditer salvémur. Per te Jesu Christe Rex glóriæ, Salvátor mundi, qui vivis, et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Antiphona.

TOTA pulchra es María, Tota pulchra es María.
Et mácula originális non est in te.
Et mácula originális non est in te.
Tu glória Jerúsalem.
Tu lætítia Israel.
Tu honorificéntia pópuli nostri.
Tu advocáta peccatórum.
O María.
O María.
Virgo prudentíssima.
Mater clementíssima.
Ora pro nobis.
Intercéde pro nobis ad Dóminum Jesum Christum.

℣. In Conceptióne tua Virgo immaculáta fuísti. ℟. Ora pro nobis Patrem cujus Fílium peperísti.

Orémus.

DEUS, qui per Immaculátam Vírginis conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti ; quæsumus, ut qui ex morte

Digitized by Google

ejúsdem Fílii tui prævisa, eam ab omni labe præservásti, nos quoque mundos ejus intercessióne ad te perveníre concédas. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Antiphona ad Laudes.

Quæ est ista, quæ ascéndit sicut auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta ?

℣. Exaltáta est sancta Dei génitrix. ℟. Super choros Angelórum ad cœléstia regna.

Oratio.

FAMULORUM tuórum, quæsumus Dómine, delíctis ignósce : ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus, genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur. Qui tecum vivit.

De Patrono.

Ad Laudes. Ant. Jam non dicam vos servos, quia servus nescit, quid fáciat dóminus ejus : vos autem dixi amícos, quia ómnia, quæ audívi a Patre meo, nota feci vobis.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Vesperas. Ant. Si quis vestrum índiget sapiéntia, póstulet a Deo, qui dat ómnibus affluénter, et dábitur ei.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Oratio.

DEUS, qui nos ánnua beáti Jacóbi Apóstoli tui solemnitáte lætíficas : præsta quæsumus; ut cujus gaudémus méritis, instruámur exémplis. Per Dóminum.

Imprimatur.

Funchaliæ, 25 Julii 1889.

† M. Episcopus Funchal.

Mechliniæ, H. Dessain. — mdccclxxxix.

Digitized by Google

CLERO DIŒCESIS FUNCHALENSIS

CONCESSA.

FERIA SEXTA
POST DNICAM I. QUADRAG.

Commem. Passionis
D. N. J. Christi.
Duplex majus.
(Ut in Breviarii Appendice pro aliquibus locis, feria iij. post Dom. Sexagesimæ.)

FERIA SEXTA
POST DNICAM II. QUADR.

Pretiosissimi Sanguinis
D. N. J. Christi.
Duplex majus.
(Ut in Breviarii Appendice pro aliquibus locis, feria vj. post Dom. iv. Quadrag.)

FERIA SEXTA
POST DNICAM III. QUADR.

Coron. Spinarum
D. N. J. Christi.
Duplex majus.
(Ut in Breviarii Appendice pro aliquibus locis, feria vj. post Cineres).

FERIA SEXTA
POST DNICAM IV. QUADR.

SS. Lanceæ et Clavorum
D. N. J. Christi.
Duplex majus.
(Ut in Breviarii Appendice pro aliquibus locis, feria vj. post Dom. I. Quadragesimæ).

DIE II. MARTII.

B. Joannis de Britto,
Martyris.
(Ut in Breviarii Appendice, die xj. Februarii, pro aliquibus locis.)

Omnia de Comm. unius Mart. præter ea quæ sequuntur.

Oratio.

DEUS, qui ad fidem cathólicam apud Indos propagándam beátum Jánnem mártyrem tuum invícta constántia roborásti; ipsíus méritis et intercessióne concéde, ut qui triúmphi ejus memóriam recólimus, étiam fídei exémpla imitémur. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

JOANNES de Britto paréntibus nobilitáte apprîme conspícuis Olisippóne in Lusitánia natus est. Honorários inter ephébos Petri príncipis, qui totíus Lusitániæ rex hoc nómine secúndus paulo post est salutátus, ineúntem ætátem transégit. Intra régiam domum, quæ corruptelárum

Digitized by Google

omnis géneris illécebris illum fácile irretíre potuísset, innocéntem ádeo vitam tradúxit, ut, ómine futúri non vano, sancti et mártyris nomen sibi fúerit prométitus. Paréntes de gravi púeri valetúdine omníno ánxii, uti illum inter mortáles diútius servárent, Sancto Francísco Xavério dedidérunt. Hinc ipse, qui aliúnde Xavérii vestígiis insístere exoptábat, se de Xavérii societáte esse, et, ut primum per ætátem lícuit, societátem iníre, Indos ac speciátim sacram Madurénsem expeditiónem appétere cepit, ac tandem impetrávit.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

MADURAM ut venit, christiánam religiónem per quinque ea regna, qua expedítio tota exténditur, magno ánimi ardóre propagándam suscépit. Quo in ópere vix credíbile est, quot quantásque ærúmnas lætus devoráverit. Oléribus parce víctitans; vino cárnibus, píscibus omníno abstínuit. Ultro citróque cursans longíssima itínera sub ardénti sole, et nudis sæpe pédibus, obívit ómnium rerum inópia, barbarórum insectatiónibus, piratárum insídiis, plurimísque áliis vitæ perículis continénter obnóxius. Annis quatuórdecim per hos labóres insígni animárum fructu exáctis, ad necem quæsítus in cárcerem conjícitur: hinc fústibus concísus per tríbulos et saxa raptátus, aliísque supplíciis et exsílio mulctátus, míttitur in Európam ad res missiónis procurándas. Simul tamen ac munus suum implévit, íllico in Indiam rédiit, invíto ádmodum rege Lusitániæ, qui eum fílio regni herédi moderatórem et magístrum destináverat.

℟. Desidérium ánimæ.

Lectio vj.

APPULSUS íterum ad Marávæ regnum, Madurénsi vicínum et vectigále, duódecim míllia ethnicórum diébus decem sacro fonte lustrávit. In iis, quum Dynástes, qui nomen Christo dare cupiébat, uxóres álias dimisísset præter illam, quam olim primam dúxerat, eárum una regem Marávæ, cujus neptis erat, ac Brachmánes in odiósum castitátis præcónem stimulávit. Comprehénsus qua prædíxerat die, quum ratiónem divínæ legis apostólica libertáte regi reddi-

Digitized by Google

dísset, contuméliis primum et verbéribus affléctus, deínde jugulátus et obtruncátus, demum, mánibus pedibúsque abscíssis, præálto stípiti suffíxus, prídie nonas februárii, anno millésimo sexcentésimo nonagésimo tértio, ætátis quinto et quadragésimo, fortíssimórum mártyrum númerum auxit. Post óbitum multa patrávit signa, quibus una cum martyrio rite probátis, ex auctoritáte Pii Noni Pontíficis máximi cœlitum beatórum honóres est adsequútus.

℟. Stola jucunditátis.

In iij. Noct. Homília in Evang. **Nihil est opértum,** ut in Comm. unius Mart.

DIE III. MARTII.

S. Herculani Epísc. Mart. et C. R.

Duplex.

Omnia de Comm. unius Mart. j. loco, pro diversitate temporis, præter sequéntia.

Oratio.

PERFICE, quæsumus Dómine, pium in nobis sanctæ religiónis affléctum: et ad obtinéndam tuæ grátiæ largitátem, beátus martyr et póntifex Herculánus suis apud te semper pro nobis précibus intercédat. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones. A Miléto, de Comm. unius. Extra Quadrag. de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

VIR sanctíssimus Herculánus, Perúsiæ cum in monastério Canonicórum apud Majórem Ecclésiam prima sanctæ religiónis institúta suscepísset, ad tantam Reguláris disciplínæ, omniúmque virtútum perfectiónem conscéndit, ut mórtuo Epíscopo, cléricis et cívibus illum uno sensu postulántibus, in defúncti locum fúerit subrogátus. Qui tamen in Episcopáli Sede constitútus de rigóre Canónicæ disciplínæ nihil remíttens, a divínis láudibus die noctúque cum suis Canónicis persolvéndis, et a Missárum solémniis nullo umquam negótio pótuit abdúci; Regularémque observántiam, quæ in Ecclésia Perusína longe ántea florúerat, nonníhil relaxátam ad primævum institútum instaurávit.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

CUM autem Tótila Gothórum rex post multas clades Itáliæ civitátibus illátas, post Romam vastátam, ipsam quoque

Digitized by Google

civitátem Perusínam septénnii obsidióne pene consúmptam cepísset, jussit Epíscopo Herculáno pellem a vértice cápitis usque ad calcáneum in corrígiæ modum détrahi, ac deínde caput amputári : céterum autem pópulum, qui repértus fuísset, gládiis trucidári. Verum præféctus exércitus tantum fácinus perhorréscens , Herculánum super murum urbis dedúctum, cápite prius truncávit. Póstea vero illíus jam mórtui cutem a vértice usque ad calcáneum sic incídit, ut ex ejus córpore corrígia subláta vidérétur. Moxque corpus illíus extra muros projécit, quod quidam humanitátis pietáte compúlsi, abscíssum caput cervíci apponéntes, cum uno párvulo infánte, qui illic exstínctus invéntus est, juxta murum sepultúræ tradidérunt.

℟. Desidérium ánimæ.

Lectio vj.

VERUM, cum post eámdem cædem die quadragésimo rex Tótila jussísset, ut cives urbis illíus, qui quólibet dispérsi erant, ad eam sine áliqua trepidatióne remeárent, ii, qui prius fame fúgerant, vivéndi licéntia accépta revérsi sunt. Sed cujus vitæ eórum Epíscopus fúerat, mémores, ubi sepúltum esset corpus illíus quæsiérunt, ut hoc juxta honórem débitum in Ecclésia beáti Petri Apóstoli humárent. Cumque itum esset ad sepúlchrum, effóssa terra, invenérunt corpus púeri páriter humáti tabe corrúptum, et vérmibus plenum. Corpus vero Epíscopi, ac si die eódem esset sepúltum, caput illíus ita unítum córpori, ac si nequáquam fuísset abscíssum : tergus quoque per ómnia illæsum, ut nulla in eo vestígia sectiónis apparérent. Quod honorífice ad Ecclésiam beáti Petri Apóstoli portántes in eádem Ecclésia sepeliérunt.

℟. Stola jucunditátis.

Lectiones iij. Noct. de Communi j. loco.

DIE V. MARTII.

B. Joannæ Valesiæ Viduæ.

Semiduplex.

(Ut in Hiemali, iv. Febr. pro aliquibus locis.)

DIE XX. MARTII.

S. Martini Dumiensis Epi sc. Conf. et Doct.

Duplex.

Omnia ut in Comm. Conf. Pont. j. loco.

In Hymno mutatur V V.

Oratio. Da quæsumus.

Digitized by Google

, Lectiones primi Nocturni in Quadrag. **Fidélis sermo** extra Quadrag. de Scriptura occurrente.

DIE XXVI. MARTII.

Institut. SS. Corp. Christi.
Duplex ij. classis.
(Ut in fest. princ. sine)

DIE XXVII. MARTII.

Comm. Sanctorum, quorum Reliquiæ asservantur in Eccl. Diœcesis.
Duplex.
Ut in Autumnali pro aliquibus locis, in Dom. ij. Octobris.)

DIE XVI. APRILIS.

S. Fructuosi Episc. Conf.
Duplex.
Omnia de Comm. sed in Hymno mutatur VV.
In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.
In ij. et iij. Nocturno de Comm. j. loco.

DIE XXVI. APRILIS.

S. Petri de Rates Episc. et Martyris.
Duplex.
Omnia de Comm. unius Mart. j. loco, secundum tempus; sed Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

DIE I. MAJI.

S. Jacobi Minoris Apost.
Patroni Diœces.
Duplex I. cl. cum Oct.
Omnia de Comm. Apost. secundum tempus præter Capitula, Orationem, Lectiones omnes, et soras Añas. (extra Temp. Pasch. sine **Allelúia,**) ad Magnif. et Bened. quæ sequuntur.

AD VESPERAS.

Ant. **Hoc est præcéptum,** cum reliquis ex Laudibus.

Capitulum. *Jac.* I.

CHARISSIMI, Omne datum óptimum, et omne donum perféctum desúrsum est, descéndens a Patre lúminum, apud quem non est transmutátio nec vicissitúdinis obumbrátio.

Ad Magnif. Ant. **Non vos me elegístis, sed ego elégi vos, et pósui vos, ut eátis, et fructum afferátis, et fructus vester máneat, allelúia.**

Oratio.

DEUS, qui nos ánnua beáti Jacóbi Apóstoli tui solemnitáte lætíficas: præsta quæsumus; ut cujus gaudémus méritis, instruámur exémplis. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones ut notantur in Breviario die j. Maji.

In ij. Nocturno Lectio IV. **Jacóbus,** Lectio V. **Tanta autem erat,** quæ sunt V. et VJ. in Breviario hac die.

Digitized by Google

Lectio vj.

Ex libro Sancti Hieronymi Presbyteri de Scriptoribus Ecclesiasticis.

TRADIT Joséphus, tantæ Jacóbum sanctitátis fuísse et celebritátis in pópulo, ut propter ejus necem créditum sit subvérsam esse Jerosólymam. Evangélium quoque, quod appellátur secúndum Hébræos, et a me nuper in Græcum Latinúmque sermónem translátum est, refert : Dóminus autem cum dedísset síndonem servo Sacerdótis, ivit ad Jacóbum, et appáruit ei ; juráverat enim Jacóbus, se non comestúrum panem ab illa hora, qua bíberat cálicem Dómini, donec vidéret eum resurgéntem a mórtuis. Rursúsque post páululum, Afférte, ait Dóminus, mensam et panem ; statímque ádditur : Tulit panem, et benedíxit, ac fregit, et dedit Jacóbo justo, et dixit ei : Frater mi, cómede panem tuum, quia resurréxit Fílius hóminis a dormiéntibus.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* 15.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos. Et réliqua.

Homilía Sancti Joánnis Chrysóstomi.

INTUERE Dei dilectiónem, tamquam caténa quadam nostræ dilectióni connéxam. Idcírco nunc duo, nunc unum mandátum dicit : nemo enim primum sine áltero ássequi potest. Nunc inquit : In hoc lex, et prophétæ ; et : Plenitúdo legis diléctio ; ut hoc in loco testátur. Nam si perseverántia a dilectióne, diléctio a mandatórum observatióne próvenit : mandátum autem est, ut diligámus ínvicem ; perseverántia a mútua óritur dilectióne.

Lectio viij.

NEC simplíciter dilectiónem dicit, sed et modum docet diligéndi : Sicut ego diléxi vos, inquit. Iterum osténdit non ódio áliquo discédere, sed dilectióne. Quare magis admirári me debétis, pro vobis ánimam meam pono, ut supérius inquit, óptimum pastórem descríbens. Hoc autem in loco eos ádmonet, et dilectiónis suæ magnitúdinem, et qualis ipse sit, osténdit. Sed quia grátia semper dilectiónem

Digitized by Google

extóllit ? Quóniam hoc est discipulórum argumén-tum, hoc vírtútem corróborat. Proptérea Paulus tantópere dilectiónem laudávit, útpote verus Christi discípulus, qui ejus vim sit expértus.

Lectio ix.

JAM non dicam vos servos, quia servus nescit, quid fáciat dóminus ejus : vos autem dixi amícos, quia ómnia, quæ audívi a Patre meo, nota feci vobis. Cur ergo inquit : Multa hábeo vobis dícere, sed non potéstis portáre modo ? Nihil áliud ex his verbis ínnuit, quam nihil aliénum a Patre locútum, cum máximi amóris indícium sit, quod arcána Patris, cum eis et communicáverit, et díxerit. Cum autem ómnia dicit, intelligéndum est de his, quæ eos audíre convéniant.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES,

et per Horas. Ant.

1. Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos, allelúia. Psalmi de Dominica.

2. Majórem charitátem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis, allelúia.

3. Vos amíci mei estis, si fecéritis quæ præcípio vobis, dicit Dóminus, allelúia.

4. Beáti pacífici, beáti mundo corde : quóniam ipsi Deum vidébunt, allelúia.

5. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras, allelúia.

Capítulum. *Jac.* 1.

CHARISSIMI, Omne datum óptimum, et omne donum perféctum desúrsum est, descéndens a Patre lúminum, apud quem non est transmutátio, nec vicissitúdinis obumbrátio.

Hymnus et V. de Comm. Apost.

Ad Bened. Ant. Jam non dicam vos servos, quia servus nescit, quid fáciat dóminus ejus : vos autem dixi amícos, quia ómnia, quæ audívi a Patre meo, nota feci vobis, allelúia.

Oratio ut in Vesperis.

Ad Tertiam.

Capit. Charíssimi : Omne datum, ut supra.

R/R. brevia ex Comm. Apost.

Ad Sextam.

Capitulum. *Jacobi* 1. *c.*

SCITIS fratres mei dilectíssimi. Sit autem omnis homo velox ad audiéndum : tardus autem ad loquéndum, et tardus ad

Digitized by Google

iram. Ira enim viri justítiam Dei non operátur.

Ad Nonam.

Capitulum. *Jacobi* 1. *d*.

PROPTER quod abjiciéntes omnem immundítiam, et abundántiam malítiæ, in mansuetúdine suscípite ínsitum verbum, quod potest salváre ánimas vestras.

In ij. Vesperis Añæ ex Laudibus, ut supra.

Psalmi ex ij. Vesperis de Comm. Apost.

Capitulum, Hymnus et V. ut supra.

Ad Magníf. Ańa. Si quis vestrum índiget sapiéntia, póstulet a Deo, qui dat ómnibus affluénter, et dábitur ei, allelúia.

Oratio ex j. Vesperis.

DIE VIII. MAJI.

In Octava S. Jacobi Minoris Apost.

Duplex.

Omnia a Capitulo ex j. Vesperis Festi, præter Lectiones, quæ in j. Nocturno erunt de Script. occurrente, si adsint; alias ut in Festo.

In secundo Nocturno.

Sermo Sancti Joánnis Chrysóstomi.

Ex Hom. 5. *in Matth.*

Lectio iv.

QUANDO Jerosólymam Paulus ascéndit, ut cum céteris Apóstolis, de dógmatum varietáte conférret, contínuo intrávit ad Jacóbum. Jam enim fuit vir ille mirábilis, ut Episcopátum primus accéperit. Aiunt autem génua ejus obduruísse callo, tantámque in eo fuísse incúriam, ut adhuc vivéntis ómnia fere membra moreréntur, atque assiduitáte oratiónis, jugíque ad paviméntum prostratióne córporis, frontem quoque ejus collo simíliter obdúctam, et nihil fere a caméli génibus, si durítiem spectes, discrepáre.

Ex ejusd. Chrysost. Serm. de Pentec. Tom. 3.

Lectio v.

QUICUMQUE Apóstolos luminária mundi vocáverit, non errábit, non solum dum essent in córpore, sed étiam magis nunc, quando ex hac vita migrárunt. Grátia enim et mérita sanctórum non minuúntur morte, non dissolvúntur in terra, non retardántur die, nec nocte obscurántur, nec ténebris obumbrántur, et hoc res ipsa demónstrat. Piscatóres quippe erant, et illis dormiéntibus rétia operabántur. Et tunc quidem pisces capiébant ad mortem, nunc autem hómines cápiunt ad

Digitized by Google

salútem, claudos cúrrere faciéntes, cæcos illuminántes. leprósos mundántes, dæmones effugántes.

Lectio vj.

PERAGRARUNT piscatóres orbem terrárum, et infirmum eum inveniéntes ad sanitátem reduxérunt, ac in ruína pósitum ad stabilitátem revocavérunt, non scuta movéntes, non arcus tendéntes, non sagíttas mitténtes, non pecúnias largiéntes, non eloquéntia confidéntes : et erant nudi quidem sæculo, sed indúti Christo ; pecúnia indigéntes, sed regnum cœlórum possidéntes. Peragrárunt univérsum orbem terrárum oves simul cum lupis. Ait enim Dóminus : Ecce ego mitto vos, ut oves in médio lupórum. Quis umquam pastor oves mittit in médio lupórum ? Sed magis, si víderit lupos, congregat oves. At Christus e contrário fecit, oves ad lupos diréxit, quæ vulnerátæ a béstiis non sunt, sed magis lupi ad óvium mansuetúdinem sunt convérsi.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* 15.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 95. *in Joannem.*

CUM Dóminus Jesus commendásset charitátem, quam exhíbuit nobis moriéndo pro nobis ; nunc inquit : Vos amíci mei estis, si fecéritis quæ ego præcípio vobis. Magna dignátio ! Cum servus bonus esse non possit, nisi præcépta Dómini sui fécerit, hinc amícos suos vóluit intélligi, unde servi boni possint probári. Sed ut dixi : Ista dignátio est, ut Dóminus, quos novit servos suos, dignétur dícere amícos suos. Nam ut sciátis ad servórum offícium pertinére præcépta Dómini sui fácere, álio loco servos útique objúrgat, dicens : Quid autem vocátis me : Dómine, Dómine; et non fácitis, quæ dico ? Cum ergo dícitis, inquit, Dómine : jussa faciéndo quid dicátis osténdite. Nonne servo obediénti ipse dictúrus est : Euge serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui ? Potest ígitur esse et servus et amícus, qui servus est bonus.

Digitized by Google

Lectio viij.

QUOMODO ergo intellectúri sumus, et amícum esse servum bonum, cum dicat : Jam non dico vos servos, quia servus nescit quid fáciat Dóminus ejus? Ita nomen constítuit amíci ut áuferat servi : non ut in uno utrúmque máneat, sed ut álterum áltero decedénte succédat. Quid est hoc ? Ita ne cum præcépta Dómini fecérimus, servi non érimus ? Ita ne tunc servi non érimus quando boni servi fuérimus ? Et quis contradícere potest Veritáti, quæ ait : Jam non dicam vos servos? Et cur hoc díxerit, docet : Quia servus, inquit, nescit quid fáciat dóminus ejus. Numquídnam servo bono et probáto dóminus ejus non étiam secréta sua commíttit.

Lectio ix.

QUID est quod ait: Servus nescit quid fáciat dóminus ejus ? Verum esto nescit quid fáciat : numquid nescit étiam quid præcípiat ? Nam et si hoc nescit, quómodo servit ? aut quómodo servus est, qui non servit? Et tamen Dóminus lóquitur : Vos amíci mei estis, si fecéritis quæ ego præcípio vobis. Jam non dico vos servos. O rem mirábilem ! Cum servíre non possímus, nisi præcépta Dómini fecérimus, quómodo præcépta faciéndo servi non érimus? Si servus non ero præcépta faciéndo, et nisi præcépta fécero, servíre non pótero ; ergo serviéndo, servus non ero. Intelligámus, fratres, intelligámus, et hoc in nobis Dóminus fáciat, ut intelligámus ; fáciat étiam ut intellécta faciámus.

Te Deum laudámus.

Vesperæ a Capitulo de sequenti, comm. præc. Oct.

DIE XI. MAJI.

S. Philippi Apostoli.

Duplex ij. classis.

Omnia ut in Breviario, die j. Maji, (servata etiam Rubrica ibidem posita pro Officio extra temp. Pasch.) præter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui nos beáti Philíppi Apóstoli tui méritis et intercessióne lætíficas : concéde propítius ; ut qui tua per eum beneffícia póscimus, dono tuæ grátiæ consequámur. Per Dóminum nostrum.

Sine comm. S. Antonini.

In j. Nocturno Lectiones. Sic nos exístimet, de Comm. Apost. cum R^R^. pro diversitate temporis.

Digitized by Google

In secundo Nocturno.

Lectio iv. **Philíppus,** ex Breviário, die j. Maji. **Sermo S. Máximi Epíscopi.**

Lectio v.

GLORIOSOS **christiánæ fídei príncipes ánnuis solemnitátibus honorántes ipsum Dóminum ac Deum nostrum, qui hujus auctor est fídei, débita religióne venerémur. Apóstoli namque Latíno sermóne dicúntur missi. Qui ergo honórant missos, maniféstum est eos honoráre mitténtem ; quóniam dígnitas, quæ defértur minístris, illi sine dúbio, cujus minístri sunt, exhibétur, ut ait ipse Salvátor ad discípulos suos : Qui vos audit, me audit, et qui vos récipit, me récipit.**

Lectio vj.

VERE **beáta Apostolórum mérita, in quibus Christus et récipi prædicat, et audíri. Beáti nihilóminus et illi, quorum devótio deláta Apóstolis recúrrit in Christum. Tenéntes ítaque tantæ hujus promissiónis fidem, de supplíciis Patrum nostrórum pro Christi confessióne susceptis, fidélibus gáudiis exsultémus, quibus Christi præstánte grátia factus est de morte natális, quibus finis vitæ vivéndi inítium dedit.**

In iij. Nocturno Homília et reliqua ad Laudes et per Horas, et in ij. Vesperis ut in Breviário j. Maji, præter Orationem ut supra ad Vesperas.

DIE XXI. MAJI.

S. Mancii, Episc. et Mart. Duplex majus.

Omnia de Comm. unius Mart. temp. Pasch. præter sequentia.

Hymni dicuntur de Communi Apost. temp. Pasch.

Oratio.

OMNIPOTENS **sempitérne Deus, qui Beáto Máncio, discípuli Unigéniti tui, Mártyri insígni tormentórum toleántiam tribuísti : quæsumus, ut sicut ejus passiónem venerámur; ita glóriæ ipsíus mereámur esse partícipes. Per eúmdem Dóminum.**

In j. Nocturno Lectiones. A Miléto. de Communi.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ADEST, **dilectíssimi, natális dies Beáti Máncii, a quo, inítio nascéntis Ecclésiæ, tamquam ab Apóstolo hujus provínciæ, orthodóxam fidem nostra urbs accépit. Ille enim natióne Románus fuit ex discípulis Salvatóris, qui lavánti Dómino pedes disci-**

Digitized by Google

pulórum sédulo obséquio ministrávit. Magístrum in cruce mórtuum, et post resurrectiónem quando discípulis appáruit, vivum aspéxit, ascendéntem in cœlum adorávit, cum Apostolísque Spíritus Sancti igne inflammátus, ad prædicándum Christi Evangélium ab Apóstolis destinátus est. Cumque ad Hispániæ fines divínum verbum séminans pervenísset, Eboram Lusitániæ provínciæ municípium intrávit : ubi tam in civitáte, quam in território illíus, ut bonus ac primus hujus Diœcésis Póntifex, multos cœlo lucrifécit. Quapróptер a gentílibus comprehénditur in vico, cui nomen erat Castra Maliána, vinctúsque in urbem dúcitur, et præsidi Valídio præsentátur.

Lectio v.

CUM autem Christi martyr várie tentátus diis sacrificáre renuísset, Valídius tortóres ad supplícium accíngi jubet ; detractóque omni córporis induménto, membra ejus fúnibus crudelíssime extendúntur, et innúmeris plagárum íctibus totum corpus lacerátur. Póstea vero gravíssimis caténis collo, mánibus, pedibúsque onústus, in tenebrósum cárcerem detrúditur, ita omni solátio destitútus, ut putrescéntibus vulnéribus, úlcera vérmibus innúmeris scatérent. Edúctus inde compédibus vinctus, in saxis cæmentísque cædéndis ad opus públicum tota die fatigabátur, nocte vero nervo astríctus custodiebátur. Quibus labóribus cum egrégius Christi martyr numquam frangerétur iníque ferens ímpius tyránnus se a christiáno vinci, Máncium ad colúmnam, quæ ex antíqua traditióne Eboræ religióse cólitur, fórtiter alligári, fústibus cædi, ac in equúleo suspéndi jubet. Cumque defecíssent tortóres, et réquiem paulísper assúmerent, dum novum supplícium tyránnus meditátur, Máncius ánimam reddit, quam in colúmbæ spécie cœlos penetrásse multi vidísse testántur.

Lectio vj.

ILLIUS cadáver ligátum caténis tyránnus in sterquilínium próјici mandávit, in quo propter gentílium custódiam, et fidélium metum diu jácuit, donec mutáta loci fácie, post multos annos, dum vir quidam diutúrnæ litis fatigátus labóre in eódem loco obdor-

Digitized by Google

míret, idem beátus Máncius in somnis appáruit, nomen suum ordinémque martyrii expónens, victoriámque litis intra septem dies promíttens, jussit, ut cadáver suum inde tolli, et honorífice sepelíri curáret. Locum notat homo evígilans, et die séptima victor evádens, terram apéruit, beatíssimum mártyris corpus eo hábitu, quo in somnis apparúerat, invénit tam íntegrum, ut credi posset tunc sepúltum. Tulit ergo illud in prædium suum, et in marmóreo sepúlchro collocávit. Occupáta vero a Saracénis Hispánia, mártyris corpus in regiónem campéstrem a christiánis translátum est : ubi in monastério Divi Benedícti religiosíssime cólitur. Anno tamen Dómini millésimo centésimo octogésimo sexto post recuperátam Eboram a Saracénis, ædificáto novo Templo, anniversário die natalítii beáti Máncii fuit reformáta Eccléśia Eborénsis ; quam póstea Philíppus primus Lusitániæ rex, ad instántiam Theotónii Archiepíscopi et Capítuli, insígni relíquia ejúsdem mártyris illustrávit,

In iij. Nocturno Homilia in Evang. Designávit, de Communi Evangelistárum.

VERNA FUNC

Digitized by Google

PRO FUGANDA PESTE

Antíphona.

STELLA cœli exstirpávit, quæ lactávit Dóminum, mortis pestem, quam plantávit primus parens hóminum. Ipsa Stella nunc dignétur sídera compéscere, quorum bella plebem cædunt diræ mortis úlcere. O piíssima Stella maris, a peste succúrre nobis. Audi nos Dómina ; nam Fílius tuus nihil negans te honórat. Salva nos Jesu, pro quibus Virgo Mater te orat.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

DEUS misericórdiæ, Deus pietátis, Deus indulgéntiæ, qui misértus es super afflictiónem pópuli tui, et dixísti Angelo percutiénti pópulum tuum : cóntine manum tuam ob amórem illíus Stellæ gloriósæ, cujus úbera pretiósa contra venénum nostrórum delictórum quam dúlciter suxísti : præsta auxílium grátiæ tuæ ; ut ab omni peste, et improvísa morte secúre liberémur, et a tótius perditiónis incúrsu misericórditer salvémur. Per te Jesu Christe Rex glóriæ, Salvátor mundi, qui vivis, et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Antíphona

TOTA pulchra es María, Tota pulchra es, María.
Et mácula originális non est in te.
Et mácula originális non est in te.
Tu glória Jerúsalem.
Tu lætítia Israel.
Tu honorificéntia pópuli nostri.
Tu advocáta peccatórum.
O María.
O María.
Virgo prudentíssima.
Mater clementíssima.
Ora pro nobis.
Intercéde pro nobis ad Dóminum Jesum Christum.
℣. In Conceptióne tua Virgo immaculáta fuísti.
℟. Ora pro nobis Patrem cujus Fílium peperísti.

Orémus.

DEUS, qui per Immaculátam Vírginis conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti ; quæsumus, ut qui ex morte

Digitized by Google

ejúsdem Fílii tui prævísa, eam ab omni labe præservásti, nos quoque mundos ejus intercessióne ad te pervenire concédas. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Antiphona ad Laudes.

Quæ est ista, quæ ascéndit sicut auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta ?

℣. Exaltáta est sancta Dei génitrix. ℟. Super choros Angelórum ad cœléstia regna.

Oratio.

FAMULORUM tuórum, quæsumus Dómine, delíctis ignósce : ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus, genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur. Qui tecum vivit.

De Patrono.

Ad Laudes. Ant.

Jam non dicam vos servos, quia servus nescit, quid fáciat dóminus ejus : vos autem dixi amícos, quia ómnia, quæ audívi a Patre meo, nota feci vobis.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Vesperas. Ant.

Si quis vestrum índiget sapiéntia, póstulet a Deo, qui dat ómnibus affluénter, et dábitur ei.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Oratio.

DEUS, qui nos ánnua beáti Jacóbi Apóstoli tui solemnitáte lætíficas : præsta quæsumus : ut cujus gaudémus méritis, instruámur exémplis. Per Dóminum.

Imprimatur.

Funchaliæ, 25 Julii 1889.

✝ I. Episcopus Funchal.

MECHLINIÆ, H. DESSAIN. — MDCCCLXXXIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

CLERO DIŒCESIS FUNCHALENSIS

CONCESSA.

DIE XX. JULII.

S. Martialis Epíscopi et Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont.

In Hymno mutatur XV. Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui beátum Martiálem Confessórem tuum, atque Pontíficem, plebi tuæ sanctæ præésse voluísti : quæsumus ; ut ejus suffragántibus méritis, pietátis tuæ grátiam largiáris. Per Dóminum nostrum.

Reliqua ut in hac Brevíarii die iij. Julii.

DIE XXI. JULII.

S. Henrici, Imperatoris, Confessoris.

Semiduplex.

Ut in Breviario, die xv. Julii.

DIE XIX. AUGUSTI.

S. Ludovici Epíscopi et Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., præter sequentia.

Ad Magníf., in j. Vesperis, et ad Benedictus Sabbati, Ant. Rosa vernans charitátis, lílium virginitátis, stella fulgens, Ludovíce, vas sanctitátis, ora pro nobis Dóminum.

Oratio.

DEUS, qui beátum Ludovícum Confessórem tuum atque Pontíficem cœléste regnum terréno præpónere docuísti, ac puritáte illibáta exímia in páuperes charitáte mirabíliter decorásti : concéde ; ut ejúsdem virtútes æmulántes in terris, coronári cum ipso mereámur in cœlis. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente in secundo Nocturno.

Lectio iv.

LUDOVICUS nobilíssimo génere natus, patrem hábuit Cárolum secúndum Sicíliæ regem, matrem vero Maríam, Hungáriæ regis fíliam. Adhuc puer in sortem Dómini vocátus, posthábitis ætátis illíus oblectaméntis, divíno se totum cúltui mancipávit. Décimum quartum agens annum, una cum frátribus pro genitóris libertáte, in bello naváli a rege Aragóniæ capti, obses ductus in Cataláuniam, Barcinóne

Digitized by Google

apud Minóres sancti Francísci fere septénnio est commorátus, sub eorúmque disciplína in scientiárum stúdiis, ac Sacrárum litterárum comparánda eruditióne eo progréssus est, ut constans fúerit opínio, ipsi pótius fuísse divínitus infúsas, quam humánitus acquisítas. Verum majóri conátu cœléstis Magístri doctrína spíritum instrúere anhélans, cilíciis, férreis flagéllis carnem afflíxit. Assídua ínterim evangélicæ veritátis meditatióne contemptibília mundi spérnere edóctus, regális sólii fastum calcáre deliberávit, ac de seráphico amplecténdo Institúto raro humilitátis exémplo votum emísit.

℣. Invéni David.

Lectio v.

Ecclesiasticæ milítiæ adscríptus, et ad Sacros Ordines deínde promótus, ut, quod mente statúerat, ópere firmáret, juri primogenitúræ renuntiávit et regno, eúmque votum, quod Barcinóne vóverat, in Monte Pessuláno frustra adimplére satágeret, illíus cœnóbii Frátribus timóre regis patris eum recípere non audéntibus, solémniter renovávit. Mox ad Ecclésiam Tolosánam a Bonifácio octávo, quamvis invítus, assúmptus, Romámque accersítus, et ab eódem honorífice excéptus, electióni de se factæ nullátenus se assensúrum declarávit, donec votum, quo se obstrínxerat, Deo reddidísset. Quare, annuénte Pontífice, hábitu Ordinis Minórum, quem semper póstea retínuit, rite suscépto, in mánibus Generális Minístri professiónem emísit. Hisque peráctis, Apostólicis mandátis humíliter obtémperans, Epíscopus Tolosánus passus est consecrári: indéque ad suam pergens Ecclésiam, cum Floréntiæ cubículum et lectum pretiósum sibi parátum invenísset, utrúmque detestátus útpote seráphicæ paupertáti repúgnans, super paviméntum strato pállio dormíre máluit.

℣. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

Tolosam ad illíus Ecclésiæ régimen profécto, spiritáli animárum lucro totus incúbuit, utque ministérium Apostólicum íntegre ac diligénter implére, salutáribus mónitis, illibatæque vitæ exémplo peccatóres ad pœniténtiam revocávit, plurésque

Digitized by Google

Judæos atque Gentíles assídua verbi Dei prædicatióne ad orthodóxam fidem convértit. Ecclesiásticam disciplínam ubíque in commíssa sibi Diœcési promóvit ac restaurávit. Liberális in páuperes, vigintiquínque ex eis quotídie domi áluit. Puritátem usque ad óbitum a puerítia nitidíssime custodívit. Humilitátis tandem, charitátis, atque ómnium virtútum ornaménto decorátus, in juveníli ætáte Bríncolæ Provínciæ arce, ardénte febre corréptus, ad Dómini sui ampléxum, quem in votis semper habúerat, emigrávit anno millésimo ducentésimo nonagesimonóno, quartodécimo Kaléndas Septémbris, sepultúsque fuit Massíliæ in Ecclésia Fratrum Minórum, prout ipse, adhuc vivens, jússerat. Magnis deínde méritis et miráculis illústrem, inter quæ plures mórtui ejus intercessióne ad vitam revocáti numerántur, Joánnes vigésimus secúndus in sanctórum númerum rétulit. Ejus réliquiæ ab Alphónso Aragóniæ rege Valéntiam delátæ, in Cathedráli Ecclésia honorífice cónditæ sunt.

℟. Iste est, qui ante Deum.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Léctio vij. *Cap.* 24.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vigiláte, quia nescítis, qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homília sancti Fulgéntii Epíscopi.

Serm. de Conf. et Dispensatoribus Domini.

Servorum, quos pópulo suo præpósuit Dóminus, spéciale volens offícium demonstráre, ait, quod ex Evangélio modo audívimus: Quis, putas, est fidélis dispensátor et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam, ut det illis in témpore trítici mensúram? Beátus ille servus, quem, cum vénerit Dóminus, invénerit vigilántem. Quis est iste Dóminus, fratres? Christus sine dúbio, qui suis discípulis ait: Vos vocátis me Magíster et Dóminus: et bene dícitis: sum étenim. Quæ est étiam hujus Dómini família? Nimírum illa est, quam ipse Dóminus de manu inimíci redémit, et suo domínio mancipávit.

℟. Amávit eum.

Digitized by Google

Lectio viij.

DISPENSATOR vero quis sit, quem opórtet esse fidélem páriter et prudéntem, Paulus nobis osténdit Apóstolus, qui de se suísque sóciis loquens, ait: Sic nos exístimet homo ut minístros Christi, et dispensatóres mysteriórum Dei. Ne quis autem nostrum solos Apóstolos dispensatóres factos exístimet, neglectóque militiæ spirituális offício, servus piger infidéliter imprudentérque dormítet, ipse beátus Apóstolus Epíscopos quoque dispensatóres esse osténdens, ait: Opórtet Epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem.

℟. Sint lumbi vestri.

Lectio ix.

SERVI autem patrisfamílias sumus, dispensatóres Dómini sumus, mensúram trítici, quam vobis erogámus, accépimus. Quæ vero sit ista mensúra trítici, si quærámus, ipsam quoque nobis idem Apóstolus osténdit, dicens: Unicuíque sic Deus divísit mensúram fídei. Quam ergo mensúram trítici Christus núncupat, ipsam mensúram fídei Paulus appéllat; ut cognoscámus, non áliud esse spiritále trítícum, quam christiánæ fídei venerábile Sacraméntum.

Te Deum laudámus.

DIE XXVI. AUGUSTI.

BB. Quadraginta Mart. Ignatii de Azevedo et Soc. Duplex.

Omnia de Comm. plur. Mart. præter sequentia.

Oratio.

OMNIPOTENS ætérne Deus, qui nos in beáto Ignátio et sóciis ejus, quadragínta mártyrum palmas sub una tríbuis solemnitáte venerári: concéde propítius; ut quorum in cœlis glóriam læti suscípimus, eórum invíctam in fide constántiam æmulémur. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ANNO reparátæ salútis millésimo quingentésimo septuagésimo, uno die, unóque certámine Societas Jesu quadragínta viros inter beatórum mártyrum cœtus cœlo transmísit. Horum dux fuit Ignátius de Azevédo Portuénsis, nobilíssimo génere in Lusitánia natus, qui multis jam munéribus in Societáte egrégie perfúnctus, et ómnium virtútum laude in

Digitized by Google

exémplum insígnis, missus a sancto Francísco Bórgia in Brasíliam visitátor, biénnio post Európam repétiit, ut auxiliáres operariórum cópias ad fidem inter bárbaras gentes disseminándam comparáret. Voti compos factus, tum ex Hispánia, tum ex Lusitánia novem supra sexagínta florénti, fere omnes, ætáte sócios elégit, quos secum addúceret ; et Ulisipóne solvens, semel atque íterum cœlésti mónitu cértior factus est, se brevi cum áliis trigínta novem, qui eádem vehebántur navi, mártyrem futúrum.

℟. Sancti tui.

Lectio v.

IAMQUE ad ínsulas Canárias et in conspéctum urbis Palmæ pervénerant, cum repénte onerária adóritur prædónum classis, cui præerat Jacóbus Sória Calviniánus. Deditióne facta, íllico Sória e prætória navi in Dei minístros sententiam tulit, omnésque ad unum occídi imperávit. Primus irruéntibus occúrrit Ignátius qui sacram Deíparæ imáginem Romæ a sancto Pio quinto dono accéptam manu præferens, dum sócios ad constántiam hortátur, et hæréticos de impietáte coárguit, gravi vúlnere discísso cápite, et crebris hastárum íctibus transfóssus, fortíssimam ánimam exhalávit. Céteri deínde véstibus ad ludíbrium exúti, convíciis et verbéribus affécti, lánceis gladiísque transfíxi, fractis crúribus et bráchiis, bini vel terni in pélago acti, gloriosissimam pro fide cathólica mortem obiérunt

℟. Vérbera carnífícum.

Lectio vi

IN QUADRAGINTA unus supérerat rei familiáris adjútor, quem prædónes ad ministéria doméstica útilem sibi fore putavérunt. Ejus loco, ut quadragenárius número explerétur, nóbilis adoléscens, ætáte mínimus, qui Lusitánæ navis præfécti nepos erat, idémque Societátis candidátus, martyrii incénsus desidério, occísi mártyris vestem raptim índuit, seque ultro neci óbtulit, et illátam fórtiter pértulit. Hæc clades íncidit in diem decimamquíntam Júlii, eodémque die sancta Terésia a Jesu Abulæ degens rem totam divínitus cognóvit, renunciavítque se vidísse beátos quadragínta mártyres corónis re-

Digitized by Google

dimítos in cœlum ovántes ascéndere. Hinc statim ab eórum óbitu plúribus in locis de Episcopórum facultáte, et étiam Romæ ex Indúlto Sedis Apostólicæ mártyrum honóribus públice coli cœpti sunt. Hunc autem cultum multis jam privilégiis auctum, et sanctórum virórum auctoritáte probátum, Pius nonus Póntifex máximus, e senténtia Sacræ Rítuum Congregatiónis redintegrándum, confirmandúmque decrévit.

℟. Tamquam aurum.

In iij. Nocturno Homilia in Evang. Cum audiéritis, de Comm. plur. Mart. j. loco.

DIE XXVIII. AUGUSTI.

S. P. Augustini Epísc. Conf. et Doct.

Duplex 2. classis, sed in Cathedrali Duplex 1. classis.

IN I. VESPERIS.

Ána. Lætáre mater nostra Jerúsalem : quia Rex tuus dispensatórem strénuum et civem fidelíssimum de servitúte Babylónis tibi redémit Augustínum. Psalmi d. Dominica, et loco ultimi, Psalm. Laudáte Dóminum omnes gentes.

Ána. Augustíni mater devotíssima, quem carne prius pepéperat mundo, charitátis viscéribus, póstmodum multo sémine lacrymárum génuit Christo.

Ána. Dístulit tamen diu baptísmi grátiam : quia tumens ináni philosophía volébat humána ratióne comprehéndere, quod pia mens vivacitáte fídei nítitur apprehéndere.

Ána. Surgens autem post multos circúitus errórum circulsbat civitátem per vicos et platéas, quæréndo verum ánimæ virum, pro quo ne morerétur, dignum judicáret mori ; ut ejus semper inhæréret amóri.

Ána. Invéntus ígitur a custódibus civitátis, et pállio vetustátis exútus, diligénter pertractáta cum illis veritáte, quem desiderábat invénit, et castis ejus viscéribus ardénter inhæsit.

Capitulum. *Eccli.* 50.

ECCE Sacérdos magnus, qui in vita sua suffúlsit domum, et in diébus suis corroborávit templum. Templi étiam altitúdo ab ipso fundáta est, duplex ædificátio et excélsi paríetes templi.

Hymnus.

MAGNE Pater Augustíne,
Preces nostras súscipe :
Et per eas Conditóri

Digitized by Google

Nos uníre sátage :
Atque rege gregem tuum,
Summum decus Præsulum.
Amatórem paupertátis
Te colláudant páuperes,
Assertórem veritátis
Amant veri júdices :
Frangis nobis favos mellis,
De Scriptúris dísserens.
Quæ obscúra prius erant
Nobis plana fáciens,
Tu de verbis Salvatóris
Dulcem panem cónficis :
Et propínas potum vitæ
De Psalmórum néctare.
Tu de vita Monachórum
Sanctam scribis Régulam,
Quam qui amant et sequúntur,
Viam tenent régiam :
Atque tuo sancto ductu
Rédeunt ad pátriam.
Regi regum salus, vita,
Decus, et impérium :
Trinitáti laus et honor
Sit per omne sæculum,
Qui concíves nos adscríbat
Supernórum Cívium.
Amen.

℣. Ora pro nobis beáte Pater Augustíne. ℟. Ut digni efficiámur, etc.

Ant. Magnus Ana. Adest nobis dies célebris, quo solútus nexu carnis sanctus Præsul Augustínus, assúmptus est cum Angelis : ubi gaudet cum Prophétis : lætátur cum Apóstolis ; quorum plenus spíritu, quæ prædixérunt mystica, fecit nobis pérvia : post quos fœcúnda dispensándi verbi Dei primus refúlsit grátia.

Oratio.

DEUS, qui abditióra sapiéntiæ tuæ arcána beáto Patri Augustíno revelándo, et divínæ charitátis flammas in ejus corde excitándo, miráculum colúmnæ nubis et ignis in Ecclésia tua renovásti : concéde ; ut ejus ductu, mundi vórtices felíciter transeámus, et ad ætérnam promissiónis pátriam pervenire mereámur. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Magnus Dóminus, et laudábilis valde, et sapiéntiæ ejus non est númerus ; ℣. Qui de ténebris géntium lumen Ecclésiæ suæ vocávit Augustínum. Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus. Magne Pater, ex p. Vesperis.

In primo Nocturno.

Ant. Apéruit Augustínus, códicem Apostólicum, et conjéctis óculis ad primum capítulum legit : Induímini Dóminum Jesum Christum ; et statim quasi infúsa luce securitátis ab eo omnes dubietátis ténebræ

diffugérunt. Psalmi de Comm. Conf. Pont.

Ańa. Insinuávit ergo per lítteras sancto viro Ambrósio præsens votum suum, ut monéret quod sibi de libris sanctis legéndum esset : quo percipiéndæ christiánæ grátiæ áptior fíeret, atque parátior.

Ańa. At ille jussit Isaíam Prophétam : quod præ céteris Evangélii vocationísque géntium sit prænuntiátor apértior.

℣. Amávit, de Commúni.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. *Cap.* 50.

ECCE Sacérdos magnus, qui in vita sua suffúlsit domum,et in diébus suis corroborávit templum. Templi étiam altitúdo ab ipso fundáta est, duplex ædificátio et excélsi paríetes templi. In diébus ipsíus emanavérunt pútei aquárum, et quasi mare adimpléti sunt supra modum. Qui curávit gentem suam, et liberávit eam a perditióne. Qui præváluit amplificáre civitátem, qui adéptus est glóriam in conversatióne gentis et ingréssum domus et átrii amplificávit.

℟. Invénit se Augustínus longe esse a Deo in regióne dissimilitúdinis, tamquam audíret vocem Dei de excélso : * Cibus sum grándium, cresce, et manducábis me. ℣. Nec tu me mutábis in te, sicut cibum carnis tuæ ; sed tu mutáberis in me. Cibus.

Lectio ij.

QUASI stella matutína in médio nébulæ,et quasi luna plena in diébus suis lucet. Et quasi sol refúlgens, sic ille effúlsit in templo Dei. Quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ, et quasi flos rosárum in diébus vernis, et quasi lília quæ sunt in tránsitu aquæ, et quasi thus rédolens in diébus æstátis. Quasi ignis effúlgens, et thus ardens in igne. Quasi vas auri sólidum, ornátum omni lápide pretióso. Quasi olíva púllulans, et cypréssus in altitúdinem se extóllens.

℟. Sensit ígitur, et expértus est, non esse mirum,quod paláto non sano pœna est panis, qui sano est suávis : * Et óculis ægris odiósa est lux, quæ puris est amábilis. ℣. Propter iniquitátem corripuísti hóminem, et tabéscere fecísti, sicut aráneam, ánimam ejus. Et.

Lectio iij.

IN accipiéndo ipsum stolam glóriæ, et vestíri

eum in consummatiónem virtútis. In ascénsu altáris sancti, glóriam dedit sanctitátis amíctum. In accipiéndo autem partes de manu sacerdótum, et ipse stans juxta aram. Et circa illum coróna fratrum : quasi plantátio cedri in monte Líbano, sic circa illum stetérunt quasi rami palmæ, et omnes fílii Aaron in glória sua.

℟. Tunc vero invisibília Dei per ea, quæ facta sunt, intelléctu conspéxit : sed áciem físgere non váluit : * Quia non secum ferébat nisi amántem memóriam, et quasi olfácta desiderántem, quæ comédere nondum posset. ℣. Quid autem sacraménti habéret, Verbum caro factum est, nec suspicári quidem póterat. Quia. Glória Patri. Quia.

In secundo Nocturno.

Aña. Verúmtamen primam hujus lectiónem non intélligens, totúmque tale árbitrans, dístulit repeténdum exercitátior in Domínico elóquio.

Ana. Inde ubi tempus advénit, quo nomen eum dare oportéret, relícto rure Mediolánum rémeans, baptizátus est a beáto Ambrósio : fugítque ab eo solicitúdo vitæ prætéritæ.

Aña. Nec satiabátur illis diébus dulcédine mirábili considerare altitúdinem consílii divíni super salútem géneris humáni.

℣. Elégit eum Dóminus.

Lectio iv.

SANCTUS Pater Augustínus máximum Eccléstæ lumen, Tagástæ in Africa honéstis paréntibus natus, ac puer docilitáte ingénii æquáles longe súperans, brevi ómnibus doctrína antecélluit. Adoléscens aliénus a christiána religióne, Romam, deínde Mediolánum se cóntulit : ubi cum frequens Ambrósii Mediolanénsis Epíscopi esset audítor, ejus ópera incénsus stúdio cathólicæ fídei, annos natus trigínta tres ab ipso baptizátur. Revérsus in Africam cum religióne vitæ sanctimóniam conjúngens, a Valério notæ sanctitátis Epíscopo Hipponénsi, Présbyter factus est. Quo témpore famíliam instítuit religiosórum ; quibúscum victu commúni eodémque cultu utens, eos ad Apostólicæ vitæ, doctrinæque disciplínam diligentíssime erudiébat. Sed cum vigéret Manichæórum hæresis, in qua étiam ipse aliquándo fúerat, vehemántius in

Digitized by Google

illam ínvehi cœpit ; Fortunatúmque hæresiárcham confutávit.

℟. Itaque avidíssime légere cœpit, præ céteris, Apóstolum Paulum : *Et periérunt illæ quæstiónes, in quibus aliquándo visus est ei adversári testimóniis legis et prophetárum, textus sermónum ejus. ℣. Et appáruit ei una fácies eloquiórum castórum, et exsultáre eum tremóre dídicit. Et.

Lectio v.

HAC Augustíni pietáte commótus Valérius, eum adjutórem adhíbuit Episcopális offícii. Nihil illo fuit humílius, nihil continéntius. Lectus ac vestítus moderátus, vulgáris mensa, quam semper sacra vel lectióne, vel disputatióne condiébat. Tanta benignitáte fuit in páuperes, ut, cum non esset ália facúltas, sacra vasa frángeret ad eórum inópiam sustentándam. Feminárum, et in eis soróris, et fratris ffliæ, contubérnium familiaritatémque vitávit: quippe qui díceret, etsi propínquæ mulíeres suspéctæ non essent, tamen quæ ad eas ventitárent, posse suspicionem effícere. Nullum finem fecit prædicándi Dei verbum, nisi gravi morbo oppréssus. Hæréticos perpétuo insectátus et coram et scriptis, ac nullo loco passus consístere : Africam a Manichæórum, Donatistárum, Pelagianórum, aliorúmque prætérea hæreticórum erróre magna ex parte liberávit.

℟. Misit ergo Dóminus in mentem ejus : visúmque est bonum in conspéctu ejus pérgere ad Simpliciánum : *Qui ei bonus apparébat servus Dei, et lucébat in eo grátia divína. ℣. Audíerat enim, quod a juventúte sua devotíssime Deo víveret, et vere sic erat. Qui.

Lectio vj.

TAM multa pie, subtíliter et copióse scripsit, ut christiánam doctrínam máxime illustrávit. Quem in primis secúti sunt, qui póstea Theológicam disciplínam via et ratióne tradidérunt. Wándalis Africam bello vastántibus, et Hippónem tértium jam mensem obsidéntibus, in febrim íncidit. Itaque cum discéssum e vita sibi instáre intellígeret, Psalmos David, qui ad pœniténtiam pértinent, in conspéctu pósitos profúsis lácrymis legébat. Solébat autem dí-

Digitized by Google

cere, néminem, etsi nullíus scéleris sibi cónscius esset, commíttere debére, ut sine pœniténtia migráret e vita. Ergo sénsibus íntegris in oratióne defíxus, astántibus frátribus, quos ad charitátem, pietátem, virtutésque omnes erat adhortátus, migrávit in cœlum. Vixit annos septuagínta sex, in Episcopátu ad trigínta sex. Cujus corpus primum in Sardíniam delátum; deínde a Luitprándo Longobardórum rege magno prétio redémptum, Ticínum translátum est, ibíque honorífice cónditum.

℟. Volébat enim conferénti æstus suos, ut proférret quis aptus esset modus vivéndi, sic affécto, ut ipse erat, ad ambulándum in via Dei: In qua álius sic, álius sic ibat. ℣. Displicébat enim ei quidquid agébat in sæculo, præ dulcédine Dei, et decóre domus ejus, quam diléxit. In qua. Glória Patri. In qua.

In tertio Nocturno.

Ant. Flebat autem ubérrime in hymnis et cánticis, suáve sonántibus, Ecclésiæ vócibus veheménter affléctus.

Ant. Voces ígitur illæ influébant áuribus ejus, et eliquebátur véritas in cor ejus, et fluébant lácrymæ: et bene illi erat cum illis.

Ant. Adjúnctus inde Alípio et Evódio remeábat ad Africam, quærens quis eos ad bene vivéndum locus habéret utílius: sed cum essent apud Ostia Tyberína, pia mater ejus defúncta est.

℣. Tu es Sacérdos.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 5.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homília Sancti Augustíni Epíscopi.

Lib. 1. *de Serm. Dom. in monte, cap.* 6. *tom.* 4.

OSTENDIT Dóminus, fátuos esse judicándos, qui temporálium bonórum vel cópiam sectántes, vel inópiam metuéntes, amíttunt ætérna, quæ nec dari possunt ab homínibus, nec auférri. Itaque si sal infatuátum fúerit, in quo saliétur? Id est, si vos, per quos condiéndi sunt quodámmodo pópuli, metu persecutiónum temporálium amiséritis regna cœlórum; qui erunt hómines, per quos a vobis error auferátur, cum vos elégerit

Digitized by Google

Deus, per quos errórem áuferat cæterórum ?

℟. Vulneráverat cháritas Christi cor ejus : et gestábat verba ejus in viscéribus quasi sagíttas acútas ; * Et exémpla servórum Dei, quos de mórtuis vivos fécerat, tamquam carbónes vastatóres. ℣. Ascendénte a conválle ploratiónis, et cantánti Cánticum Gráduum déderat sagíttas acútas. Et.

Lectio viij.

ERGO ad níhilum valet sal infatuátum, nisi ut mittátur foras et calcétur ab homínibus. Non ítaque calcátur ab homínibus, qui pátitur persecutiónem : sed qui persecutiónem timéndo infatuátur. Calcári enim non potest, nisi inférior : sed inférior non est, qui quamvis córpore multa in terra sustíneat, corde tamen fixus in cœlo est.

℟. Accépta baptísmi grátia pósitus apud Ostia Tyberína cum matre sua, colloquebántur soli valde dúlciter : * Et inhiábant ore cordis páriter in supérna fluénta fontis vitæ. Vilescebátque mundus iste inter verba cum delectatiónibus suis. ℣. Tunc ait illa fílio : Nulla re jam deléctor in hac vita cum te, contémpta felicitáte terréna, vídeam servum Dei. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

VOS estis lumen mundi. Quómodo dixit supérius sal terræ, sic nunc dicit lumen mundi. Nam neque supérius ista terra accipiénda est, quam pédibus corpóreis calcámus : sed hómines, qui in terra hábitant, vel étiam peccatóres, quorum condiéndis et exstinguéndis putóribus Apostólicum salem Dóminus misit. Et hic mundum, non cœlum et terram, sed hómines qui sunt in mundo, vel díligunt mundum, opórtet intélligi, quibus illuminándis Apóstoli missi sunt. Non potest cívitas abscóndi super montem pósita id est, fundáta super insígnem magnámque justítiam, quam significat étiam ipse mons, in quo dísputat Dóminus.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES,
et per Horas.

Ant. Post mortem matris revérsus est Augustínus ad agros próprios, ubi cum amicis jejúniis et oratiónibus vacans scribébat libros, et docébat indóctos.

Ant. Compérta autem

Digitized by Google

ejus fama beátus Valérius Hipponénsis Epíscopus eum a pópulo apprehénsum, ac sibi præsentátum, licet invítum Presbyterum ordinávit.

℣. Factus ergo Présbyter monastérium monachórum mox instítuit : et cœpit vívere secúndum régulam sub sanctis Apóstolis constitútam.

℣. Sanctus autem Valérius ordinátor ejus exsultábat ubérius, hóminem sibi talem datum divínitus, qui in doctrína sana ædificáre Ecclésiam esset idóneus.

℣. Eódem témpore Fortunátus, présbyter Manichæórum, versútia plúrimos seducébat, quem sanctus Augustínus in convéntu ómnium dísputans públice superávit.

Capitulum. *Eccli.* 50.

ECCE Sacérdos magnus, qui in vita sua suffúlsit domum, et in diébus suis corroborávit templum. Templi étiam altitúdo ab ipso fundáta est, duplex ædificátio, et excélsi paríetes templi.

Hymnus.

MAGISTER orbis máxime,
Qui mente clara cœlitus
Scrutáris inscrutábile
Trini Dei mystérium :

Ecclésiæ sol spléndide,
Ardóre cujus ígneo
Solvúntur imbres críminum,
Nubes fugántur hæresum.

Scriptis refútas Arii,
Manétis orta dógmata,
Donáti et atra schísmata
Verbo poténte díssipas.

Per te subáctis hóstibus
Christi triúmphat grátia,
Et veritátis fúlmine
Anguem Británnum cónteris.

Quæcúmque monstra prótulit
Orcus, quod inde próferet,
Libris représsa cóncident,
Quibus fides innítitur.

Te jure solitúdines
Exuberántes mónachis,
Et restitúti prædicant
Normæ prióri clérici.

Fove precántes Trínitas,
Ex Patre Verbum, Cháritas :
Quos Patris ardor édidit,
Amóris auge frúctibus.

Amen.

℣. Ora pro nobis beáte Pater Augustíne. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Benedict. Ant. In diébus ejus obséssa est cívitas Hipponénsis ab exércitu Barbarórum, inter quæ mala fuérunt Augustíno lácrymæ suæ panes die ac

Digitized by Google

nocte : atque sub hoc evéntu ad extrémam horam véniens, obdormívit in pace.

Oratio.

DEUS, qui abditióra sapiéntiæ tuæ arcána beáto Patri Augustíno revelándo, et divínæ charitátis flammas in ejus corde excitándo, miráculum colúmnæ nubis et ignis in Ecclésia tua renovásti : concéde ; ut ejus ductu, mundi vórtices felíciter transeámus, et ad ætérnam promissiónis pátriam pervenire mereámur. Per Dñum.

Ad Tertiam.

Aña. Compérta.

Capitulum. Ecce Sacérdos, ut supra.

℟. br. Amávit, de Comm.

Ad Sextam.

Aña. Factus ergo.

Capitulum. *Eccli.* 50.

IN diébus ipsíus emanavérunt pútei aquárum, et quasi mare adimpléti sunt supra modum. Qui curávit gentem suam, et liberávit eam a perditióne.

℟. br. Elégit eum.

Ad Nonam.

Aña. Eódem témpore.

Capitulum. *Eccli.* 50.

QUASI stella matutína in médio nébulæ, et quasi luna plena in diébus suis lucet. Et quasi sol refúlgens, sic iste refúlsit in templo Dei.

℟. br. Tu es Sacérdos.

In ij. Vesperis.

Aña de Laudibus. Psalmi de Dñica, et loco ultimi, Ps. Meménto Dómine David.

Capitulum, Hymnus et V. ut in primis Vesperis.

Ad Magnif. Aña. Hódie gloriósus Pater Augustínus, dissolúta hujus habitatiónis domo, domum non manufáctam accépit in cœlis, quam sibi, cooperánte Dei grátia, manu, lingua fabrefécit in terris, ubi jam quod sitívit intérnum, gustat ætérnum, decorátus una stola securúsque de réliqua.

Digitized by Google

COMMEMORATIONES DIVERSÆ.

PRO FUGANDA PESTE

Antiphona.

STELLA cœli exstirpávit, quæ lactávit Dóminum, mortis pestem, quam plantávit primus parens hóminum. Ipsa Stella nunc dignétur sídera compéscere, quorum bella plebem cædunt diræ mortis úlcere. O píssima Stella maris, a peste succúrre nobis. Audi nos Dómina ; nam Fílius tuus nihil negans te honórat. Salva nos Jesu, pro quibus Virgo Mater te orat.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

DEUS misericórdiæ, Deus pietátis, Deus indulgéntiæ, qui misértus es super afflictiónem pópuli tui, et dixísti Angelo percutiénti pópulum tuum : cóntine manum tuam ob amórem illíus Stellæ gloriósæ, cujus úbera pretiósa contra venénum nostrórum delictórum quam dúlciter suxísti : præsta auxílium grátiæ tuæ ; ut ab omni peste, et improvísa morte secúre liberémur, et a totíus perditiónis incúrsu misericórditer salvémur. Per te Jesu Christe Rex glóriæ, Salvátor mundi : Qui vivis, et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Antiphona.

TOTA pulchra es María, Tota pulchra es María.
Et mácula originális non est in te.
Et mácula originális non est in te.
Tu glória Jerúsalem.
Tu lætítia Israel.
Tu honorificéntia pópuli nostri.
Tu advocáta peccatórum.
O María.
O María.
Virgo prudentíssima.
Mater clementíssima.
Ora pro nobis.
Intercéde pro nobis ad Dóminum Jesum Christum.
℣. In Conceptióne tua Virgo immaculáta fuísti.
℟. Ora pro nobis Patrem cujus Fílium peperísti.

Orémus.

DEUS, qui per Immaculátam Vírginis conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti ; quæsumus, ut qui ex morte

Digitized by Google

ejúsdem Fílii tui prævísa, eam ab omni labe præservásti, nos quoque mundos ejus intercessióne ad te pervenire concédas. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Antiphona ad Laudes. Quæ est ista, quæ ascéndit sicut auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta ?

℣. Exaltáta est sancta Dei génitrix. ℟. Super choros Angelórum ad cœléstia regna.

Oratio.

FAMULORUM tuórum, quæsumus Dómine, delíctis ignósce : ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus, genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur : Qui tecum vivit.

De Patrono.

Ad Laudes, Ant. Jam non dicam vos servos, quia servus nescit, quid fáciat dóminus ejus : vos autem dixi amícos, quia ómnia, quæ audívi a Patre meo, nota feci vobis.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Vesperas, Ant. Si quis vestrum índiget sapiéntia, póstulet a Deo, qui dat ómnibus affluéntur, et dábitur ei.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Oratio.

DEUS, qui nos ánnua beáti Jacóbi Apóstoli tui solemnitáte lætíficas : præsta quæsumus : ut cujus gaudémus méritis, instruámur exémplis. Per Dóminum.

Imprimatur.

Funchaliæ, 25 Julii 1889.

† E. Epus Funchal.

MECHLINIÆ, H. DESSAIN. — MDCCCLXXXIX.

Digitized by Google

OFFICIA PROPRIA

CLERO DIŒCESIS FUNCHALENSIS

CONCESSA.

DOM. ULT. SEPTEMB.

B. Mariæ Virginis titulo Matris Gratiarum.

Duplex majus.

In Cathedr. Funch.

Duplex 2. classis.

Omnia ut in Festis B. M. V. per annum, præter seq.

In utrisque Vesperis.

℣. Ave María, grátia plena. ℟. Dóminus tecum.

Ad Magnif. Ant. O beáta Virgo María : tu véniæ vena, tu grátiæ Mater, tu spes mundi, exáudi fílios tuos clamántes ad te.

Oratio.

DEUS, qui humáno géneri beátæ Maríæ virginitáte fœcúnda reparatiónis grátiam contulísti: concéde ; ut quam grátiæ Matrem appellámus in terris, ejus felíci consórtio perénniter perfruámur in cœlis. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones. **Ego sapiéntia.**

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Thomæ Epíscopi.

Conc. 1. de Annunt.

Lectio iv.

ADMIRANDAM omníque virtúte præstántem Genitrícem Dei Maríam pro mei ingénii exiguitáte toto ánimi desidério laudáre desíderans, nullum fere in Sacris Lítteris pótui reperíre præcónium, quod ad lítteram ejus nobis glóriam excellentiámque demónstret. Nam etsi de illa per prophétas plúrima mystice dicta, fáctaque passim legántur, unde possit virtútis ejus magnitúdo constáre, in evangélicis tamen, aut apostólicis scriptis rarus de illa sermo, et multo rárior laus invenítur; quamvis, ut verum fátear, non ita siléntio trádita sit, ut in eórum dictis virtútum ejus cláritas tenuíssimo rádio, véluti per quasdam verbórum rímulas, non eníteat. Sed unde magis ejus glóriam, virtútes, dotésque ánimi potérimus auspicári, quam ex illo mirífico ejus et Angeli colló-quio ? In quo præter hoc, quod angélico elóquio grátia pleníssima et ómnium feminárum prima mérito prædicátur, ex gestis ejus et dictis multa nimis præconiórum ejus sylva emícuit.

Digitized by Google

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion : quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. Dedi.

Lectio v.

INGRESSUS Angelus ováter, salutávit reverénter : Ave, inquit, grátia plena : Dóminus tecum : plena grátia, implénda Deitáte, obumbránda virtúte ; grátia plena, de cujus plenitúdine accípiunt univérsi, de cujus abundántia totus repléndus est orbis. Et vere plena, in cujus ánimo nullus peccáto relíctus est locus, nullus iniquitáti pátuit accéssus. Dóminus tecum. Et quómodo tecum? non útique sicut mecum, sed sicut núllibi : tecum in córpore, tecum in mente, tecum in ánimo, tecum in consílio, tecum in útero, tecum in auxílio, tecum in ortu, tecum in éxitu, tecum in fine, tecum sine fine.

℟. Quæ est ista quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. Vidérunt.

Lectio vj.

Conc. 2. de Annunt.

CŒLESTI ergo legatióne audíta, sic fatur ad Angelum : Ecce ancílla Dómini : fiat mihi secúndum verbum tuum. Grandi ergo mystério, altissimóque Deitátis instínctu conceptúra Deum, sui méminit ancillátus, ut oriéntem a se fílium mundi obséquio mancipáret. Fiat mihi, ait, secúndum verbum tuum : et ad verbum ejus, statim in útero incarnátum est Verbum. O fiat potens, o fiat éfficax, o fiat super omne fiat, perpétuo honóre venerándum ! Hoc verbo fiat factus est mundus. Hoc verbo cœléstia terréstriaque Altíssimus cóndidit : sed tale fiat non sónuit in orbe, quale tu nunc beáta dixísti. Quid enim factum est ? quis dícere potest quid factum est ? Natúra stupet, judícium hæret, hebéscit sensus, lingua mutéscit, rátio déficit, intellectus non capit quod factum est in María cum hoc prótulit verbum : Fiat mihi secúndum verbum tuum.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit * Et vidéntes

Digitized by Google

eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes : * Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Adstitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. Et vidéntes, Glória Patri. Unguéntum.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* 1. *c.*

In illo témpore : Missus est Gábriel Angelus a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph de domo David : et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 291. *in Nat. S. Joannis Baptistæ.*

Angelus vero idem ipse ad Maríam Vírginem : Ave, inquit, grátia plena : Dóminus tecum ; jam tecum est, qui erit in te. Dic mihi ergo, núntie Dei, quómodo fiet istud ? Vide Angelum sciéntem, illam quæréntem, non diffidéntem. Quia ergo vidit eam quæréntem, non diffidéntem, non se negávit instruéntem. Audi quómodo : erit virgínitas tua, tu tantum crede veritátem, serva virginitátem, áccipe integritátem. Quóniam íntegra est fides tua, intácta erit et intégritas tua. Dénique audi, quómodo fiet istud : Spíritus sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi, quia fide cóncipis, quia credéndo in útero, non concumbéndo habébis : proptérea quod nascétur de te Sanctum vocábitur Fílius Dei. Quid es, quæ póstea paritúra es ? unde merúisti ? unde hoc accepísti ? unde fiet in te, qui fecit te ? unde, inquam, tibi hoc tantum bonum? Virgo es, sancta es, votum vovísti : sed multum, quod merúisti, imo vero multum, quod accepísti.

℟. Sub tuum præsídium confúgimus clementíssima Virgo, súscipe nos, única spes nostra et nostris delectáre láudibus, * Quibus indígni omni te laude dignissimam collaudámus. ℣. Aufer a nobis iniquitátes nostras, ut digni canámus tibi glóriæ melos. Quibus.

Lectio viij.

Nam unde hoc meruísti ? Fit in te, qui fecit te ; fit in te, per quem facta es ; imo vero per quem factum est cœlum et terra, per quem facta sunt ómnia,

Digitized by Google

fit in te Verbum Dei caro, accipiéndo carnem non amitténdo divinitátem. Et Verbum júngitur carni, et Verbum copulátur carni, et hujus tanti conjúgii thálamus úterus tuus, et hujus, inquam, tanti conjúgii, id est Verbi et carnis thálamus úterus tuus : unde ipse Sponsus procédit de thálamo suo. Invénit te Vírginem concéptus, dimíttit Vírginem natus. Dat fœcunditátem, non tollit integritátem. Unde tibi hoc ? Protérve Vírginem vídeor interrogáre, et quasi importúne aures verecúndas ista mea voce pulsáre. Sed vídeo Vírginem verecundántem, et tamen respondéntem, meque admonéntem. Quæris a me, unde mihi hoc ? Verecúndor tibi respondére bonum meum : Angeli audi ipsíus salutatiónem, et in me agnósce tuam salútem. Crede cui crédidi. Unde mihi hoc quæris ? Angelus respóndeat. Dic mihi Angele, unde Maríæ hoc ? Jam dixi, cum salutávi : Ave grátia plena.

℟. Porta cœli et stella maris es Virgo María, Regis ætérni Mater, gratos nos redde Fílio tuo, * Quia omnis virtus, et decor, et glória ex te respléndet. ℣. Tu véniæ vena, tu grátiæ Mater, tu spes mundi, exáudi nos clamántes ad te. Quia. Glória Patri. Quia.

Lectio ix. d Homilia Dominicæ occurrentis.

Si hoc Officium transferri contingat, Lectio ix. erit sequens

Lectio ix.

Serm. 290. de SS.

MARIA vere quando e contra ait, quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco, inquiréndo dixit, non desperándo. Dum interrogávit, non de promissióne dubitávit. O vere grátia plena ! Sic est enim ab Angelo salutáta : Ave grátia plena. Quis hanc éxplicet grátiam ? quis huic grátiæ grátias agéndo sufficiat ? Fit homo, et per líberum arbítrium perit homo, et invenítur homo factus, qui fecit, ne períret quem fecit. In princípio Verbum Deus apud Deum, per quod ómnia facta sunt, fit caro. Verbum caro factum est et habitávit in nobis. Caro fit Verbum, sed caro accédit ad Verbum, non périit in carne Verbum. O grátia! ut hoc haberémus, quid digni erámus.

Te Deum laudámus.

Digitized by Google

COMMEMORATIONES DIVERSÆ.

PRO FUGANDA PESTE

Antiphona.

STELLA cœli exstirpávit, quæ lactávit Dóminum, mortis pestem, quam plantávit primus parens hóminum. Ipsa Stella nunc dignétur sídera compéscere, quorum bella plebem cædunt diræ mortis úlcere. O piíssima Stella maris, a peste succúrre nobis. Audi nos Dómina; nam Fílius tuus nihil negans te honórat. Salva nos Jesu, pro quibus Virgo Mater te orat.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

DEUS misericórdiæ, Deus pietátis, Deus indulgéntiæ, qui misértus es super afflictiónem pópuli tui, et dixísti Angelo percutiénti pópulum tuum: cóntine manum tuam ob amórem illíus Stellæ gloriósæ, cujus úbera pretiósa contra venénum nostrórum delictórum quam dúlciter suxísti: præsta auxílium grátiæ tuæ; ut ab omni peste, et improvísa morte secúre liberémur, et a totíus perditiónis incúrsu misericórditer salvémur. Per te Jesu Christe Rex glóriæ, Salvátor mundi: Qui vivis, et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Antiphona.

TOTA pulchra es María, Tota pulchra es María.
Et mácula originális non est in te.
Et mácula originális non est in te.
Tu glória Jerúsalem.
Tu lætítia Israel.
Tu honorificéntia pópuli nostri.
Tu advocáta peccatórum.
O María.
O María.
Virgo prudentíssima.
Mater clementíssima.
Ora pro nobis.
Intercéde pro nobis ad Dóminum Jesum Christum.
℣. In Conceptióne tua Virgo immaculáta fuísti.
℟. Ora pro nobis Patrem cujus Fílium peperísti.

Orémus.

DEUS, qui per Immaculátam Vírginis conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti; quæsumus, ut qui ex morte

Digitized by Google

ejúsdem Fílii tui prævísa, eam ab omni labe præservásti, nos quoque mundos ejus intercessióne ad te pervenire concédas. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Antiphona ad Laudes.

Quæ est ista, quæ ascéndit sicut auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta ?

℣. Exaltáta est sancta Dei génitrix. ℟. Super choros Angelórum ad cœléstia regna.

Oratio.

FAMULORUM tuórum, quæsumus Dómine, delíctis ignósce : ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus, genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur: Qui tecum vivit.

De Patrono.

Ad Laudes, Ánа. Jam non dicam vos servos, quia servus nescit, quid fáciat dóminus ejus : vos autem dixi amícos, quia ómnia, quæ audívi a Patre meo, nota feci vobis.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Vesperas, Ánа. Si quis vestrum índiget sapiéntia, póstulet a Deo, qui dat ómnibus affluénter, et dábitur ei.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Oratio.

DEUS, qui nos ánnua beáti Jacóbi Apóstoli tui solemnitáte lætíficas : præsta quæsumus: ut cujus gaudémus méritis, instruámur exémplis. Per Dóminum.

Imprimatur.

Funchaliæ, 25 Julii 1889.

✝ E. Episcopus Funchal

Mechliniæ, H. Dessain. — mdcccLxxxix.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

OFFICIA SANCTORUM

NOVA ET PROPRIA,

A SUMMIS PONTIFICIBUS

APPROBATA ET CONCESSA

PRO DIŒCESI METROPOLITANA GOANENSI, ORIENTIS PRIMATIALI, AC INDIARUM ORIENTALIUM PATRIARCHALI

ET EJUS SUFFRAGANEIS DD. ARCHIEPISCOPALI AD HONOREM CRANGANORENSI AC EPISCOPALI DAMAENSI, COCHINENSI ET MELIAPORENSI ATQUE MOSSAMBICENSI PRÆLATIA.

Præter Officia ut in Codice Regni Portugal. Brasil. et Algarb. usque ad præsentem annum.

PARS HIEMALIS.



MECHLINIÆ.
H. DESSAIN,
SUMMI PONTIFICIS, S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE ET ARCHIEPISCOPATUS MECHLINIENSIS TYPOGRAPHUS.
M. D. CCC. XC.

Digitized by Google

KALENDARIUM.

FESTA NOVEMBRIS.

xxv. S. Catharinæ, Virg. et Mart. Titul. Cathedr. Goanensis, *Duplex 1. cl. cum Octava.*
xxvj. S. Gertrudis, Virginis. *Duplex.*
xxvij. Die iij. infra Octavam S. Catharinæ.
xxviij. Die iv. infra Octavam S. Catharinæ.
xxix. Die v. infra Octavam S. Catharinæ.
xxx. S. Andreæ Apost. *Duplex 2. cl.*

FESTA DECEMBRIS.

j. Die vij. infra Octavam S. Catharinæ.
ij. In die Octava S. Catharinæ. *Duplex.*
iij. S. Francisci Xaverii, Conf. Apost. et Patroni Indiarum Orientalium. *Duplex 1. cl. cum Octava.*
v. S. Petri Chrysologi, Episc. Conf. et Eccl. Doct. *Duplex.*
vij. Vigilia Immac. Concept. B. M. V.
viij. Immac. Concept. B. M. V. Patronæ Princ. Regni Portugalliæ. *Duplex 1. cl. cum Octava.*
x. In Octava S. Francisci Xaverii, Conf. *Duplex.*
xvij. S. Bibianæ, Virg. et Mart. *Semiduplex.*
xviij. Expectationis Partus B. M. V. *Duplex majus.*
xxj. S. Thomæ, Apost. Patroni et Titularis Eccl. Cathedr. Meliaporensis. *Duplex 1. cl. sine Octava.*

FESTA JANUARII.

Dñica II. post Epiph. SS. Nominis Jesu Titularis Eccl. Cathedr. Damaensis. *Duplex 1. cl. cum Octava.*
xv. S. Mauri, Abbatis. *Duplex majus.*
xvj. SS. Quinque Mart. Marrochiensium. *Duplex 1. classis*
xx. SS. Fabiani, Papæ et Sebastiani, Mart. *Duplex.*
Dñica III. post Epiph. Octava SS. Nominis Jesu. *Duplex.*
xxiij. Desponsationis B. M. V. cum S. Joseph. *Duplex majus.*

FESTA FEBRUARII.

vj. SS. Quinque Vulnerum D. N. J. C. *Duplex 2. classis.*
ix. S. Apolloniæ, Virg. et Mart. *Semiduplex.*
xj. S. Pauli, primi Eremitæ Conf. *Duplex.*
xij. S. Marcelli, Papæ et Mart. *Semiduplex.*
xiij. S. Titi, Episc. et Conf. *Duplex.*
xiv. S. Angelæ Mericiæ, Virg. *Duplex.*
xv. SS. Viginti sex Mart. Japonen. *Duplex.*
xvj. S. Raymundi de Pennafort, Conf. *Semiduplex.*

FESTA MARTII.

j. B. Joannis de Brito, Mart. S. J. *Duplex.*
Officium votivum S. Francisci Xaverii Conf. Patroni Civit. ac Diœc. Goanensis et Indiarum Orientalium. *Semiduplex.*

Digitized by Google

PRO ARCHIDIŒCESI GOANENSI

ET DIŒCESIBUS SUFFRAGANEIS.

DIE XXV. NOVEMBRIS.
In Festo S. Catharinæ, Virg. et Mart. Titul. Cathedr. Primatialis et Patriarchalis Goanensis.
DUPLEX I. CL. CUM OCTAVA.
In Patriarchatu Goanensi et Mossambicensi Prælatia.

IN I. VESPERIS.

Ańa. Magnæ Catharínæ festa recólimus, Patrónæ triumphálem agónem celebrámus, quæ sapiéntia, et fortitúdine sua dominata est in médio inimicórum suórum. *Psalmi de Comm. Virg.*

Ańa. Sit nomen Dómini benedíctum, qui talem sibi elégit Sponsam, et qui talem nobis dedit Patrónam, cujus nomen laudábile est a solis ortu usque ad occásum.

Ańa. Roga, Virgo Sanctíssima, quæ ad pacem sunt Civitátis tuæ : fiat ei pax in intercessióne tua, et ómnium bonórum abundántia diligéntibus nomen tuum.

Ańa. Nisi tu intercésseris pro Civitáte ista, vanum erit nobis ante lucem súrgere, et frustra vigilábunt qui custódiunt eam.

Ańa. Lauda Metrópolis Orientális, Dóminum Deum tuum : quóniam per intercessiónem Beátæ Catharínæ tuæ confortávit Deus seras portárum tuárum, et benedíxit fíliis tuis in te.

CAPITULUM. 2. *Cor.* 10.

FRATRES, qui gloriátur in Dómino gloriétur : non enim qui seípsum commendat, ille probátus est, sed quem Deus commendat.

HYMNUS.

CLARAM trophæis Vírginem
Urbis Goénsis Præsidem
Trino decóram stémmate
Laudémus omnes Príncipem.

Cujus coróna vérticem
Ambit, corúscum déxtera
Ensem, sinístra dógmata
Sacro libéllo sústinet.

Cujus cor igni cóngruo
Ardet, refúlget lúmine
Mens, lingua dives vócibus
Fandi magístros édocet.

Quam firma gestat péctora
Munita Virgo grátia,
Quam fortis hostes déspicit,
Quam læta perfert vúlnera.

Sæve leóne sævior
Tyránne, acútis énsibus
Para rotárum máchinam,
Compáge rupta córruet.

Reclúde tetro cárcere :
Cibum negáto, vírgini :
Intrábit alis ócyor,
Feret colúmba fércula.

Sævíre pergis ? Fálleris.
Virgo triúmphat láureis,
Tulére corpus cœlites,
Recépit æther Spíritum.

Deo perénnis glória

Digitized by Google

Qui infírma reddit fórtia,
Mutat labórem gáudiis,
Corónat, et dat præmia.
Amen.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Ad Magníficat, Ańa. Magníficat hæc Metrópolis Dóminum, et exúltat in triumpháli agóne Catharínæ Sponsæ suæ: fac tu Deus poténtiam in bráchio tuo, et civitátem istam reple bonis, ita ut beátam eam dicant omnes infidéles natiónes.

ORATIO.

DEUS, qui dedísti legem Móysi in summitáte montis Sínai, et in eódem loco per Sanctos Angelos tuos corpus Beátæ Catharínæ, Vírginis et Mártyris tuæ, mirabíliter collocásti: præsta, quæsumus, ut ejus méritis et intercessióne ad montem, qui Christus est, pervenire valeámus. Qui tecum vivit.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem Vírginum Dóminum * Veníte, adorémus. *Ps.* Veníte, exultémus.

HYMNUS.

VIRGINIS magna tríplici coróna
Sánguinis claræ sóphiæ pudóris,
Quam dedit Nili Pharos alta, palmas,
Pángimus ore.
Luce doctrínæ ténebras fugávit
Dóctior, mentis procul omnis error,
Solis istíus rádiis fugátus,
Orbe recéssit.
Núptias Sponsi melióris Agni
Prætulit, signo fídei recépto
Servat huic totum Catharína Sponso
Virgo pudórem.
Non minis cessit, précibus nec ullis:
Príncipis tædas répulit pudíca:
Régium sprevit diadéma, sceptrum,
Sprevit honóres.
Vicit hæc, vicit trucis hostis iram,
Vicit insáni rábiem Tyránni,
Vicit et cultros pósitos in orbe
Læta rotárum.
Lácteum fudit moribúnda Virgo
Sánguinem, collo gládio recíso,
Mira res! talis fídei decébat
Unde magístram.
Nosce nutrícem, cápite amputáto
Ense cum sacro, níveum cruórem
Præbuit lactis spécimen feréntem
Láctea cervix.
Non tulit cœlum jacuísse corpus,
Spíritum cujus rápuit per auras:
Sústulit Sina chorus Angelórum
Monte locándum.

Digitized by Google

Indiæ custos, Oriéntis Urbis
Príncipis Præses, decus orbis almam
Obtine pacem pópulis tuére
Indica regna.
Nulla nascántur fera bella; nata
Pelle : primævi rédeant triúmphi,
Hóstibus victis : véniant secúndæ
Clássibus auræ.
Créditas undis maris æstuósi
Sóspita merces sólito favóre,
Et Lusitános pópulos amóris
Fœdere junge.
Laus Deo, virtus, decus ac potéstas
Qui Goæ talem tríbuit Patrónam,
Taléque auróræ jubar, et refúlgens
Sidus Olympo. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ana. Ex ore Catharínæ sponsæ tuæ perfecísti tu Deus laudem propter inimícos tuos : ita ut redderétur admirábile Nomen tuum in univérsa terra. *Psalm.* Dómine Dóminus noster *cum reliquis de Communi Virginum.*

Ana. In Oriénte per sanctos Angelos tuos posuísti tabernáculum córporis sponsæ tuæ Catharínæ, et ejus ánimam tu tamquam sponsus deduxísti, et cum glória suscepísti, in templo glóriæ tuæ.

Ana. Catharína ínnocens mánibus, et mundo corde accépit benedictiónem a Dómino : ascéndit in montem Dómini,et stetit in loco sancto ejus.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde et regna.

Lectiones de Epistola prima Beati Pauli Apostoli ad Corinthios, De virgínibus, *sed* ℟℟. *propria quæ sequuntur.*

℟. j. Catharínam Vírginem Alexandrínam natúra ornávit, et grátia : dedit natúra nobilitátem, et decórem, et velut áltera Esther fuit formósa, et incredíbili pulchritúdine, et ómnium óculis gratiósa et amábilis videbátur, * Sed omnis glória ejus ab intus fímbriis áureis circumamícta varietátibus. ℣. Fallax grátia et vana est pulchritúdo, múlier timens Dóminum ipsa laudábitur. Sed omnis.

℟. ij. Propter ánimæ insígnem pulchritúdinem adamátur a vírginum sponso * Qui pósuit diadéma regni in cápite ejus, et ánnulum in manu ejus, et facta est ei in sponsam. ℣. Veni de Líbano sponsa mea, veni de Líbano, veni, et coronáberis de vértice Sanir, et Hermon. Qui pósuit.

℟. iij. Cum Maximínus in Christiános fúreret, assúmpsit Catharína duas sócias sapiéntiam, et fortitúdinem, et eis comitáta ipsum ádiit

Digitized by Google

Maximínum.* Et fortitúdine ei nefáriam immanitátem objécit : sapiéntia vero demonstrávit fidem esse ad salútem necessáriam. ℣. Accínxit fortitúdine lumbos suos, et sapiéntia roborávit bráchium suum, et manum suam misit ad fórtia.Et.Glória Patri. Et.

IN II. NOCTURNO.

*Aña.*Speciósus forma præ fíliis hóminum concupívit decórem Catharínæ sponsæ suæ, et dedúxit eam mirabíliter déxtera sua.

Aña. Efférbuit tyránnus in cruciátibus ejus : at vero Deus arcum contrívit, confrégit rotas,et scuta combússit igni.

Aña. Magnus Dóminus, et laudábilis nimis sapiéntia,et fortitúdine Catharínæ sponsæ suæ, tam in civitáte Eccléſiæ quam in monte sancto glóriæ suæ.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus non commovébitur.

Lectiones ut in Breviario, sed ℟℟. *quæ sequuntur.*

℟. iv. Doctíssimi Philósophi, qui ad convincéndam Catharínam accersíti fúerant, ab ea convícti veritátem confiténtur et qui erant magístri erróris, facti sunt discípuli veritátis. * Super ómnia enim vicit véritas. . Nova bella elégit Dóminus, et portas hóstium ipse confrégit. Super ómnia.

℟. v. Fremens Imperátor ob Vírginis victóriam sapiéntes non tam victos,quam victóres jubet combúri, at illi lætántes ibant ad supplícium tamquam beátæ Vírginis præcursóres, et transeúntes per ignem vitam dedérunt pro Christo. * Córpora autem illórum illæsa repérta sunt. ℣. Cum ambuláveris in igne, non comburéris, et flamma non ardébit in te. Córpora autem.

℟. vj. Victrícem Catharínam Maximínus blandítiis ac promíssis de senténtia dedúcere aggréditur,et eam invítat ad imperiále connúbium : * Quod ipsa spernit nobilióri jam præoccupáta sponsa. ℣. Fide major efécta, quam posset esse imperiáli connúbio negávit se velle esse uxórem Imperatóris magis éligens affligi cum pópulo Dei,quam temporális peccáti habére jucunditátem. Quod ipsa.Glória Patri. Quod ipsa.

IN III. NOCTURNO.

Aña. Annúntians inter sapiéntes glóriam Dei demonstrávit, quóniam omnes dii géntium dæmónia ; Dóminus autem cœlos fecit.

Aña. Tanta parta victória confúsi sunt omnes,qui adorábant sculptília, et qui gloriabántur in simulácris suis : audívit eam et lætáta est Sion Ecclésia Dei.

Aña. Fremens Imperátor, et confúsus vária exquírit, et præparat torménta contra

Digitized by Google

sponsam Christi : sed salvávit eam déxtera ejus,et bráchium sanctum ejus.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Léctio Sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. *Cap.* 25.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum cœlórum decem Virgínibus , quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso, et sponsæ. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 23. *de verb. Domini.*

Etiam ipsas Vírgines, et ipsas feréntes lámpades, álias dixit prudéntes álias stultas.Unde intuémur ? Unde discérnimus ? De óleo. Aliquid magnum significat óleum : valde magnum. Putas, non cháritas est ? Quæréndo dícimus, non sententiam præcipitámus. Unde mihi videátur óleo cháritas significári dicam vobis.Apóstolus dicit adhuc supereminentiórem vobis viam , quam demónstrat : Si linguis hóminum loquar, et Angelórum , charitátem autem non hábeam, factus sum velut æramentárium, aut cymbalum tínniens.

℟. vij. Pavit Deus in cárcere sponsam suam per dies úndecim colúmbæ ministério, et inde edúctam de rotárum gládiis mirabíliter liberávit : tandem secúri percússa lac dedit pro sánguine : * Ut illíus Agni sponsa, in cujus sánguine Sanctórum stolæ dealbántur. ℣. Beáti, qui lavant stolas suas in sánguine Agni, ut sit potéstas eórum in ligno vitæ, et per portas intrent in civitátem. Ut.

Lectio viii.

Ipsa est superéminens via id est, cháritas, quæ mérito óleo significátur : ómnibus enim liquóribus óleum superéminet. Mitte aquam, et superinfúnde óleum, superéminet. Si órdinem serváveris, vincit, cháritas nunquam cadit. Quid ergo fratres ? Jam disceptémus de quinque virgínibus prudéntibus et quinque fátuis : voluérunt óbviam ire sponso. Quid est ire óbviam sponso ? Corde ire, expectáre ejus advéntum, sed ille tardábat.

℟. viij. Beáta Virgo, cujus ánima láqueis contrítis evolávit ad Christum, et ne corpus in potestáte remanéret tyránni,in Sina Arábiæ monte mirabíliter collocátur. * Anima cum sponso in cœlo regnat, córporis thesáurus ab orientáli plaga possidétur. ℣. Quæ est ista, quæ ascéndit de desérto, delíciis áffluens inníxa super diléctum suum ? Anima. Glória Patri. Anima.

Digitized by Google

LECTIO IX.

PRUDENTES autem illæ tulérunt óleum secum in vasis suis : Stultæ vero illæ non tulérunt óleum secum in vasis suis. Unde dicit Apóstolus : Glória nostra hæc est, testimónium consciéntiæ nostræ. Ibi óleum, magnum óleum, de dono Dei est hoc óleum. Dénique hómines óleum míttere intro possunt, olívam creáre non possunt. Ecce hábeo óleum : de dono Dei est. Habes óleum ? Porta tecum. Quid est porta tecum ? Intus habe, ibi place Deo.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES,
et per Horas, Aña.

1. Induit Dóminus Catharínam sponsam suam decóre, et fortitúdine, et ídeo invícta éxtitit et victrix de ómnibus inimícis suis. *Psalm.* Dóminus regnávit, *cum reliquis Psalmis de Dominica.*

2. Stans Catharína in médio sapiéntum demonstrávit, quóniam Dóminus ipse est Deus : ipsi vero introiérunt portas Ecclésiæ in confessióne, et átria glóriæ ingréssi in hymnis confiténtur Dómino.

3. In velaménto alárum tuárum exultávi, et ídeo inimíci Dómini in vanum quæsiérunt ánimam meam : adhæsit enim ánima mea post te, me suscépit déxtera tua.

4. Bénedic Catharína Dóminum, quia illíus sponsa facta es, cui benedícunt, et sérviunt ómnia ópera ejus.

5. Júvenes et vírgines, senes cum junióribus laudent Beátam Vírginem Catharínam, quia exaltátum est per eam nomen Dómini solíus.

Capitulum, et Hymnus ut supra in Vesperis.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Benedictus, Aña.

Beáta Catharína orábat dicens : Dómine Jesu Christe Deus meus, ago tibi grátias, quod statuísti supra petram pedes meos, et direxísti gressus meos : nunc exténde palmas, quæ pro me in Cruce fuérunt sauciátæ, et súscipe ánimam, quam sacrificávi pro te, et tua confessióne.

ORATIO.

DEUS, qui dedísti legem Móysi in summitáte montis Sínai, et in eódem loco per Sanctos Angelos tuos corpus Beátæ Catharínæ, Vírginis et Mártyris tuæ, mirabíliter collocásti : præsta, quæsumus, ut ejus méritis et intercessióne ad montem, qui Christus est, pervenire valeámus. Qui tecum vivit.

Ad Tertiam, Sextam, et Nonam, Capitula et ℟℟. *brevia de Comm. Virg.*

In ij. Vesperis omnia ut in primis præter sequentia.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Digitized by Google

Ad Magníficat, Ánt.

O magna, et singuláris Patróna jam de tua immortalitáte secúra : adhuc esto de nostra salúte sollícita : e mensa illa,in qua cum sponso epuláris, cadant nobis micæ intercessiónis tuæ, et habeámus per te, quod méritis nostris cónsequi non valémus.

Oratio ut supra, et nulla fit commem. nisi Dominicæ, si sequenti die occurrat.

Missa propria ut in Missali sed in ea dicitur Credo *per totam Octavam.*

DIE XXVI. NOVEMBRIS.

In Festo S. Gertrudis Virg.

DUPLEX.

Omnia ut in Breviario, die xv. hujus.

Et fit comm. Octavæ S. Catharinæ.

Lectio ix. et com. S. Petri Alexandrini Episc. et Mart. ut in Breviario hac die.

DIE XXVII. NOVEMBRIS.

Tertia die infra Octavam S. Catharinæ.

Omnia ut in Festo præter sequentia.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

De Sermóne S. Ambrósii Epíscopi.

LECTIO IV. *Lib.* I. *de Virg.*

EGO licet laudatiónem non suscéperim virginitátis, sed expressiónem, ad rem tamen pertinére árbitror, ut quæ sit ei pátria, quis actor appáreat : ac prius ubi sit pátria, definiámus. Si enim ibi est pátria, ubi genitále domicílium, in Cœlo profécto est pátria castitátis. Itaque hic ádvena, ibi íncola est. Quid autem est cástitas virginális, nisi expers contagiónis intégritas? Atque ejus auctórem, quem póssumus æstimáre, nisi immaculátum Dei Fílium, cujus caro non vidit corruptiónem, divínitas non est expérta contagiónem.

℟. Doctíssimi Philósophi.

LECTIO V.

VIDETE ígitur quanta virginitátis mérita sint. Christus ante Vírginem , Christus ex Vírgine : a Patre quidem natus ante sæcula ; sed ex vírgine natus ob sæcula ; illud natúræ suæ, hoc nostræ utilitátis est: illud erat semper, hoc esse vóluit. Expectáte áliud virginitátis méritum : Christus virgo, vírginis sponsus ; et si dici potest, Christus virgíneæ castitátis ; virgínitas enim Christi,non virginitátis est Christus : virgo est ergo, quæ nupsit ; virgo, quæ eum suo útero portávit : virgo quæ génuit : virgo próprio lacte nutrívit.

℟. Fremens Imperátor.

LECTIO VI.

DE virgínibus,inquit Apóstolus, præcéptum Dómini non hábeo. Si Doctor géntium non hábuit, habére quis pótuit ? Et præcéptum quidem non hábuit, sed há-

Digitized by Google

buit exémplum, non enim imperári pótuit virgínitas, sed optári. Nam quæ supra nos sunt, in voto magis, quam in magistério sunt. Sed volo vos, inquit, sine sollicitúdine esse : nam qui sine uxóre est, sollícitus est, quæ dómini sunt, quómodo pláceat Deo : et virgo cógitat, quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore, et spíritu : nam quæ nupta est, cógitat quæ mundi sunt, quómodo pláceat viro. Non ego quidem dissuádeo matrimónium, sed virginitátis attéxo benefícium.

℟. Victrícem Catharínam.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII. *Cap.* 25.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso, et sponsæ. Et réliqua.

De Homília Sancti Gregórii Papæ.

Hom. 12. *in Evang.*

FATUÆ profécto sunt vírgines, quia solam laudis transitóriæ retributiónem quærunt : unde et apte súbditur : Quinque fátuæ, accéptis lampádibus non sumpsérunt óleum secum ; prudéntes autem accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Per óleum quippe nitor glóriæ designátur : vásicula autem nostra sunt corda, in quibus férimus cuncta, quæ cogitámus. Prudéntes ergo óleum in vasis habent, quia nitórem glóriæ intra consciéntiam rétinent. Paulo attestánte, qui ait : Glória nostra hæc est, testimónium consciéntiæ nostræ. Fátuæ autem vírgines óleum secum non sumunt quia glóriam intra consciéntiam non habent, dum hanc ab ore proximórum quærunt.

℟. Pavit Deus.

LECTIO VIII.

NOTANDUM vero quod lámpades omnes habent sed óleum omnes non habent : quia plerúmque bona in se ópera tum elécti, tum réprobi osténdunt, sed soli ad sponsum cum óleo véniunt, qui de his, quæ foris égerint, intus glóriam requírunt. Unde per Psalmístam quoque de Sancta electórum Ecclésia dícitur : omnis glória ejus fíliæ Regis ab intus. Moram autem faciénte Sponso dormitavérunt omnes, et dormiérunt : quia dum veníre Judex ad extrémum judícium differt, et elécti et réprobi cum mortis somno sopiúntur : dormíre étenim mori est, ante somnum vero dormitáre est ante mortem a salúte languéscere ; quia per pondus ægritúdinis pervenítur ad somnum mortis.

℟. Beáta Virgo.

Digitized by Google

Lectio ix.

Media autem nocte clamor factus est. Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. De advéntu Sponsi clamor in média nocte fit,quia sic dies judícii subrépit, ut providéri non váleat quando venit: unde scriptum est: Dies Dómini sicut fur in nocte, ita véniet. Tunc omnes vírgines surgunt, quia elécti, et réprobi a somno suæ mortis excitántur. Lámpades ornant: quia sua secum ópera númerant, pro quibus ætérnam recípere beatitúdinem expéctant.Sed lámpades fatuárum Vírginum extinguúntur: quia eárum ópera, quæ clara homínibus foris apparúerant in advéntu Júdicis intus obscuránt et a Deo retributiónem non invéniunt, quia pro eis recepérunt ab homínibus laudes, quas amáverant.

Te Deum laudámus.

In Missa dicitur Oratio 2. *B. M.* Concéde, 3. Eccléstæ, *ut post Dominicam in Albis. Si vero hac die occurrat Dominica prima adventus, fit de ea cum paramentis violaceis,et Commemoratione Octavæ sine precibus, et in Missa dicitur solum Oratio* 2. *de Octava.*

DIE XXVIII. NOVEMBR.

Quarta die infra Octavam S. Catharinæ.

Omnia dicuntur ut in Festo præter sequentia.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

De Sermóne S. Ambrósii Epíscopi.

Lectio iv. *Lib.* 1. *de Virg.*

Hæc profécto vera pulchritúdo est cui nihil deest, quæ sola merétur audíre a Dómino: Tota es formósa, próxima mea, et reprehénsio non est in te. Veni huc a Líbano, veni huc a Líbano, transíbis, et pertransíbis a princípio fídei, a cápite Sanir, et Hermon, a latíbulis leónum, a móntibus pardórum. Quibus indíciis osténditur perfécta, et irreprehensíbilis virgináis ánimæ pulchritúdo altáribus consecráta divínis inter occúrsus, et latíbula spirituálium bestiárum non infléxa mortálibus,sed inténta mystériis Dei meruísse diléctum, cujus úbera plena lætítiæ.

℟. Doctíssimi Philósophi.

Lectio v.

In umbra ejus concupívi,et sedi, et fructus ejus dulcis in fáucibus meis. Invéni quem diléxit ánima mea, ténui eum; et non relínquam eum: descéndat fratérnus meus in hortum suum, et mandúcet fructum pomórum suórum. Veni fratérne mi, exeámus in agrum, pone me ut sigíllum in cor tuum, et velut signáculum super bráchium tuum. Fratérnus meus cándidus et rúbeus.

Digitized by Google

Decet enim ut plene nóveris virgo, quem díligis, atque omne in eo, et ingénitæ divinitátis, et assúmptæ mystérium incorporatiónis agnóscas.

℟. Fremens Imperátor.

LECTIO VI.

CANDIDUS mérito, quia Patris splendor rúbeus, quia partus vírginis. Color in eo fulget,et rútilat utriúsque natúræ. Meménto tamen antiquióra in eo divinitátis insígnia, quam córporis sacraménta : quia non cœpit a vírgine, sed qui erat, venit in vírginem : ille spretus a milítibus, ille láncea vulnerátus, ut nos sacri vúlneris cruóre sanáret : respondébit tibi profécto : (est enim mitis, et húmilis corde, blandus aspéctu). Exúrge Aquilo, et veni Auster, aspira hortum meum, et fluant arómata mea.

℟. Victrícem Catharínam.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII. *Cap.* 25.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso, et sponsæ. Et réliqua.

De Homília S. Gregórii Papæ.

QUID est autem quod tunc a prudéntibus óleum petunt, nisi quod in advéntu Júdicis, cum se intus vácuas invénerint, testimónium foris quærunt ? Ac si a sua fidúcia decéptæ próximis dicant ? Quia nos quasi sine ópere repélli conspícitis, dícite de nostris opéribus, quod vidístis : Sed prudéntes Vírgines respóndent dicéntes : Ne forte non suffíciat nobis, et vobis. In illo enim die (quod tamen de qu·búsdam in pace Ecclésiæ quiescéntibus loquor) sibimetípsis testimónium uniuscujúsque vix súfficit : quanto minus et sibi et próximo unde et prótinus per increpatiónem subdunt : Ite pótius ad vendéntes et émite vobis.

℟. Pavit Deus.

LECTIO VIII.

VENDITORES quippe ólei, adulatóres sunt ; qui enim accépta quálibet grátia, vanis suis láudibus nitórem glóriæ áfferunt, quasi óleum vendunt ; de quo profécto Psalmísta dicit: Oleum autem peccatóris non impínguet caput meum. Principále étenim membrum nostrum caput est : appellatióne autem cápitis ea, quæ principátur córpori, meus vocátur ; impínguat ergo caput óleum peccatóris, cum demúlcet mentem favor adulántis. Sed dum irent émere, venit sponsus : quia cum vitæ suæ testimónium a próximis quærunt, Judex venit, qui non solum

Digitized by Google

óperum, sed étiam córdium testis est.

℟. Beáta Virgo.

LECTIO IX.

QUÆ autem parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est jánua. O si sápere in cordis paláto possit, quid admiratiónis hábeat quod dícitur: Venit sponsus! quid dulcédinis: Intravérunt cum eo ad núptias! quid amaritúdinis: Et clausa est jánua! Venit quippe ille, qui in advéntu suo eleménta cóncutit, in cujus conspéctu cœlum, et terra contremíscunt. Unde étiam per Prophétam dícitur: Adhuc semel et ego movébo non solum terram, sed étiam Cœlum: ad cujus exámen omne humánum genus dedúcitur: cui ad vindíctam malórum remunerationémque bonórum, Angeli, Archángeli, Throni, Principátus, et Dominatiónes obsequúntur.

Te Deum laudámus.

DIE XXIX. NOVEMBRIS.

Quinta die infra Octavam S. Catharinæ.

Omnia dicuntur ut in Festo præter sequentia.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Máximi Episcopi *In Nathali S. Agnetis.*

LECTIO IV.

CUM in toto mundo virgíneus flos Maríæ immarcescíbiles corónas innéctat, ac sceptrígeram pudóris olam immaculáto consérvet afféctu: eo usque intégritas perseverávit ad palmam, ut in puéllis trophæum sanctitátis arríperet, et per vestígia Matris Vírginis ad cœléstem thálamum perveníret. Accédite ad puéllam puéllæ, et díscite quales péctore suo circa amórem Christi flammas accéndit: díscite vírgines, Christi amórem in puélla fervéntem, et omnes mundi divítias velut stércora recusántem.

℟. Doctíssimi Philósophi.

LECTIO V.

HÆC magnum de se pudicítiæ excitávit exémplum cum virginitátem prætulit vitæ, omnémque a se amórem sceléstum expéllens, trophæum Crucis arrípuit Christi, et tam contra libídines, quam étiam contra supplícia univérsa, fide pótius armáta, quam ferro fórtiter dimicávit, et vicit. Aspicit dénique blandiéntem, et rénuit: minántem atténdit, et ridet: nescit amáre áliquid quod transit: et dum nimis virginitátem díligit, nec ludíbria, nec flammas, nec supplícia, nec carnífices métuit: postrémo nec gládium furéntis persecutóris expávit.

℟. Fremens Imperátor.

LECTIO VI.

VENI jam Virgo ad thálamum quem quæsísti, et pro amóre sponsi gládium

Digitized by Google

persecutóris admítte, ut sponsam te Virgínitas immaculáta cómprobet Christi, et mártyrem conféssio probáta consígnet. Felix catérva Vírginum, quibus stúdium est tuæ sequi confessiónis vestígia : habébunt enim tecum corónam in Cœlo, quæ tecum superavérunt inimícum in mundo. Nam sicut tibi vestígia prosequénti participátio ætérnæ remuneratiónis appáruit, ita eis te imitántibus ætérna crédimus gáudia non negánda. Itaque, o spléndida Christo Dei Fílio, et ómnibus Angelis, atque Archángelis grata : ut nostri meminísse dignéris, quibus póssumus précibus exorámus.

℟. Victrícem Catharínam.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII. *Cap.* 25.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum cœlórum decem Virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso, et sponsæ. Et réliqua.

De Homilía S. Gregórii Papæ.

PENSATE, fratres charíssimi, ante conspéctum tanti Júdicis, qui in illo die terror erit, quando jam in pœna remédium non erit : quæ illa confúsio, cui reátu suo exigénte contínget in convéntu ómnium Angelórum, hominúmque erubéscere: quis pavor eum, quem et tranquíllum mens humána cápere non valet étiam irátum vidére ? Quem diem bene Prophéta íntuens ait : Dies illa dies iræ, dies tribulatiónis, et angústiæ, dies calamitátis, et miséria, dies tenebrárum, et calíginis, dies nébulæ et túrbinis, dies tubæ, et clangóris. Sane, fratres charíssimi, extrémi diem judícii super corda reprobórum, qua asperitáte Prophéta vidit amaréscere, quem tot appellatiónibus non valet explicáre ?

℟. Pavit Deus.

LECTIO VIII.

QUANTA vero tunc erit electórum lætítia, qui de ejus meréntur visióne gaudére, de cujus conspéctu vident, et eleménta ómnia contremíscere cum eo simul ad núptias intráre ? Qui et sponsi núptiis gaudent, et tamen ipsi sunt sponsa, quia in illo ætérni regni thálamo visióni nostræ Deus conjúngitur! Quæ scílicet vísio nunquam jam in perpétuum ab amóris sui ampléxibus evellétur. Tunc regni jánua lugéntibus cláuditur, quæ modo quotídie pœniténtibus aperítur. Erit namque et tunc pœniténtia, sed fructuósa jam non erit : quia nequáquam tunc véniam invéniet qui modo aptum pœniténtiæ tempus perdit.

℟. Beáta Virgo.

Digitized by Google

Lectio ix. Homilia et comm. S. Andreæ Apost. et com. S. Saturnini Martyris.

DIE XXX. NOVEMBRIS.

Sexta die infra Octavam S. Catharinæ.

Hodie fit de S. Andrea Apost.

DIE I. DECEMBRIS.

Septima die infra Octavam S. Catharinæ.

Omnia ut in Festo præter sequentia.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro Sancti Cypriáni Epíscopi, et Mártyris.

De habitu virginum.

LECTIO IV.

NEMINEM christiánum decet, et máxime vírginem non decet, claritátem ullam computáre carnis et honórem sed solum appétere sermónem Dei, bona in ætérnum mansúra complécti : aut si in carne sit gloriándum, tunc plane quando in nóminis Dómini confessióne cruciátur , quando fórtior fémina viris torquéntibus invenítur, quando ignes, aut cruces, aut ferrum, vel béstias pátitur, ut coronétur : illa sunt carnis pretiósa monília, illa córporis ornaménta melióra.

℟. Doctíssimi Philósophi.

LECTIO V.

ARCTA et angústa via est, quæ ducit ad vitam : durus, et árduus est limes, qui tendit ad glóriam. Per hunc vitæ límitem mártyres pergunt, eunt vírgines, justi quoque gradiúntur. Lata, et spatiósa itínera vitæ lethális : illic illécebræ, et mortíferæ voluptátes : illic diábolus blandítur, ut fallat ; arrídet ut nóceat ; íllicit ut occídat. Ut apud mártyres non est carnis et sæculi contágio, nec parva, et levis, et delicáta congréssio : Sic et in vobis, quarum ad glóriam merces, fecúnda est, sit et virtus ad toleántiam próxima. Non est ad magna fácilis ascénsus.

℟. Fremens Imperátor.

LECTIO VI.

SI præmium pollicitatiónis atténdas, minus est quod labóras : immortálitas perseveránti datur, perpétua vita promíttitur, regnum Dóminus pollicétur ; serváte vírgines, serváte quod esse cœpístis : serváte quod éritis ; magna vos merces manet, præmium grande virtútis, munus máximum castitátis. Quod futúri sumus, jam vos esse cœpístis : vos resurrectiónis glóriam in isto sæculo jam tenétis. Per sæculum sine sæculi contagióne transítis, cum castæ perseverátis, et Vírgines, Angelis Dei estis æquáles : tantum máneat, et duret sólida, et illæsa virgínitas ; et ut cœpit fórtiter, júgiter persevéret.

℟. Victrícem Catharínam.

Digitized by Google

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII. *Cap.* 25.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso , et sponsæ. Et réliqua.

De Homilía sancti Gregórii Papæ.

ECCE, áperi,clamant ; et repulsiónis suæ dolóre compúlsæ appellatiónem dominántes ingéminant dicéntes ; Dómine, Dómine, áperi nobis. Preces ófferunt, sed nesciúntur, quia tunc velut incógnitus Dóminus déserit quos modo suos per vitæ méritum non agnóscit. Ubi apte quoque generális ad discípulos exhortátio subinfértur, cum dícitur : Vigiláte ítaque, quia post peccáta Deus pœniténtiam súscipit. Si sciret quisque, de præsénti sæculo quo témpore exíret, áliud tempus voluptátibus, atque áliud pœniténtiæ aptáre potuísset : sed qui pœniténti véniam spopóndit, peccánti diem crástinum non promísit.

℟. Pavit Deus.

LECTIO VIII.

SEMPER ergo extrémum diem debémus metúere, quem numquam póssumus prævidére. Ecce hunc ipsum diem, in quo lóquimur ad indúcias conversiónis, accípimus, et tamen mala, quæ fécimus, flere recusámus ; non solum commíssa non plángimus,sed étiam quæ defleántur augémus : at si nos áliqua ægritúdo corrípiat, si signa ægritúdinis vicínam mortem denúntient, indúcias vivéndi quærimus, ut peccáta nostra defleámus, et eas cum magno æstu desidérii pétimus, quas accéptas modo pro níhilo habémus.

℟. Beáta Virgo.

LECTIO IX.

MEMENTO quod véritas dicat : Oráte, ne fiat fuga vestra híeme, vel sábbato. Per legis quippe mandátum ambuláre lóngius in sábbato non licet : hiems quoque ad ambulándum impedimentum est, quia gressus ambulántium torpor frígoris astríngit. Ait ergo, oráte, ne fiat fuga vestra híeme vel sábbato ; ac si dicat : Vidéte ne tunc quærátis peccáta vestra fúgere, quando jam non licet ambuláre. Illud ergo tempus, quo fúgere non licet, tunc debet cogitári, dum licet. Illa hora est éxitus nostri semper intuénda : ista Redemptóris nostri admonítio ante mentis óculos semper ponénda, quia ait : Vigiláte ítaque quia nescítis diem , neque horam.

Te Deum laudámus.

Digitized by Google

DIE II. DECEMBRIS.

In Octava die S. Catharinæ.

Omnia ut in Festo S. Catharinæ, præter sequentia.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Bernárdi, Abbátis.

Serm. 17. *in Cantic.*

LECTIO IV.

FLOS est virgínitas, flos martyrium ; in horto virgínitas, in campo martyrium : et bene in horto virgínitas. cui familiáris verecúndia est, fúgitans públicum, latíbulis gaudens, pátiens disciplínæ. Dénique in hortu flos cláuditur, qui in campo expónitur. Et habes: Hortus conclúsus, fons signátus : quod útique claustrum pudóris signat in vírgine, et inviolátæ custódiam sanctitátis, si tamen talis fúerit, quæ sit sancta córpore, et spíritu. Bene item in campo martyrium, dum Mártyres ludíbrio ómnium exponúntur spectáculum facti et Angelis, et homínibus.

℟. Doctíssimi Philósophi.

LECTIO V

DOMINUS Jesus, flos horti, Virgo Vírgine generátus. Item flos campi, Martyr, Mártyrum coróna, martyrii forma. Dénique foras civitátem edúctus est, extra castra passus est, in ligno elevátus est, spectándus homínibus, subsannándus ab ómnibus. Quæ ígitur fuit causa, ut se campi florem malúerit appelláre ? Profécto ut sponsam ad tolerántiam animáret, cui nóverat imminére persecutiónem pati. Id se ergo libéntius profitétur ad quod potíssimum vult habére sequácem, denúncians ei, quod per multas tribulatiónes opórtet intráre in regnum cœlórum.

℟. Fremens Imperátor.

LECTIO VI.

VOCAT ad campum, ad exercítium próvocat : nec putat quidquam persuasibílius fore illi ad ineúndum certámen, quam si se ipsum certámen, aut exémplum propónat, aut præmium. Ego flos campi : Sane utrúmvis in hoc sermóne intélligi datur vel quod sit, vidélicet pugnántis forma, vel quod glória triumphántis. Utrúmque es mihi, Dómine Jesu, et spéculum patiéndi, et præmium patiéntis. Utrúmque fórtiter próvocat, ac veheménter accéndit.

℟. Victrícem Catharínam.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII. *Cap.* 25.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt ób-

Digitized by Google

viam sponso, et sponsæ. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 22. de verbis Domini.

VIDENTUR mihi quinque vírgines significáre quinquepartítam continéntiam a carnis illécebris. Continéndus est ánimi appetítus a voluptáte oculórum : a voluptáte áurium ; a voluptáte olfaciéndi, gustándi, et tangéndi : sed quia ista continéntia partim coram Deo fit, ut illi placeátur interióri gáudio conscientiæ : partim coram homínibus tantum ut glória humána capiátur : quinque dicúntur sapiéntes, et quinque stultæ : utræque tamen vírgines, quia útraque continéntia est, quamvis divérso fómite gáudeat.

℟. Pavit Deus.

LECTIO VIII.

OMNES vero accepérunt lámpades suas, et venérunt óbviam sponso. Intelligéndum est ergo, Christi nómine censéri, de quibus ágitur : non enim possunt, qui Christiáni non sunt, sponso Christo veníre óbviam. Sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus suis non sumpsérunt óleum secum : multi enim quamvis de Christi bonitáte plúrimum sperent, gáudium tamen non habent, dum continénter vivunt, nisi in láudibus hóminum : non ergo habent óleum secum : nam ipsam lætítiam óleo significári árbitror. Prophéta ínquit : Unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ.

℟. Beáta Virgo.

LECTIO IX.

PRUDENTES autem accepérunt óleum secum in vasis cum lampádibus suis, id est, lætítiam óperum bonórum incorde, atque conscientia posuérunt. Sic et Apóstolus monet: Probet se, inquit, homo ; et tunc in semetípso habébit glóriam, et non in áltero. Tardánte ergo sponso dormiérunt omnes, quia ex utróque génere continéntium hóminum, sive eórum, qui coram Deo exúltant, sive eórum, qui láudibus hóminum acquiéscunt moriúntur hoc intervállo témporis, donec sub advéntu Dómini fiat resurréctio mortuórum.

Te Deum laudámus.

DIE III. DECEMBRIS.

In Festo S. Francisci Xaverii Conf. Apost. et Patroni Principal. Indiarum Orientalium.

DUPLEX I. CL. CUM OCTAVA.

Omnia ut in Breviario Romano, hac die.

In j. Nocturno Lectiones Justus si morte, *de Comm. Conf. non Pont. j. loco.*

DIE V DECEMBRIS.

In Festo S Petri Chrysologi, Episc. Conf. et Eccl. Doct.

DUPLEX. (m. t. v.)

Omnia ut in Breviario

Digitized by Google

Romano præcedenti die, cum com. S. Barbaræ, Virginis et Martyris et S. Sabbæ Abbatis.

DIE VII. DECEMBRIS.

De Vigilia Immaculatæ Conceptionis B. M. V.

Nihil fit in Officio.

Vesperæ de sequenti.

DIE VIII. DECEMBRIS.

In Festo Immac. Concept. B. M. V. Patronæ Principalis Regni Portugalliæ.

DUPLEX I. CL. CUM OCTAVA.

Omnia ut in Breviario Romano, hac die.

DIE X. DECEMBRIS.

In Octava S. Francisci Xaverii, Conf.

DUPLEX.

Omnia ut in Festo S. Francisci Xaverii.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Serm. 2. de S. Victore.

LECTIO IV.

GAUDETE in Dómino, dilectíssimi, qui inter contínua suæ pietátis benefícia indúlsit mundo Beátum Francíscum Xavérium, cujus multi salvaréntur exémplo. Iterum dico gaudéte, quod sublátus de médio appropiávit Deo, ut multo plures ejus intercessióne salvéntur. In terris visus est, ut esset exémplo, in cœlum levátus est ut sit patrocínio. Hic infórmat ad vitam, illic invítat ad glóriam : factus est mediátor ad regnum, qui fuit incitátor ad opus. Bonus mediátor, qui sibi jam póstulans nihil, totum in nos transférre desíderat, et supplicántis afféctum, et supplicatiónis fructum. Quid enim quærat sibi, qui nullíus eget?

℟. Honéstum fecit.

LECTIO V.

HÆC dies gloriósæ migratiónis ejus, dies lætítiæ cordis ejus : exultémus, et lætémur in ea. Introívit in poténtias Dómini, gaudeámus : quia nunc poténtior est ad salvándum. Hódie Francíscus pósito córpore tanto alácrior, quanto expedítior penetrávit in sancta, símilis factus in glória sanctórum. Hódie despécto mundo et mundi príncipe triumpháto, supra mundum victor ascéndit accípiens de manu Dómini corónam victóriæ. Ascéndit autem cum imménsa suppelléctili meritórum, clarus triúmphis, miráculis gloriósus : sedet veteránus miles débita jam suavitáte, et securitáte quiétus. Secúrus quidem sibi, sed nostri solícitus. O venerándam étiam ipsis Angelis sanctitátem, quam pari stúdio etsi díspari voluntáte, et mali fúgitant, et frequéntant boni! nec fácile díxerim, quid virum ádstruat sanctiórem, horum favor aut pavor illórum.

℟. Amávit eum.

Digitized by Google

LECTIO VI.

OMILES emérite, qui christiánæ milítiæ duris labóribus Angélicæ felicitátis réquiem commutásti ! réspice ad imbélles,et imbecílles commilitónes tuos, qui inter hostíles gládios et spiritáles nequítias tuis láudibus occupámur. Quam pium, quam dulce, quam suáve, o Sancte Francísce,in hoc loco afflictiónis, et in hoc córpore mortis te cánere,te colere, te precári ! Nomen tuum, et memoriále tuum favus distíllans in lábiis captivórum, mel et lac sub lingua eórum, qui tui memória delectántur. Eia ergo fortis Athléta, dulcis Patróne, Advocáte fidélis, exúrge in adjutórium nobis : ut et nos de nostra ereptióne gaudeámus, et tu de plena victória gloriéris.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

LECTIO VII. *Cap.* 16. *c*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis: Eúntes in mundum univérsum,prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homilía S. Gregórii Papæ. *Hom.* 29. *in Evangelia.*

QUI credíderit, et baptizátus fúerit,salvus erit : qui vero non credíderit, condemnábitur. Fortásse unusquísque apud semetípsum dicat : Ego jam crédidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem opéribus tenet.Vera étenim fides est,quæ in hoc quod verbis dicit, móribus non contradícit. Hinc est enim quod de quibúsdam falsis fidélibus Paulus dicit : Qui confiténtur se nosse Deum, factis autem negant. Hinc Joánnes ait : Qui dicit se nosse Deum, et mandáta ejus non custódit, mendax est.

℟. Iste est qui ante.

LECTIO VIII.

QUOD cum ita sit, fídei nostræ veritátem in vitæ nostræ consideratióne debémus agnóscere.Tunc enim veráciter fidéles sumus; si quod verbis promíttimus opéribus complémus. In die quippe baptísmatis, ómnibus nos antíqui hostis opéribus, atque ómnibus pompis abrenuntiáre promísimus. Itaque unusquísque vestrum ad consideratiónem suam mentis óculos redúcat, et si servat post baptísmum quod ante baptísmum spopóndit, certus jam quia fidélis est, gáudeat.

℟. Sint lumbi vestri.

LECTIO IX.

SED ecce, si quod promísit, mínime servávit, si ad exercénda prava ópera, ad concupiscéndas mundi pompas dilápsus est : videámus, si jam scit plángere, quod errávit Apud misericórdem namque júdicem nec ille fallax habétur, qui

Digitized by Google

ad veritátem revértitur, étiam postquam mentítur; quia omnípotens Deus, dum libénter nostram pœniténtiam súscipit, ipse suo judício, hoc quod errávimus, abscóndit.

Te Deum laudámus.

In Laudibus fit com. Octavæ Immac. Concept., Feriæ et S. Melchiadis Papæ et Mart.

In ij. Vesperis com. Octavæ Immac. Concept. et Feriæ.

DIE XVII. DECEMBRIS.

In Festo S. Bibianæ Virg. et Mart.

SEMIDUPLEX.

Omnia ut in Breviario Romano, die ij. Decembris.

DIE XVIII. DECEMBRIS.

In Festo Expectationis Partus B. M. V.

DUPLEX MAJUS.

Omnia ut in Appendice Breviarii, hac die.

DIE XXI. DECEMBRIS.

In Festo S. Thomæ Apost. Patroni et Titularis Eccl. Cathedr. Meliaporensis.

DUPLEX I. CL. SINE OCTAVA.

In Diœcesi Meliaporensi.

Omnia ut in Breviario Romano, hac die.

Et fit commem. Feriæ.

DOM. II. POST EPIPHAN.

In Festo SS. Nominis Jesu Titularis Eccl. Cathedr. Damaensis.

DUPLEX I. CL. CUM OCTAVA.

In Diœcesi Damaensi.

Omnia ut in Breviario Romano, hac die.

Lectio ix. et com. Dñicæ ii. post Epiphaniam.

DIE XV. JANUARII.

In Festo S. Mauri, Abbatis.

DUPLEX MAJUS.

Omnia de Comm. Conf. non Pont.

Oratio. Intercéssio.

In j. Nocturno, Lectiones Beátus vir, *de eodem Comm. ij. loco.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv. propria ut in Breviario Romano, hac die.

Lectio v. Beáti *N.* dies, *et vj.* Quod si hic, *de eodem Comm. j. loco.*

In iij. Nocturno, Homilia in Evang. Ecce nos relíquimus, *de Comm. Abb. j. loco.*

DIE XVI. JANUARII.

In Festo SS. Quinque Mart. Marrochiensium.

DUPLEX I. CLASSIS.

Omnia ut in Codice Regni Portugalliæ, hac die.

DIE XX. JANUARII.

In Festo SS. Fabiani Papæ et Sebastiani, Mart.

DUPLEX MAJUS.

In Patriarchatu Goanensi.

Omnia ut in Breviario Romano, hac die.

In j. Nocturno, Lectiones Fratres: Debitóres, *de Comm. plur. Mart. j. loco.*

DOM. III. POST EPIPHAN.

In Octava SS. Nominis Jesu.

DUPLEX.

In Diœcesi Damaensi.

Omnia ut in Festo SS. Nominis Jesu.

In j. Nocturno, Lectiones de Dñica occurrente.

Lectio ix. et com. Dñicæ iij. post Epiphaniam.

Digitized by Google

DIE XXIII. JANUARII.

In Festo Desponsationis B. M. V. cum S. Joseph.

DUPLEX MAJUS.

Omnia ut in Appendice Breviarii, hac die.

Lectio ix. et com. S. Emerentianæ, Virg. et Mart. ut in Breviario Romano, hac die.

DIE VI. FEBRUARII.

In Festo SS. Quinque Vulnerum D. N. J. C.

DUPLEX 2. CLASSIS.

Omnia ut in Codice Regni Portugalliæ pro Feria vj. post Cineres.

Lectio ix. et com. S. Dorotheæ, Virg. et Mart. ut in Breviario Romano hac die.

DIE IX. FEBRUARII.

In Festo S. Apolloniæ, Virg. et Martyris.

SEMIDUPLEX.

Omnia de Comm. Virg.

Oratio. Deus, qui inter cétera.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv. propria ut in Breviario Romano, hac die.

Lectio v. Quóniam hódie, *et vj.* Hæc nubes, áera, *de Comm. Virg. j. loco.*

In iij. Nocturno, Homilia in Evang. Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus. *de eodem Comm. j. loco.*

DIE XI. FEBRUARII.

In Festo S. Pauli primi Eremitæ, Conf.

DUPLEX.

Omnia ut in Breviario Romano, die xv. Januarii.

Lectio ix. Quod est fastígium, *ut in festo S. Mathiæ, die xxiv. hujus.*

DIE XII. FEBRUARII.

In Festo S. Marcelli Papæ et Martyris.

SEMIDUPLEX.

Omnia ut in Breviario Romano, die xvj. Januarii.

℟. viij. Prævenísti.

DIE XIII. FEBRUARII.

In Festo S. Titi Episc. et Confessoris.

DUPLEX.

Omnia ut in Breviario Romano, die vj. hujus.

DIE XIV. FEBRUARII.

In Festo S. Angelæ Mericiæ Virginis.

DUPLEX.

Omnia de Comm. Virg. præter sequentia.

ORATIO.

DEUS, qui novum per beátam Angelam sacrárum Vírginum collégium in Eccléstia tua floréscere voluísti: da nobis, ejus intercessióne, angélicis móribus vívere; ut terrénis ómnibus abdicátis, gáudiis pérfrui mereámur ætérnis. Per Dóminum nostrum.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadrag. De virgínibus, *de Communi.*

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

ANGELA Merícia Decentiáni, Veronénsis Diœcésis óppido ad Lacum Benácum in ditióne Véneta,

Digitized by Google

piis orta paréntibus,a prima ætáte, virginitátis lílium, quod perpétuo serváre statúerat, sédula sepsit. Ab omni muliébri ornátu abhórrens, egrégiam vultus formam, pulchrámque cæsáriem studióse fœdávit, ut cœlésti dumtáxat animárum Spónso placéret.In ipso autem adolescéntiæ flore paréntibus orbáta, austerióris vitæ desidério, in desértum locum aufúgere tentávit; sed ab avúnculo prohíbita, novit præstáre domi, quod in solitúdine non lícuit. Cilício ac flagéllis frequénter usa,carnem nonnísi infírma valetúdine, vinum in Natividtis et Resurrectiónis Domínicæ tantum celebritáte, complúres vero dies nihil omníno degustávit. Oratióni dédita brevíssimum humi carpébat somnum; dæmonem vero, sub lucéntis Angeli forma sibi illúdere conántem, agnóvit prótinus, et conjécit in fugam. Tandem patérnis bonis abdicátis, et hábitum ac régulam Tértii Ordinis sancti Francísci ampléxa, evangélicam paupertátem virginitátis laudi conjúnxit.

℟. Propter veritátem.

LECTIO V.

NULLUM pietátis offícium erga próximos omíttens, paupéribus quidquid sibi ex emendicáto victu superésset, largiebátur: libénter ministrábat ægrótis, plúraque cum magna sanctitátis fama peragrávit loca, ut vel solátio esset afflíctis, vel reis véniam impetráret, vel infénsos ínvicem reconciliáret ánimos, vel e vitiórum cœno sceléstos revocáret. Angelórum pane, quem únice esuriébat, frequentíssime refécta, tanta charitátis vi ferebátur in Deum, ut sæpius extra sensus raperétur. Sacra Palestínæ loca summa cum religióne obívit; quo in itínere et visum quem ad Cydónias appúlsa oras amíserat, eódem regréssa recuperávit, et barbarórum captivitátem,ac naufrágium ímminens divínitus evásit. Romam dénique firmam Ecclésiæ petram veneratúra, et amplíssimæ Jubilæi véniæ percúpida, sedénte Cleménte Séptimo, accéssit: quam Summus Póntifex allocútus, ejúsdem sanctimóniam suspéxit,et commendávit summópere; nec ab Urbe ipsam abíre ante permísit, quam álio cœlitus vocátam agnóvit.

℟. Dilexísti justítiam.

LECTIO VI.

BRIXIAM ítaque, ubi domum ad Sanctæ Aphræ templum condúxit, revérsa, novam ibi vírginum Societátem, sicut cœlésti voce ac visióne mandátum sibi fúerat,sub certa disciplína, sanctísque vivéndi régulis constítuit, quam sanctæ Ursulæ, invíctæ vírginum ducis, pa-

Digitized by Google

trocínio ac nómine insignívit : eam vero perénnem futúram morti próxima prædíxit. Tandem prope septuagenária dives méritis evolávit in cœlum, sexto Kaléndas Februárii anni millésimi quingentésimi et quadragésimi. Cujus cadáver per ipsos trigínta dies inhumátum, flexíbile,ac vivo simíllimum perseverávit.Demum in sanctæ Aphræ templo inter céteras, quibus illud abúndat, Sanctórum Relíquias repósito, plúrima ad ejus sepúlchrum agi statim cœpére mirácula : quorum fama late diffúsa, non Bríxiæ modo et Decentiáni, sed álibi étiam vulgo cœpit nuncupári Beáta ejúsque imágo aris impóni ; imo sanctus ipse Cárolus Borromæus non multis post annis dignam, quæ ab Apostólica Sede in sanctárum Vírginum album referrétur, Bríxiæ palam asséruit. Cultum vero illi jámdiu a pópulis exhíbitum, et tum locórum Ordináriis probátum, tum plúribus étiam Summórum Pontíficum Indúltis munítum, Clemens Papa Décimus tértius solémni Decréto ratum hábuit, ac confirmávit. Eam tandem, novis miráculis rite probátis insígnem,Pius Papa Séptimus, solémni Canonizatióne in Vaticána Basílica perácta,die vigésima quarta Maji, anno millésimo octingentésimo séptimo, sanctárum Vírginum catálogo adscrípsit.

℟. Afferéntur Regi.

In iij. Nocturno Homilia in Evang. Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, *de eodem Communi j. loco.*

Lectio ix. et com. S. Valentini, Presb. et Mart.

DIE XV. FEBRUARII.

In Festo SS. Viginti sex Mart. Japonen.

DUPLEX.

Omnia ut in Appendice Breviarii, die v. hujus.

In ij. Nocturno, Lectiones Remotíssimæ Japóniæ regióni, *ut ibidem.*

Lectio ix. et com. SS. Faustini et Jovitæ Mart.

DIE XVI. FEBRUARII.

In Festo S. Raymundi de Pennafort, Conf.

SEMIDUPLEX.

Omnia ut in Breviario Romano, die xxiij. Januarii.

DIE I. MARTII.

In Festo B. Joannis de Brito Mart. S. J.

DUPLEX.

Omnia de Communi unius Mart. præter sequentia.

ORATIO.

DEUS,qui ad fidem Cathólicam apud Indos propagándam beátum Joánnem Mártyrem tuum invícta constántia roborásti : ipsíus méritis et intercessióne concéde ; ut qui triúmphi ejus memóriam recólimus , étiam fídei exémpla imitémur.Per Dóminum nostrum.

Digitized by Google

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadrag., Fratres, Debitóres, *de Communi.*

IN II. NOCTURNO.

LECTIO iv.

JOANNES de Brito paréntibus nobilitáte appríme conspícuis Olisippóne in Lusitánia natus est. Honorários inter ephébos Petri príncipis, qui totíus Lusitániæ rex hoc nómine Secúndus paulo post est salutátus, ineúntem ætátem transégit. Intra régiam domum, quæ corruptelárum omnis géneris illécebris illum fácile irretíre potuísset, innocéntem ádeo vitam tradúxit,ut ómine futúri non vano, Sancti et Mártyris nomen sibi fúerit proméritus.Paréntes de gravi púeri valetúdine omníno ánxii, uti illum inter mortáles diútius servárent, sancto Francísco Xavério dedidérunt. Hinc ipse, qui aliúnde Xavérii vestígiis insístere exoptábat,se de Xavérii Societáte esse, et ut primum per ætátem lícuit, Societátem inire : Indos ac speciátim sacram Madurénsem expeditiónem appétere cœpit, ac tandem impetrávit.

℟. Honéstum fecit.

LECTIO v.

MADURAM ut venit, christiánam religiónem per quinque ea regna, qua expedítio tota exténditur, magno ánimi ardóre propagándam suscépit. Quo in ópere vix credíbile est,quot quantásque ærúmnas lætus devoráverit.Oléribus parce víctitans, vino, cárnibus, píscibus omníno abstínuit. Ultro citróque cursans, longíssima itínera sub ardénti sole et nudis sæpe pédibus obívit, ómnium rerum inópiæ, barbarórum insectatiónibus, piratárum insídiis,plurimísque áliis vitæ perículis continénter obnóxius.Annis quatuórdecim per hos labóres insígni animárum fructu exáctis, ad necem quæsítus, in cárcerem conjícitur : hinc fústibus concísus, per tríbulos et saxa raptátus, aliísque supplíciis, et exílio mulctátus, míttitur in Európam ad res missiónis procurándas. Simul tamen ac munus suum implévit, íllico in Indiam rédiit, invíto ádmodum rege Lusitániæ, qui eum fílio regni hæredi moderatórem et magístrum destináverat.

℟. Desidérium ánimæ.

LECTIO VI.

APPULSUS íterum ad Marávæ regnum, Madurénsi vicínum et vectigále, duódecim míllia ethnicórum diébus decem sacro fonte lustrávit. In iis, quum Dynástes,qui nomen Christo dare cupiébat, uxóres álias dimisísset præter illam, quam olim primam dúxerat, eárum una regem Marávæ,cujus neptis erat, ac Brachmánes in odiósum castitátis præcónem stimulávit. Com-

Digitized by Google

prehénsus qua prædíxerat die, quum ratiónem divínæ legis apostólica libertáte regi reddidísset, contuméliis primum et verbéribus affectus, deínde jugulátus et obtruncátus, demum mánibus pedibúsque abscíssis, præálto stípiti suffíxus, prídie Nonas Februárii, anno millésimo sexcentésimo nonagésimo tértio, ætátis quinto et quadragésimo, fortissimórum Mártyrum númerum auxit. Post óbitum multa patrávit signa, quibus una cum martyrio rite probátis, ex auctoritáte Pii Noni Pontíficis Máximi cœlitum Beatórum honóres est adsecútus.

℟. Stola jucunditátis.

In iij. Nocturno Homilia in Evang., Nihil est opértum, *de Comm. Mart. iij. loco.*

OFFICIUM VOTIVUM.

Quod non dicitur in diebus impeditis a Festo novem Lectionum occurrente, vel translato, nec in Feriis Adventus, Quadragesimæ, Vigiliarum et Dñicæ anticipandæ.

SEMEL IN MENSE

Juxta superiorem Rubricam.

OFFICIUM VOTIVUM

S. FRANCISCI XAVERII, CONFESSORIS.

Patroni Civitatis, ac Diœcesis Goanensis et Indiarum Orientalium.

(Ex Indult. Clementis XIII, 14 Februarii 1759.)

SEMIDUPLEX.

Omnia ut in Festo, die iij. Decembris. Sed in Hymno mutatur tertius versus, et Lectiones j. Nocturni de Scriptura occurrente.

COMMEMORATIONES

DE PATRONO VEL TITULARI

Inter suffragia Sanctorum adjiciendæ.

Prænotanda circa suffragia Sanctorum.

Ańa, ℣℣. et Orationes, nisi aliter notetur, dicuntur in secundis Vesp. et Laud. diei Festi, ex Proprio vel Communi: variantur vero, si coincidant cum similibus in eodem Officio.

Suffragium Patroni vel Titularis omittitur, cum de eo dicitur Officium; ne de eodem bis fiat.

Item Suffragium Titularis Ecclesiæ (etsi Cathedralis vel Collegiatæ) fit ab ejusdem Parocho, Canonicis, et Beneficiatis, vel eius Choro adstrictis tantum: ceteri vero, licet sint ejusdem Ecclesiæ

Digitized by Google

vel Parochiæ, debent eam facere de Patrono principali Diœcesis, ubi non adest proprius loci Patronus, quia tunc de isto et non de illo facienda est.

Item Suffragium B. M. omittitur, cum prædictum sit commune Sancta María succúrre, *etc. In omnibus Ecclesiis SS. Salvatori dicatis Suffragium sumi debet ex officio diei Festi Transfigurationis, nisi adsit speciale Sanctæ Sedis Indultum.*

Pro Diœcesi Patriarchali Goanensi.

DE S. FRANCISCO
XAVERIO, PATRONO INDIÆ.
AD VESPERAS.

Ańa. Hic vir despíciens mundum, et terréna, triúmphans, divítias cœlo cóndidit, ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

AD LAUDES.

Ańa. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Orémus.

DEUS, qui Indiárum gentes beáti Francísci prædicatióne et miráculis Ecclésiæ tuæ aggregári voluísti : concépe propítius, ut cujus gloriósa mérita venerámur, virtútum quoque imitémur exémpla.

In sola Eccl. Cathedr. Primatiali et Patriarchali.

DE S. CATHARINA,
VIRG. MART. TITUL.
AD VESPERAS.

Ańa. O Magna, et singuláris Patróna jam de tua immortalitáte secúra, adhuc esto de nostra salúte solícita: eménsa illa, in qua cum Sponso epuláris, cadant nobis micæ intercessiónis tuæ, et habeámus per te, quod méritis nostris cónsequi non valémus.

AD LAUDES.

Ańa. Beáta Catharína orábat dicens : Dómine Jesu Christe, Deus meus, ago tibi grátias, quod statuísti supra petram pedes meos, et direxísti gressus meos : nunc exténde palmas, quæ pro me in Cruce fuérunt sauciátæ, et súscipe ánimam, quam sacrificávi pro te, et tua confessióne.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Orémus.

DEUS, qui dedísti legem Móysi in summitáte montis Sínai, et in eódem loco per Sanctos Angelos tuos corpus Beátæ Catharínæ Vírginis, et Mártyris tuæ mirabíliter collocásti : præsta, quæsumus, ut ejus méritis et intercessióne ad montem, qui Christus est, pervenire valeámus.

Digitized by Google

Pro Diœcesi Cochinensi.
In sola Eccl. Cathedr.
DE S. CRUCE TITULARI.
Fit suffragium ordinarium S. Crucis.
Pro Diœcesi Meliaporensi.
In sola Eccl. Cathedr. Civ. et Suburb.
DE S. THOMA, APOST.
TITUL. ECCL. CATHEDR. ET PATRONO CIVIT.
AD VESP. ET LAUD.

Aña. Quia vidísti me, Thoma, credidísti : beáti qui non vidérunt, et credidérunt.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Orémus.

DA nobis quæsumus, Dómine, beáti Apóstoli tui Thomæ, commemoratióne gloriári : ut ejus semper et patrocínio sublevémur, et fidem cóngrua devotióne sectémur.

COMMEMORATIONES
COMMUNES,
SIVE SUFFRAGIA SANCTORUM
Pro Diœcesi Damanensi, cum Titulo Archiepiscopali Cranganorensi.
DE CRUCE.
In Feriali Officio etiam quando non dicuntur Preces.
AD VESPERAS ET LAUDES.

Aña. Per signum Crucis de inimícis nostris líbera nos, Deus noster.

℣. Omnis terra adóret te, et psallat tibi. ℟. Psalmum dicat nómini tuo, Dómine.

Orémus. ORATIO.

PERPETUA nos, quæsumus Dómine, pace custódi : quos per lignum sanctæ Crucis redímere dignátus es.

Tempore autem Paschali, a Feria ij. post Dominicam in Albis usque ad Ascensionem, tam in Officio de Tempore, quam de Sanctis, nisi sit Duplex, aut infra Octavas, fit sequens.
AD VESPERAS.

Aña. Crucem sanctam súbiit, qui inférnum confrégit, accínctus est poténtia : surréxit die tértia, allelúia.
AD LAUDES.

Aña. Crucifíxus surréxit a mórtuis, et redémit nos, allelúia, allelúia.

℣. Dícite in natiónibus, allelúia. ℟. Quia Dóminus regnávit a ligno, allelúia.

Orémus. ORATIO.

DEUS, qui pro nobis Fílium tuum crucis patíbulum subíre voluísti,ut inimíci a nobis expélleres potestátem : concéde nobis fámulis tuis ; ut resurrectiónis grátiam consequámur. Per eúmdem Dóminum.

DE TITULARI ECCLESIÆ CATHEDRALIS DIŒCESIS DAMANENSIS.
In hac Ecclesia tantum.
AD VESPERAS.

Aña. Vocábis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum fáciet pópulum suum a peccátis eórum allelúia.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum, allelúia. ℟. Ex hoc

Digitized by Google

nunc, et usque in sæculum, allelúia.

AD LAUDES.

Ańa. Dedit se, ut liberáret pópulum, et acquíreret sibi nomen ætérnum, allelúia.

℣. Ajutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cœlum et terram.

Orémus. ORATIO.

DEUS, qui unigénitum Fílium tuum constituísti humáni géneris Salvatórem, et Jesum vocári jussísti : concéde propítius ; ut, cujus sanctum Nomen venerámur in terris, ejus quoque aspéctu perfruámur in cœlis.

Pro tota Diœcesi.

DE PATRONA.

AD VESPERAS.

Ańa. O homo, réspice pietátis óculis Fílii mei sudórem, sánguinem, alapárum contuméliam, flagellórum durítiam, corónam spíneam, crucis suspéndium, óculos languéntes, acetósa pócula, caput inclinátum, et mortis supplícium.

℣. Secúndum multitúdinem dolórum meórum in corde meo. ℟. Consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

AD LAUDES.

Ańa. Tamquam latro cápitur úndeque constrictus, cæditur, conspúitur, álapis, afflíctus.

O Matris angústiæ, cum audíret ictus ; pro nobis hæc tólerans sit Rex benedíctus.

℣. Lavábo per síngulas noctes lectum meum. ℟. Lácrymis meis stratum meum rigábo.

Orémus. ORATIO.

DOMINE Jesu Christe, cujus acerbíssimæ Passiónis gládius pissímæ Matris tuæ ánimam sic penetrávit, quod eam plusquam mártyrem fecit : tríbue, quæsumus ; ita nos dolórum ejus in terris memóriam ágere, ut ad contemplánda illíus gáudia in cœlis mereámur pervenire.

DE SANCTO JOSEPH,

SPONSO B. M. V.

AD VESPERAS.

Ańa. Ecce fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam.

℣. Glória et divítiæ in domo ejus. ℟. Et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

AD LAUDES.

Ańa. Ipse Jesus erat incípiens quasi annórum trigínta ut putabátur fílius Joseph.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Orémus. ORATIO.

DEUS, qui ineffábili providéntia beátum Joseph sanctíssimæ Genitrícis tuæ sponsum elígere dignátus es : præsta quæsumus ; ut, quem protectórem venerámur in terris, intercessórem habére mereámur in cœlis.

DE APOSTOLIS.

AD VESPERAS.

Ańa. Petrus Apóstolus, et Paulus Doctor géntium, ipsi

Digitized by Google

nos docuérunt legem tuam Dómine.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

AD LAUDES.

Aña. Gloriósi príncipes terræ quómodo in vita sua dilexérunt se,ita et in morte non sunt separáti.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Orémus. ORATIO.

DEUS, cujus déxtera beátum Petrum, ambulántem in flúctibus, ne mergerétur eréxit: et coapóstolum ejus Paulum tértio naufragántem de profúndo pélagi liberávit : exáudi nos propítius, et concéde ; ut ambórum méritis, æternitátis glóriam consequámur.

DE S. FRANCISCO XAVERIO, PATRONO INDIÆ

AD VESPERAS.

Aña. Hic vir despíciens mundum, et terréna, triúmphans, divítias cœlo cóndidit, ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

AD LAUDES.

Aña. Euge serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam,intra in gáudium Dómini tui.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Orémus. ORATIO.

DEUS, qui Indiárum Gentes beáti Francísci prædicatióne et miráculis Ecclésiæ tuæ aggregáre volufsti : concéde propítius ; ut cujus gloriósa mérita venerámur,virtútum quoque imitémur exémpla.

PRO S. ANTONIO PATRONO SEMINARII DAMANENSIS.

In Seminario tantum.

AD VESPERAS.

Aña. O lingua benedícta, quæ Dóminum semper benedixísti,et álios benedícere docuísti : nunc perspícue cérnitur quanti mériti fúeris apud Deum.

℣. Amávit eum Dóminus et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

AD LAUDES.

Aña. Favus distíllans lábia ejus : mel et lac sub lingua ejus.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Orémus. ORATIO.

ECCLESIAM tuam Deus,beáti Antónii Confessóris tui commemorátio votíva lætíficet : ut spirituálibus semper muniátur auxfliis,et gáudiis pérfrui mereátur ætérnis.

DE PATRONO, VEL TITULARI ECCLESIÆ

Fiat commemoratio consueta ante, vel post Commemorationes prædictas pro dignitate illius, et ultimo loco :

Digitized by Google

DE PACE.

AD VESPERAS, ET LAUDES.

Ant. Da pacem, Dómine, in diébus nostris, quia non est álius qui pugnet pro nobis nisi tu, Deus noster.

℣. Fiat pax in virtúte tua. ℟. Et abundántia in túrribus tuis.

Orémus. ORATIO.

DEUS, a quo sancta desidéria, recta consília, et justa sunt ópera : da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem ; ut et corda nostra mandátis tuis dédita, et hóstium subláta formídine, témpora sint tua protectióne tranquílla. Per Dóminum.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo. ℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias. ℣. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

Deinde dicitur secretò Pater noster.

Sic terminatur Officium, ubi alia non sequatur Hora.

Dictæ Commemorationes, seu Suffragia dicuntur ab Octava Pentecostes usque aa Adventum, et ab Octava Epiphaniæ usque ad Dñicam Passionis, exceptis Duplicibus, et infra Octavas.

Quando dicitur Officium Beatæ Mariæ Virginis non fit alia commemoratio de ea.

COMMEMORATIONES DIVERSÆ.

COMM. SS. CORDIS JESU

POST NONAM IN CHORO DICENDA.

Antiphona.

O ómnium pulchritúdine speciosíssime Jesu, ámplius lava me ab iniquitáte mea, et a peccáto meo munda me: ut purificátus per te puríssimum possim accédere, et in Corde tuo ómnibus diébus vitæ meæ mérear habitáre ; et ut vidére simul et fácere tuam váleam voluntátem.

℣. Díscite a me, quia mitis sum, et húmilis corde. ℟. Et inveniétis réquiem animábus vestris.

Orémus.

FAC nos, Dómine Jesu, Sanctíssimi Cordis tui virtútibus índui, et afféctibus inflammári : ut et imágini bonitátis tuæ confórmes, et tuæ Redemptiónis mereámur esse partícipes. Qui vivis, et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Antiphona.

Tota pulchra es María.
Tota pulchra es María.
Et mácula originális non est in te.
Et mácula originális non est in te.
Tu glória Jerúsalem.

Digitized by Google

Tu lætítia Israel.
Tu honorificéntia pópuli nostri.
Tu advocáta peccatórum.
O María.
O María.
Virgo prudentíssima.
Mater clementíssima.
Ora pro nobis.
Intercéde pro nobis ad Dóminum Jesum Christum.

℣. In Conceptióne tua Virgo immaculáta fuísti. ℟. Ora pro nobis Patrem cujus Fílium peperísti.

Orémus.

DEUS, qui per Immaculátam Vírginis conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti; quæsumus, ut qui ex morte ejúsdem Fílii tui prævísa, eam ab omni labe præservásti, nos quoque mundos ejus intercessióne ad te pervenire concédas. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

PRO FUGANDA PESTE.

Antiphona.

Stella cœli extirpávit, quæ lactávit Dóminum, mortis pestem, quam plantávit primus parens hóminum. Ipsa stella nunc dignétur sídera compéscere, quorum bella plebem cœdunt diræ mortis úlcere: O pissima stella maris, a peste succúrre nobis. Audi nos Dómina; nam Fílius tuus nihil negans te honórat. Salva nos Jesu, pro quibus Virgo Mater te orat.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus.

DEUS misericórdiæ, Deus pietátis, Deus indulgéntiæ, qui misértus es super afflictiónem pópuli tui, et dixísti Angelo percutiénti pópulum tuum: Cóntine manum tuam ob amórem illíus Stellæ gloriósæ, cujus úbera pretiósa contra venénum nostrórum delictórum, quam dúlciter suxísti: præsta auxílium grátiæ tuæ; ut ab omni peste, et improvísa morte secúre liberémur, et a totíus perditiónis incúrsu misericórditer salvémur. Per te Jesu Christe Rex glóriæ, Salvátor mundi, qui vivis, et regnas in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Imprimatur.

Mechliniæ, die 27 Martii 1890.

† PETRUS LAMBERTUS, CARD. GOOSSENS,
Archiepiscopus Mechlinien.

MECHLINIÆ, H. DESSAIN. — MDCCCXC.

Digitized by Google

OFFICIA SANCTORUM

NOVA ET PROPRIA,

A SUMMIS PONTIFICIBUS

APPROBATA ET CONCESSA

PRO DIŒCESI METROPOLITANA GOANENSI, ORIENTIS PRIMATIALI, AC INDIARUM ORIENTALIUM PATRIARCHALI

ET EJUS SUFFRAGANEIS DD. ARCHIEPISCOPALI AD HONOREM CRANGANORENSI AC EPISCOPALI DAMAENSI, COCHINENSI ET MELIAPORENSI ATQUE MOSSAMBICENSI PRÆLATIA.

Præter Officia ut in Codice Regni Portugal. Brasil. et Algarb. usque ad præsentem annum.

PARS VERNA.



MECHLINIÆ.
H. DESSAIN,
SUMMI PONTIFICIS, S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE ET ARCHIEPISCOPATUS MECHLINIENSIS TYPOGRAPHUS.
M. D. CCC. XC.

Digitized by Google

KALENDARIUM.

FESTA MARTII.

I. B. Joannis de Brito, Mart. S. J. *Duplex.*
XVIII. S. Gabrielis Archangeli. *Duplex majus.*
XXIV. Institutionis SS. Eucharistiæ Sacramenti. *Duplex 2. cl.*

FESTA APRILIS.

FERIA V. POST DOMINICAM IN ALBIS. SS. Corporis Christi *Duplex 1. cl.*
XXIII. S. Gregorii Mart. Defensoris Regni Portugalliæ. *Duplex majus.*

FESTA MAJI.

III. Inventionis S. Crucis Titularis Eccl. Cathedr. Cochinensis. *Duplex 1. cl. cum Octava.*
X. Octava Inventionis S. Crucis. *Duplex.*
XIII. S. Athanasii, Episc. Conf. et Eccl. Doct. *Duplex.*
XIV. S. Pii V. Papæ et Conf. *Duplex.*
XV. SS. Nerei, Achillei et Domitillæ, Virg, atque Pancratii, Mart. *Semiduplex.*
XVI. S. Joannis Nepomuceni, Mart. *Duplex.*
XXI. S. Ubaldi Episc. et Conf. *Semiduplex.*

Officium votivum S. Francisci Xaverii. *Semiduplex.*

Digitized by Google

PRO ARCHIDIŒCESI GOANENSI

ET DIŒCESIBUS SUFFRAGANEIS.

DIE I. MARTII.

In Festo B. Joannis de Brito Mart. S. J.

DUPLEX.

Omnia de Communi unius Mart. præter sequentia.

ORATIO.

DEUS, qui ad fidem Cathólicam apud Indos propagándam beátum Joánnem Mártyrem tuum invícta constántia roborásti : ipsíus méritis et intercessióne concéde ; ut qui triúmphi ejus memóriam recólimus, étiam fídei exémpla imitémur. Per Dóminum nostrum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadrag. Fratres, Debitóres, *de Communi.*

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

JOANNES de Brito parentibus nobilitáte appríme conspícuis Olisippóne in Lusitánia natus est. Honorários inter ephébos Petri príncipis, qui totíus Lusitániæ rex hoc nómine Secúndus paulo post est salutátus, ineúntem ætátem transégit. Intra régiam domum, quæ corruptelárum omnis géneris illécebris illum fácile irretíre potuísset, innocéntem ádeo vitam tradúxit, ut ómine futúri non vano, Sancti et Mártyris nomen sibi fúerit promériturus. Paréntes de gravi púeri valetúdine omníno ánxii, uti illum inter mortáles diútius servárent, sancto Francísco Xavério dedidérunt. Hinc ipse, qui aliúnde Xavérii vestígiis insístere exoptábat, se de Xavérii Societáte esse, et ut primum per ætátem lícuit, Societátem ínire : Indos ac speciátim sacram Madurénsem expeditiónem appétere cœpit, ac tandem impetrávit.

℟. Honéstum fecit.

LECTIO V.

MADURAM ut venit, christiánam religiónem per quinque ea regna, qua expedítio tota exténditur, magno ánimi ardóre propagándam suscépit. Quo in ópere vix credíbile est, quot quantásque ærúmnas lætus devoráverit. Oléribus parce víctitans, vino, cárnibus, píscibus omníno abstínuit. Ultro citróque cursans, longíssima itínera sub ardénti sole et nudis sæpe pédibus obívit, ómnium rerum inópiæ, barbarórum insectatiónibus, piratárum insídiis, plurimísque áliis vitæ perículis continénter obnóxius. Annis quatuórdecim per hos labóres insígni animárum fructu exáctis, ad necem quæsítus, in cárcerem conjícitur : hinc

Digitized by Google

fústibus concísus, per trſbulos et saxa raptátus, aliísque supplíciis, et exílio mulctátus, míttitur in Európam ad res missiónis procurándas. Simul tamen ac munus suum implévit, íllico in Indiam rédiit, invíto ádmodum rege Lusitániæ, qui eum fílio regni hærédi moderatórem et magístrum destináverat.

℟. Desidérium ánimæ.

LECTIO vj.

APPULSUS íterum ad Marávæ regnum, Madurénsi vicínum et vectigále, duódecim míllia ethnicórum diébus decem sacro fonte lustrávit. In iis, quum Dynástes, qui nomen Christo dare cupiébat, uxóres álias dimisísset præter illam, quam olim primam dúxerat, eárum una regem Marávæ, cujus neptis erat, ac Brachmánes in odiósum castitátis præcónem stimulávit. Comprehénsus qua prædíxerat die, quum ratiónem divínæ legis apostólica libertáte regi reddidísset, contuméliis primum et verbéribus affécius, deínde jugulátus et obtruncátus, demum mánibus pedibúsque abscíssis, præálto stípiti suffíxus, prídie Nonas Februárii, anno millésimo sexcentésimo nonagésimo tértio, ætátis quinto et quadragésimo, fortissimórum Mártyrum númerum auxit. Post óbitum multa patrávit signa, quibus una cum martyrio rite probátis, ex auctoritáte Pii Noni Pontíficis Máximi cœlitum Beatórum honóres est adsecútus.

℟. Stola jucunditátis.

In iij. Nocturno Homilia in Evang., Nihil est opértum, *de Comm. Mart. iij. loco.*

DIE XVIII. MARTII.

In Festo S. Gabrielis Archangeli.

DUPLEX MAJUS.

Si celebretur in Quadrag. fit comm. et dicitur nona Lectio de Feria occurrente.

Si vero celebretur post Pascha, additur Allelúia, *et Psalmi Nocturnorum dicuntur sub prima Ańa illius Nocturni.*

Omnia ut in Appendice Breviarii.

DIE XXIV. MARTII.

In Festo Institutionis SS. Eucharistiæ Sacramenti.

DUPLEX 2. CLASSIS.

Si hoc Festum inciderit in Majorem Hebdomadam, transferendum erit in Feriam v. post Dñicam in Albis, tamquam in diem propriam. Ex Decreto Pii Papæ sexti, 4. Augusti 1783. Et tunc omnino fit more Pasch.

IN I. VESPERIS.

Ańa. Sacérdos in ætérnum * Christus Dóminus secúndum órdinem Melchísedech, panem et vinum óbtulit.

PSALMUS 109.

DIXIT Dóminus Dómino meo: * Sede a dextris meis:

Donec ponam inimícos

Digitized by Google

tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion : * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus Sanctórum, * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum : * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas : * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet : * proptérea exaltábit caput.

Ana. Sacérdos in ætérnum Christus Dóminus secúndum órdinem Melchísedech, panem et vinum óbtulit.

Ana. Miserátor Dóminus * escam dedit timéntibus se in memóriam suórum mirabílium.

Psalmus 110.

Confitebor tibi, Dómine, in toto corde meo : * in consílio justórum, et congregatióne.

Magna ópera Dómini : * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio et magnificéntia opus ejus : * et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, miséricors et miserátor Dóminus : * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui : * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo :

Ut det illis hereditátem Géntium : * ópera mánuum ejus véritas, et judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus : confirmáta in sæculum sæculi, * facta in veritáte et æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo : * mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Sanctum, et terríbile nomen ejus : * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum : * laudátio ejus manet in sæculum sæculi.

Ana. Miserátor Dóminus escam dedit timéntibus se in memóriam suórum mirabílium.

Ana. Cálicem salutáris * accípiam, et sacrificábo hóstiam laudis.

Psalmus 115.

Credidi, propter quod locútus sum : * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo : * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino * pro ómnibus, quæ retríbuit mihi ?

Cálicem salutáris accípiam : * et nomen Dómini invocábo.

Digitized by Google

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus : * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus.

O Dómine, quia ego servus tuus : * ego servus tuus, et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea : * tibi sacrificábo hóstiam laudis : et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus : * in átriis domus Dómini, in médio tui Jerúsalem.

Aña. Cálicem salutáris accípiam, et sacrificábo hóstiam laudis.

Aña. Sicut novéllæ olivárum, * Ecclésiæ fílii sint in circúitu mensæ Dómini.

PSALMUS 127.

BEATI omnes, qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis : * beátus es, et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abúndans, * in latéribus domus tuæ.

Fílii tui sicut novéllæ olivárum, * in circúitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicétur homo, * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion : * et vídeas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ.

Et vídeas fílios filiórum tuórum,* pacem super Israel.

Aña. Sicut novéllæ olivárum, Ecclésiæ fílii sint in circúitu mensæ Dómini.

Aña. Qui pacem * ponit fines Ecclésiæ, fruménti ádipe sátiat nos Dóminus.

PSALMUS 147.

LAUDA Jerúsalem Dóminum : * lauda Deum tuum Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum : * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem : * et ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ : * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam : * nébulam sicut cínerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas : * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit ?

Emíttet verbum suum, et liquefáciet ea : * flabit spíritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob : * justítias et judícia sua Israel.

Non fecit táliter omni natióni : * et judícia sua non manifestávit eis.

Aña. Qui pacem ponit fines Ecclésiæ, fruménti adipe sátiat nos Dóminus.

CAPITULUM. 1. *Cor.* 11. *c.*

FRATRES : Ego enim accépi a Dómino quod et trádidi vobis, quóniam Dóminus Jesus in qua nocte tradebátur, accépit panem,

Digitized by Google

et grátias agens fregit et dixit: Accípite,et manducáte: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur; hoc fácite in meam commemoratiónem.

HYMNUS.

PANGE, lingua, gloriósi
Córporis mystérium,
Sanguinísque pretiósi,
Quem in mundi prétium
Fructus ventris generósi
Rex effúdit géntium.

Nobis datus, nobis natus
Ex intácta Vírgine,
Et in mundo conversátus,
Sparso verbi sémine,
Sui moras incolátus
Miro clausit órdine.

In suprémæ nocte cœnæ
Recúmbens cum frátribus,
Observáta lege plene
Cibis in legálibus,
Cibum turbæ duodénæ
Se dat suis mánibus.

Verbum caro, panem verum
Verbo carnem éfficit:
Fitque sanguis Christi merum,
Et si sensus déficit:
Ad firmándum cor sincérum
Sola fides súfficit.

Tantum ergo Sacraméntum
Venerémur cérnui:
Et antíquum documéntum
Novo cedat rítui:
Præstet fides suppleméntum
Sénsuum defectui.

Genitóri, Genitóque
Laus et jubilátio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedíctio,
Procedénti ab utróque
Compar sit laudátio. Amen.

℣. Panem de cœlo præstitísti eis, allelúia. ℟. Omne delectaméntum in se habéntem, allelúia.

Ad Magnificat, Ana. O quam * suávis est, Dómine, Spíritus tuus! qui ut dulcédinem tuam in fílios demonstráres,pane suavíssimo de cœlo præstito, esuriéntes reples bonis, fastidiósos dívites dimíttens inánes.

Oratio ut ad Laudes.

Ad Completorium et per Horas in fine Hymnorum dicitur:

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine.

Et similiter per totam Octavam.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Christum Regem adorémus dominántem Géntibus: * Qui se manducántibus dat spíritus pinguédinem. ℣. Venite exsultémus.

HYMNUS.

SACRIS solémniis juncta sint gáudia,
Et ex præcórdiis sonent præcónia;
Recédant vétera, nova sint ómnia.

Corda, voces, et ópera.
Noctis recólitur cœna novíssima,
Qua Christus créditur agnum et ázyma
Dedísse frátribus, juxta legítima

Priscis indúlta pátribus.

Digitized by Google

Post agnum typicum, explétis épulis,
Corpus Domínicum datum discípulis,
Sic totum ómnibus,quod totum síngulis,
Ejus fatémur mánibus.
Dedit fragílibus córporis férculum,
Dedit et trístibus sánguinis póculum,
Dicens: Accípite quod trado vásculum,
Omnes ex eo bíbite.
Sic sacrifícium istud instítuit,
Cujus offícium commítti vóluit
Solis Presbyteris, quibus sic cóngruit,
Ut sumant, et dent cæteris.
Panis angélicus fit panis hóminum :
Dat panis cœlicus figúris términum :
O res mirábilis, mandúcat Dóminum
Pauper, servus, et húmilis.
Te trina Déitas únaque póscimus,
Sic nos tu vísita, sicut te cólimus :
Per tuas sémitas duc nos quo téndimus,
Ad lucem, quam inhábitas.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ańa. Fructum salutíferum * gustándum dedit Dóminus mortis suæ témpore.

PSALMUS 1.

BEATUS vir, qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestiléntiæ non sedit :

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo :

Et fólium ejus non défluet : * et ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic, * sed tamquam pulvis : quem prójicit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpii in judício : * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum : * et iter impiórum períbit.

Ańa. Fructum salutíferum gustándum dedit Dóminus mortis suæ témpore.

Ańa. A fructu * fruménti et vini multiplicáti fidéles in pace Christi requiéscunt.

PSALMUS 4.

CUM invocárem, exaudívit me Deus justítiæ meæ : * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum úsquequo gravi corde ? * ut quid dilígitis vanitátem, et quæritis mendácium ?

Et scitóte quóniam miri-

Digitized by Google

ficávit Dóminus sanctum suum : * Dóminus exáudiet me, cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre : * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ,et speráte in Dómino. * Multi dicunt : Quis osténdit nobis bona ?

Signátum est super nos lumen vultus tui, Dómine : * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam, et requiéscam :

Quóniam tu, Dómine, singuláriter in spe * constituísti me.

Ańa. A fructu fruménti et vini multiplicáti fidéles in pace Christi requiéscunt.

*Ańa.*Communióne cálicis, * quo Deus ipse súmitur,non vitulórum sánguine, congregávit Dóminus.

PSALMUS 15.

CONSERVA me, Dómine, quóniam sperávi in te : * Dixi Dómino : Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges. .

Sanctis, qui sunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum : * póstea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus : * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hereditátis meæ et cálicis mei : * tu es, qui restítues hereditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris : * étenim heréditas mea præclára est mihi.

Benedícam Dóminum,qui tríbuit mihi intelléctum : * ínsuper et usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper : * quóniam a dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum, et exsultávit lingua mea : * ínsuper et caro mea requiéscet in spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno : * nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecísti vias vitæ, adimplébis me lætítia cum vulto tuo : * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

Ańa. Communióne cálicis, quo Deus ipse súmitur, non vitulórum sánguine , congregávit nos Dóminus.

℣. Panem cœli dedit eis, allelúia. ℟. Panem Angelórum manducávit homo, allelúia.

De Epístola j. beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

LECTIO I. *Cap.* 11. *d.*

CONVENIENTIBUS vobis in unum, jam non est Domínicam cœnam manducáre. Unusquísque enim suam

2.

Digitized by Google

cœnam præsúmit ad manducándum. Et álius quidem ésurit, álius autem ébrius est. Numquid domos non habétis ad manducándum et bibéndum? aut Ecclésiam Dei contémnitis, et confúnditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? in hoc non laudo.

℟. Immolábit hædum multitúdo filiórum Israel ad vésperam Paschæ: * Et edent carnes, et ázymos panes. ℣. Pascha nostrum immolátus est Christus: ítaque epulémur in ázymis sinceritátis et veritátis. Et.

Lectio ii.

Ego enim accépi a Dómino quod et trádidi vobis, quóniam Dóminus Jesus in qua nocte tradebátur, accépit panem, et grátias agens fregit, et dixit: accípite, et manducáte: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur: hoc fácite in meam commemoratiónem. Simíliter et cálicem, postquam cœnávit, dicens: Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine. Hoc fácite, quotiescúmque bibétis, in meam commemoratiónem. Quotiescúmque enim manducábitis panem hunc, et cálicem bibétis, mortem Dómini annuntiábitis donec véniat.

℟. Comedétis carnes, et saturabímini pánibus: * Iste est panis, quem dedit vobis Dóminus ad vescéndum. ℣. Non Móyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Iste.

Lectio iii.

Itaque quicúmque manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indígne: reus erit córporis et sánguinis Dómini. Probet autem seípsum homo: et sic de pane illo edat, et de cálice bibat. Qui enim manducat et bibit indígne, judícium sibi manducat et bibit, non dijúdicans corpus Dómini. Ideo inter vos multi infírmi et imbecílles, et dórmiunt multi. Quod si nosmetípsos dijudicarémus, non útique judicarémur. Dum judicámur autem, a Dómino corrípimur, ut non cum hoc mundo damnémur.

℟. Respéxit Elías ad caput suum subcinerícium panem, qui surgens comédit et bibit: * Et ambulávit in fortitúdine cibi illíus usque ad montem Dei. ℣. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. Et. Glória Patri. Et.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Memor sit Dóminus * sacrifícii nostri, et holocáustum nostrum pingue fiat.

Psalmus 19.

Exaudiat te Dóminus in die tribulatiónis: * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de sancto: * et de Sion tueátur te.

Memor sit omnis sacrifícii

Digitized by Google

tui : * et holocáustum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi secúndum cor tuum : * et omne consílium tuum confírmet.

Lætábimur in salutári tuo : * et in nómine Dei nostri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas : * nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dóminus Christum suum.

Exáudiet illum de cœlo sancto suo : * in potentátibus salus déxteræ ejus.

Hi in cúrribus, et hi in equis : * nos autem in nómine Dómini Dei nostri invocábimus.

Ipsi obligáti sunt, et cecidérunt : * nos autem surréximus, et erécti sumus.

Dómine, salvum fac regem : * et exáudi nos in die, qua invocavérimus te.

Añ. Memor sit Dóminus sacrifícii nostri, et holocáustum nostrum pingue fiat.

Añ. Parátur * nobis mensa Dómini advérsus omnes qui tríbulant nos.

PSALMUS 22.

DOMINUS regit me, et nihil mihi déerit, * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me : * ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas justítiæ, * propter nomen suum.

Nam et si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala : * quóniam tu mecum es.

Virga tua, et báculus tuus : * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam * advérsus eos, qui tríbulant me.

Impinguásti in óleo caput meum : * et calix meus inébrians quam præclárus est.

Et misericórdia tua subsequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ.

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

Añ. Parátur nobis mensa Dómini advérsus omnes qui tríbulant nos.

Añ. In voce exsultatiónis * résonent epulántes in mensa Dómini.

PSALMUS 41.

QUEMADMODUM desíderat cervus ad fontes aquárum : * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum : * quando véniam, et apparébo ante fáciem Dei ?

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte : * dum dícitur mihi quotídie : Ubi est Deus tuus ?

Hæc recordátus sum, et effúdi in me ánimam meam : * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei.

In voce exsultatiónis, et confessiónis : * sonus epulántis.

Quare tristis es ánima

Digitized by Google

mea ? * et quare contúrbas me ?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Ad meípsum ánima mea conturbáta est : * proptérea memor ero tui de terra Jordánis et Hermóniim a monte módico.

Abyssus abyssum ínvocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua, et fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam : * et nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ, * dicam Deo : Suscéptor meus es.

Quare oblítus es mei ? * et quare contristátus incédo dum afflígit me inimícus ?

Dum confringúntur ossa mea ; * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei :

Dum dicunt mihi per síngulos dies : Ubi est Deus tuus ? * quare tristis es ánima mea ? et quare contúrbas me ?

Spera in Deo quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Ant. In voce exsultatiónis résonent epulántes in mensa Dómini.

℣. Cibávit illos ex ádipe fruménti, allelúia. ℟. Et de petra, melle saturávit eos, allelúia.

Sermo S. Thomæ Aquinátis.

Lectio iv. *In Opusc.* 57.

Immensa divínæ largitátis benefícia, exhíbita pópulo christiáno, inæstimábilem ei cónferunt dignitátem. Neque enim est, aut fuit aliquándo tam grandis nátio, quæ hábeat deos appropinquántes sibi, sicut adest nobis Deus noster. Unigénitus síquidem Dei Fílius, suæ divinitátis volens nos esse partícipes, natúram nostram assúmpsit, ut hómines deos fáceret, factus homo. Et hoc ínsuper, quod de nostro assúmpsit, totum nobis cóntulit ad salútem. Corpus namque suum pro nostra reconciliatióne in ara crucis hóstiam óbtulit Deo Patri : sánguinem suum fudit in prétium simul et lavácrum : ut redémpti a miserábili servitúte, a peccátis ómnibus mundarémur. Ut autem tanti benefícii jugis in nobis manéret memória, corpus suum in cibum, et sánguinem suum in potum, sub spécie panis et vini suméndum, fidélibus derelíquit.

℟. Cœnántibus illis accépit Jesus panem, et benedíxit, ac fregit, dedítque discípulis suis, et ait : * Accípite, et comédite : hoc est corpus meum. ℣. Dixérunt viri tabernáculi mei : Quis det de cárnibus ejus, ut saturémur ? Accípite.

Digitized by Google

LECTIO V.

O PRETIOSUM et admirándum convívium, salutíferum, et omni suavitáte replétum! Quid enim hoc convívio pretiósius esse potest? in quo non carnes vitulórum et hircórum, ut olim in lege, sed nobis Christus suméndus propónitur verus Deus. Quid hoc Sacraménto mirabílius? in ipso namque panis et vinum in Christi Corpus et sánguinem substantiáliter convertúntur, ideóque Christus Deus, et homo perféctus sub módici panis et vini spécie continétur. Manducátur ítaque a fidélibus, sed mínime lacerátur: quinímmo, divíso Sacraménto, sub quálibet divisiónis partícula ínteger persevérat. Accidéntia autem sine subjécto in eódem subsístunt, ut fides locum hábeat, dum visíbile invisibíliter súmitur aliéna spécie occultátum; et sensus a deceptióne reddántur imműnes, qui de accidéntibus júdicant sibi notis.

℟. Accépit Jesus cálicem, postquam cœnávit, dicens: Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine. Hoc fácite in meam commemoratiónem. ℣. Memória memor ero, et tabéscet in me ánima mea. Hoc.

LECTIO VI.

NULLUM étiam Sacraméntum est isto salúbrius, quo purgántur peccáta, virtútes augéntur, et mens ómnium spirituálium charísmatum abundántia impinguátur. Offértur in Ecclésia pro vivis et mórtuis: ut ómnibus prosit, quod est pro salúte ómnium institútum. Suavitátem dénique hujus Sacraménti nullus exprímere súfficit, per quod spirituális dulcédo in suo fonte gustátur: et recólitur memória illíus, quam in sua passióne Christus monstrávit, excellentíssimæ charitátis. Unde ut árctius hujus charitátis imménsitas fidélium córdibus infigerétur, in última cœna, quando Pascha cum discípulis celebráto, transitúrus erat de hoc mundo ad Patrem, hoc Sacraméntum instítuit, tamquam passiónis suæ memoriále perénne, figurárum véterum impletívum, miraculórum ab ipso factórum máximum, et de sua contristátis abséntia solátium singuláre relíquit.

℟. Ego sum panis vitæ: patres vestri manducavérunt manna in desérto, et mórtui sunt: * Hic est panis de cœlo descéndens, ut si quis ex ipso mandúcet, non moriátur. ℣. Ego sum panis vivus qui de cœlo descéndi; si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. Hic. Glória Patri. Hic.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Introíbo * ad altáre Dei; sumam Christum, qui rénovat juventútem meam.

Digitized by Google

PSALMUS 42.

JUDICA me Deus, et discérne causam meam de gente non sancta, * ab hómine ínquo et dolóso érue me.

Quia tu es Deus fortitúdo mea : * quare me repulísti, et quare tristis incédo, dum afflígit me inimícus ?

Emítte lucem tuam et veritátem tuam : * ipsa me deduxérunt, et adduxérunt in montem sanctum tuum, et in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei : * ad Deum, qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara Deus, Deus meus : * quare tristis es ánima mea ? et quare contúrbas me ?

Spera in Deo quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Ańa. Introíbo ad altáre Dei : sumam Christum, qui rénovat juventútem meam.

Ańa. Cibávit nos Dóminus * ex ádipe fruménti : et de petra, melle saturávit nos.

PSALMUS 80.

EXSULTATE Deo adjutóri nostro : * jubiláte Deo Jacob.

Súmite psalmum, et date tympanum : * psaltérium jucúndum cum cíthara.

Buccináte in Neoménia tuba, * in insígni die solemnitátis vestræ :

Quia præcéptum in Israel est : * et judícium Deo Jacob.

Testimónium in Joseph pósuit illud, cum exíret de terra Ægypti : * linguam, quam non nóverat, audívit.

Divértit ab onéribus dorsum ejus : * manus ejus in cóphino serviérunt.

In tribulatióne invocásti me, et liberávi te : * exaudívi te in abscóndito tempestátis : probávi te apud aquam contradictiónis.

Audi, pópulus meus, et contestábor te : * Israel si audíeris me, non erit in te deus recens, neque adorábis deum aliénum.

Ego enim sum Dóminus Deus tuus, qui edúxi te de terra Ægypti : * diláta os tuum, et implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meam : * et Israel non inténdit mihi.

Et dimísi eos secúndum desidéria cordis eórum, * ibunt in adinventiónibus suis.

Si pópulus meus audísset me : * Israel si in viis meis ambulásset :

Pro níhilo fórsitan inimícos eórum humiliássem : * et super tribulántes eos misíssem manum meam.

Inimíci Dómini mentíti sunt ei : * et erit tempus eórum in sæcula.

Et cibávit eos ex ádipe fruménti : * et de petra, melle saturávit eos.

Ańa. Cibávit nos Dóminus ex ádipe fruménti : et de petra, melle saturávit nos.

Digitized by Google

Ańa. Ex altári tuo, * Dómine, Christum súmimus : in quem cor et caro nostra exsúltant.

PSALMUS 83.

QUAM dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum ! * concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum, et caro mea * exsultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum : * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua, Dómine virtútum : * Rex meus,et Deus meus.

Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine : * in sæcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxílium abs te : * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrymárum, in loco quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem : * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum, exáudi oratiónem meam : * áuribus pércipe,Deus Jacob.

Protéctor noster áspice Deus : * et réspice in fáciem Christi tui :

Quia mélior est dies una in átriis tuis * super míllia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei : * magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam et veritátem díligit Deus : * grátiam et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia : * Dómine virtútum, beátus homo, qui sperat in te.

Ańa. Ex altári tuo, Dómine, Christum súmimus, in quem cor et caro nostra exsúltant.

℣. Edúcas panem de terra, allelúia. ℟. Et vinum lætíficet cor hóminis, allelúia.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

LECTIO VII. *Cap.* 6. *f.*

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis Judæórum : Caro mea vere est cibus : et sanguis meus vere est potus. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 26. *in Joan. sub fin.*

CUM cibo et potu id áppetant hómines, ut neque esúriant, neque sítiant, hoc veráciter non præstat, nisi iste cibus et potus, qui eos, a quibus súmitur, immortáles et incorruptíbiles facit : id est socíetas ipsa sanctórum : ubi pax erit, et únitas plena atque perfécta. Proptérea quippe, sicut étiam ante nos hoc intellexérunt hómines Dei, Dóminus noster Jesus Christus corpus et sánguinem suum in eis rebus commendávit, quæ ad unum áliquid redigúntur ex multis. Namque áliud in unum ex multis granis con-

Digitized by Google

fícitur : áliud in unum ex multis ácinis cónfluit. Déinique jam expónit quómodo id fiat, quod lóquitur : et quid sit manducáre corpus ejus, et sánguinem bíbere.

℟. Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, * In me manet et ego in eo. ℣. Non est ália nátio tam grandis, quæ hábeat deos appropinquántes sibi, sicut Deus noster adest nobis. In.

Lectio viii.

Qui mandúcat carnem meam, et bibit meum sánguinem, in me manet, et ego in illo. Hoc est ergo manducáre illam escam, et illum bíbere potum, in Christo manére, et illum manéntem in se habére. Ac per hoc, qui non manet in Christo, et in quo non manet Christus, procul dúbio nec mandúcat spiritáliter carnem ejus nec bibit ejus sánguinem, licet carnáliter et visibíliter premat déntibus sacraméntum córporis et sánguinis Christi : sed magis tantæ rei sacraméntum ad judícium sibi mandúcat et bibit, quia immúndus præsúmpsit ad Christi accédere sacraménta, quæ áliquis non digne sumit, nisi qui mundus est, de quibus dícitur : Beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt.

℟. Misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem : * Et qui mandúcat me, vivet propter me. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intellléctus. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

Sicut, inquit, misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem : et qui mandúcat me, et ipse vivet propter me. Ac si díceret : Ut ego vivam propter Patrem, id est, ad illum tamquam ad majórem réferam vitam meam, exinanítio mea fecit, in qua me misit. Ut autem quisquam vivat propter me, participátio facit, qua mandúcat me. Ego ítaque humiliátus vivo propter Patrem : ille eréctus vivit propter me. Si autem ita dictum est, Vivo propter Patrem, quia ipse de illo, non ille de ipso est : sine detrimento æqualitátis dictum est. Nec tamen dicéndo : Et qui mandúcat me, et ipse vivet propter me : eámdem suam, et nostram æqualitátem significávit, sed grátiam mediatóris osténdit.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES,
et per Horas.

Aña. Sapiéntia * ædificávit sibi domum, míscuit vinum, et pósuit mensam, allelúia. ℣. Dóminus regnávit. *cum reliquis de Dñica.*

Aña. Angelórum esca * nutrivísti pópulum tuum, et panem de cœlo præstitísti eis, allelúia.

Aña. Pinguis est panis *

Digitized by Google

Christi, et præbébit delícias régibus, allelúia.

Aña. Sacerdótes sancti * incénsum et panes ófferunt Deo, allelúia.

Aña. Vincénti dabo * manna abscónditum, et nomen novum, allelúia.

CAPITULUM. 1. *Cor.* 11. *e.*

FRATRES: Ego enim accépi a Dómino quod et trádidi vobis, quóniam Dóminus Jesus in qua nocte tradebátur, accépit panem, et grátias agens fregit,et dixit: Accípite,et manducáte: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur: hoc fácite in meam commemoratiónem.

HYMNUS.

VERBUM supérnum pródiens,
Nec Patris linquens déxteram,
Ad opus suum éxiens,
Venit ad vitæ vésperam.

In mortem a discípulo
Suis tradéndus æmulis,
Prius in vitæ férculo,
Se trádidit discípulis.

Quibus sub bina spécie
Carnem dedit et sánguinem,
Ut dúplicis substántiæ
Totum cibáret hóminem.

Se nascens dedit sócium,
Convéscens in edúlium,
Se móriens in prétium,
Se regnans dat in præmium.

O salutáris hóstia,
Quæ cœli pandis óstium:
Bella premunt hostília
Da robur, fer auxílium.

Uni trinóque Dómino
Sit sempitérna glória:
Qui vitam sine término
Nobis donet in pátria. Amen.

℣. Pósuit fines tuos pacem, allelúia. ℟. Et ádipe fruménti sátiat te, allelúia.

Ad Benedictus, Aña.

Ego sum * panis vivus, qui de cœlo descéndi: si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum, allelúia.

ORATIO.

DEUS, qui nobis sub Sacraménto mirábili passiónis tuæ memóriam reliquísti: tríbue, quæsumus, ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári; ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus: Qui vivis et regnas.

AD PRIMAM.

In ℟. *br.* ℣. Qui natus es de María Vírgine. *Et sic dicitur per totam Octavam.*

In ℣℣. *Primæ et Completorii non additur* Allelúia. *sed in aliis Horis.*

AD TERTIAM.

Capitulum. Fratres ego.

℟. *br.* Panem cœli dedit eis. * Allelúia, allelúia. Panem. ℣. Panem Angelórum manducávit homo. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Panem. ℣. Cibávit illos ex ádipe fruménti, allelúia. ℟. Et de petra, melle saturávit eos, allel.

AD SEXTAM.

CAPITULUM. 1. *Cor.* 11. *f.*

QUOTIESCUMQUE enim munducábitis panem hunc, et cálicem bibétis, mortem Dómini annuntiábitis donec véniat.

Digitized by Google

℟. *br.* Cibávit illos ex ádipe fruménti. * Allelúia, allelúia. Cibávit. ℣ Et de petra, melle saturávit eos. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Cibávit. ℣. Edúcas panem de terra, allelúia. ℟. Et vinum lætíficet cor hóminis, allel.

AD NONAM.

CAPITULUM. 1. *Cor.* 11. *f.*

QUICUMQUE manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indígne : reus erit córporis et sánguinis Dómini.

℟. *br.* Edúcas panem de terra. * Allelúia, allelúia. Edúcas. ℣. Et vinum lætíficet cor hóminis. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Edúcas. ℣. Pósuit fines tuos pacem, allelúia. ℟. Et ádipe fruménti sátiat te, allelúia.

In ij. Vesperis omnia ut in j. Vesperis.

℣. Panem de cœlo præstitísti eis, allelúia. ℟. Omne delectaméntum in se habéntem, allelúia.

Ad Magníficat, Aña.

O sacrum * convívium ! in quo Christus súmitur : recólitur memória passiónis ejus : mens implétur grátia : et futúræ glóriæ nobis pignus datur, allelúia.

FERIA QUINTA

POST DOMINICAM IN ALBIS.

In Festo SS. Corp. Christi.

DUPLEX 1. CLASSIS.

Omnia ut in hoc Codice pro Festo institutionis SS. Sacramenti, die 24 Martii, sed ritu Pasch.

DIE XXIII. APRILIS.

In Festo S. Georgii Mart. Defensoris Regni Portugal.

DUPLEX MAJUS.

Omnia ut in Breviario Romano hac die.

In j. Nocturno, Lectiones. Fratres : Debitóres sumus, *de Comm. plur. Mart.*

DIE III. MAJI.

In Festo Inventionis Sanctæ Crucis Titularis Eccl. Cathedr. Cochinensis.

DUPLEX 1. CL. CUM OCTAVA.

In Diœcesi Cochinensi.

Omnia ut in Breviario hac die.

Nona Lectio incipit. Inténdat et intélligat cáritas.

DIE X. MAJI.

In Oct. Inventionis S. Crucis.

DUPLEX.

In Diœcesi Cochinensi.

Omnia ut in j. Vesperis Festi, cum comm. S. Gregorii et SS. Gordiani et Epimachi Martyrum.

Si dies Octava Inventionis et Ascensionis concurrant, fit tantum de Octava Ascensionis, cum com. Oct. Inventionis.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente, si adsint ; alias ut in Festo.

IN II. NOCTURNO.

Sermo Sancti Joánnis Chrysóstomi.

Ex Homilia 55. *in Matth. post medium.*

LECTIO IV.

NEMINEM gloriosórum salútis nostræ signórum púdeat, summæque bonórum, qua et vívimus et su-

Digitized by Google

mus ; sed ut corónam, sic Christi Crucem ferámus : étenim nostra ómnia per illam perficiúntur. Sive regeneratióne et renovatióne opus est, Crux præsto est : sive mysticus ille cibus suméndus, sive in Ordinem Ecclesiásticum áliqui cooptándi, sive quidvis áliud faciéndum est,ubíque victóriæ nostræ signum adest.Ob eámque causam, illam et in ædibus, et in muris, et in fóribus,et in fronte,et in mente cum magno stúdio depíngimus et inscúlpimus. Nostræ enim salútis, communísque libertátis,et bonitátis Dómini nostri hoc signum est. Cum ergo insignírís, tibi in mentem véniat vis omnis, quam in se Crux cóntinet : ac tum dénique iram, omnésque a ratióne avérsos ánimi ímpetus extínxeris.

℟. Nos autem gloriári.

Lectio v.

Non enim omníno dígito impriménda, et consignánda est, sed prius voluntáte ac judício, cum magna fide quia sic in óculis vultúque impréssa impurórum scelestorúmque dæmonum nullus ad te accédere aut in propínquo stare umquam póterit, cernens gládium, quo vulnus plagámque accépit, vidénsque ensem quo mortem accépit.Si enim nos, cum loca, in quibus damnáti secántur, vidémus, exhorréscimus : cógita, quid eventúrum sit diábolo,cum arma vidébit, quibus vim potestatémque ejus omnem Christus dissólvit, serpentísque caput amputávit. Hoc étiam signum jánuas clausas majórum nostrórum nostráque ætáte apéruit : hoc nóxia mortiferáque venéna profligávit, hoc cicútæ vim díluit, hoc dénique venenatárum bestiárum morsus curávit.

℟. Dum sacrum pignus.

Lectio vi.

Si enim inferórum portas apéruit, et cœlórum orbes laxávit, paradisíque áditum introitúmque restítuit, et diáboli nervos fregit ; quid mirum vidéri debet, si mortífera venéna, etália ejúsdem géneris vincit, et súperat? Hoc ígitur in mente tua inscúlpe, animorúmque nostrórum salútem ampléctitor. Crux enim hæc orbem terrárum convértit, errórem éxpulit, veritátem revocávit, terram cœlum fecit, hómines Angelos réddidit. Hinc dæmones non jam horríbiles sunt, aut metuéndi, sed contemnéndi : neque mors est mors, sed somnus. Hæc abjécta sunt humi,conculcátaque ómnia quæ nobis adversántur.

℟. Hoc signum Crucis.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. *Cap.* 3.

In illo témpore : Erat homo ex Pharisæis, Nicodémus

Digitized by Google

nómine, princeps Judæórum : hic venit ad Jesum nocte, et dixit ei : Rabbi, scimus, quia a Deo venísti magíster. Et réliqua.

Homilía Sancti Ambrósii Epíscopi.

Ex Scrm. 55.

SICUT Moyses exaltávit serpéntem in desérto, ita exaltári opórtet Fílium hóminis. Unde si affíxus serpens ligno fíliis Israel cóntulit sanitátem, quanto magis salútem præstat pópulis Dóminus in patíbulo crucifíxus ? Et si figúra tantum prófuit, quantum prodésse crédimus veritátem ? Serpens ígitur primus crucifígitur. Recte plane, ut, quia primus apud Deum peccáverat diábolus, primus crucis senténtia ferirétur. In ligno enim crucifígitur : rationabíliter factum, ut quia homo in paradíso per árborem concupiscéntiæ decéptus fúerat, nunc idem per ligni árborem salvarétur : atque éadem matéria, quæ causa mortis fúerat, esset remédium sanitátis.

℟. Dulce lignum.

LECTIO VIII.

DEINDE post serpéntem in Salvatóre homo ipse crucifígitur, scílicet ut post auctórem puniátur et fácinus. Per primam Crucem vindicátum est in serpéntem, per secúndam in venéna serpéntis : hoc est, primum auctor ipse punítur, deínde ejus malígnitas condemnátur. Virus enim, quod persuasióne sua in hóminem transfúderat, nunc rejícitur, nunc curátur. Nam cum homo passióni addícitur, non morti tráditur, sed mortis in eo fácinus emendátur. Hoc enim egit Dóminus per hóminem quem suscépit, ut dum ínnocens pátitur, prævaricatiónis illíus diabólicæ in eo inobediéntia corrigátur, et defínceps liber a culpa fíeret, ac liber esset a morte. Habéntes ígitur Dóminum Jesum, qui nos passióne sua liberávit, in ipsum aspiciámus semper, et de ipsíus signo sperémus nostris vulnéribus medicínam.

℟. Sicut Moyses exaltávit.

Lectio ix. et commem. SS. Gordiani et Epimachi, Mart.

In Vesperis commem. S. Joannis Damasceni, Confessoris.

DIE XIII. MAJI.

In Festo S. Athanasii, Episc. Conf. et Eccl. Doct.

DUPLEX.

Omnia ut in Breviario Romano, die 2. hujus.

DIE XIV. MAJI.

In Festo S. Pii V, Papæ et Confessoris.

DUPLEX.

Omnia ut in Breviario Romano, die 5 hujus.

Nona Lectio simul ducæ et commem. S. Bonifacii Martyris.

Digitized by Google

DIE XV. MAJI.

In Festo SS. Nerei, Achillei et Domitillæ Virg. atque Pancratii, Mart.

SEMIDUPLEX.

Omnia ut in Breviario Romano, die 12 hujus.

DIE XVI. MAJI.

In Festo S. Joannis Nepomuceni Mart.

DUPLEX.

Omnia ut in Appendice Breviarii, hac die.

DIE XXI. MAJI.

In Festo S. Ubaldi, Episc. et Confessoris.

SEMIDUPLEX.

Omnia ut in Breviario Romano, die 16 hujus.

OFFICIUM VOTIVUM,

Quod non dicitur in diebus impeditis a Festo novem Lectionum occurrente, vel translato, nec in Feriis Quadrag., ij. Rogationum, et Vigiliarum.

SEMEL IN MENSE

Juxta superiorem Rubricam.

OFFICIUM VOTIVUM

S. FRANCISCI XAVERII,

CONFESSORIS.

Patroni Civitatis, ac Diœcesis Goanensis et Indiarum Orientalium.

(Ex Indult. Clementis XIII, 14 Februarii 1759.)

SEMIDUPLEX.

Omnia de Communi Conf. non Pont. præter sequentia.

ORATIO.

DEUS, qui Indiárum gentes beáti Francísci prædicatióne et miráculis Ecclésiæ tuæ aggregáre voluísti: concéde propítius; ut, cujus gloriósa mérita venerámur, virtútum quoque imitémur exémpla. Per Dóminum nostrum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

FRANCISCUS in Xavério diœcésis Pampelonénsis nobílibus paréntibus natus, Parísiis sancto Ignátio sese cómitem et discípulum junxit. Ipso magístro eo brevi devénit, ut in rerum divinárum contemplatióne defíxus, a terra aliquándo sublímis elevarétur, quod illi sacrificánti coram pópuli multitúdine aliquóties evénit. Has ánimi delícias magnis sui córporis cruciátibus merebátur. Nam interdícto sibi, non carnis solum et vini, sed panis quoque tritícei usu, vílibus cibis vesci sólitus, per bíduum subínde triduúmque omni prorsus aliménto abstínuit. Férreis in se flagéllis ita sæviit, ut sæpe copióso cruóre difflúeret: somnum brevíssimum humi jacens carpébat.

℟. Honéstum fecit.

LECTIO V.

VITÆ austeritáte ac sanctitáte apostólico múneri jam matúrus, cum Joánnes Tértius Lusitániæ rex áliquot nascéntis Societátis viros a Paulo Tértio pro Indiis

Digitized by Google

postulásset, sancti Ignátii hortátu, ab eódem Pontífice ad tantum opus cum apostólici Núntii potestáte delígitur. Eo appúlsus, íllico variárum géntium difficíllimis et váriis linguis divínitus instrúctus appáruit. Quin eum quandóque único idiómate ad divérsas gentes concionántem, unaquæque sua lingua loquéntem audívit. Províncias innúmeras pédibus semper et sæpe nudis, peragrávit. Fidem Japóniæ, et sex áliis regiónibus invéxit. Multa centéna hóminum míllia ad Christum in Indiis convértit, magnósque príncipes, regésque complúres sacro fonte expiávit. Et cum tam magna pro Deo ágeret, ea erat humilitáte, ut sancto Ignátio, tunc Præpósito suo, flexis génibus scríberet.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Hunc dilatándi Evangélii ardórem, multitúdine, et excelléntia miraculórum Dóminus roborávit. Cæco visum réddidit, tantum marínæ aquæ signo crucis convértit in dulcem, quantum quingéntis vectóribus, qui siti adigebántur ad mortem, diu suffécit ; qua in várias quoque regiónes asportáta, ægri plúrimi súbito curáti sunt. Plures mórtuos revocávit ad vitam ; inter quos prídie sepúltum érui jussum e túmulo suscitávit, duósque álios, dum efferréntur, aprehénsa eórum manu, paréntibus e féretro vivos restítuit. Prophetíæ spíritu passim afflátus, plúrima et loco, et témpore remotíssima enuntiávit. Demum in Sanciáno Sinárum ínsula, die secúnda Decémbris, óbiit plenus méritis, laboribúsque conféctus. Demórtui cadáver viva calce per multos menses bis óbrutum, sed pénitus incorrúptum, odóre et sánguine manávit : et ubi Málacam delátum est, pestem sævíssimam confestim extínxit. Dénique ubíque terrárum novis, maximísque fulgéntem miráculis, Gregórius Décimus quintus Sanctis adscrípsit.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vii. *Cap.* 16. *c.*

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homília Sancti Gregórii Papæ.

Homilia 29. *in Evangelia.*

Potest omnis creatúræ nómine omnis nátio géntium designári. Ante enim dictum fúerat : In viam géntium ne abiéritis : nunc autem dícitur : Prædicáte omni creatúræ : ut scílicet prius a Judæa Apostolórum repúlsa prædicátio tunc nobis in adjutórium fíeret, cum

Digitized by Google

hanc illa ad damnatiónis suæ testimónium supérba repulísset. Sed cum discípulos ad prædicándum Véritas mittit, quid áliud in mundo facit, nisi grana séminis spargit? et pauca grana mittit in sémine, ut multárum méssium fruges recípiat ex nostra fide.

℟. Iste est qui ante Deum.

LECTIO VIII.

NEQUE étenim in univérso mundo tanta fidélium messis exúrgeret, si de manu Dómini super rationálem terram illa elécta grana prædicántium non veníssent. Séquitur : Qui credíderit, et baptizátus fúerit, salvus erit : qui vero non credíderit, condemnábitur. Fortásse unusquísque apud semetípsum dicat : Ego jam crédidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem opéribus tenet. Vera étenim fides est, quæ in hoc, quod verbis dicit, móribus non contradícit. Hinc est enim quod de quibúsdam *falsis* fidélibus Paulus dicit : Qui confiténtur se nosse Deum, factis autem negant.

℟. Sint lumbi vestri.

LECTIO IX.

SIGNA autem eos, qui creditúri sunt, hæc sequéntur : In nómine meo dæmónia ejícient, linguis loquéntur novis, serpéntes tollent, et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit : super ægros manus impónent, et bene habébunt. Numquídnam, fratres mei, quia ista signa non fácitis, mínime créditis? Sed hæc necessária in exórdio Ecclésiæ fuérunt. Ut enim ad fidem crésceret multitúdo credéntium, miráculis fúerat nutriénda. Quia et nos, cum arbústa plantámus, támdiu eis aquam infúndimus, quoúsque ea in terra jam coaluísse videámus : et si semel radícem fíxerint, irrigátio cessábit. Hinc est enim quod Paulus dicit : Linguæ in signum sunt non fidélibus, sed infidélibus.

Te Deum laudámus.

Digitized by Google

COMMEMORATIONES

DE PATRONO VEL TITULARI

Inter suffragia Sanctorum adjiciendæ.

Prænotanda circa suffragia Sanctorum.

Ant, ℣. *et Orationes, nisi aliter notetur, dicuntur in secundis Vesp. et Laud. diei Festi, ex Proprio vel Communi: variantur vero, si coincidant cum similibus in eodem Officio.*

Suffragium Patroni vel Titularis omittitur, cum de eo dicitur Officium; ne de eodem bis fiat.

Item Suffragium Titularis Ecclesiæ (etsi Cathedralis vel Collegiatæ) fit ab ejusdem Parocho, Canonicis, et Beneficiatis, vel ejus Choro adstrictis tantum: ceteri vero, licet sint ejusdem Ecclesiæ vel Parochiæ, debent eam facere de Patrono principali Diœcesis, ubi non adest proprius loci Patronus, quia tunc de isto et non de illo facienda est.

Item Suffragium B. M. omittitur, cum prædictum sit commune Sancta María succúrre, *etc. In omnibus Ecclesiis SS. Salvatori dicatis Suffragium sumi debet ex officio diei Festi Transfigurationis, nisi adsit speciale Sanctæ Sedis Indultum.*

Pro Diœcesi Patriarchali Goanensi.

DE S. FRANCISCO XAVERIO, PATRONO INDIÆ.

AD VESPERAS.

Ant. Hic vir despíciens mundum, et terréna, triúmphans, divítias cœlo cóndidit, ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

AD LAUDES.

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Orémus.

DEUS, qui Indiárum gentes beáti Francísci prædicatióne et miráculis Ecclésiæ tuæ aggregári voluísti: concéde propítius, ut cujus gloriósa mérita venerámur, virtútum quoque imitémur exémpla.

Digitized by Google

In sola Eccl. Cathedr. Primatiali et Patriarchali.

DE S. CATHARINA,

VIRG. MART. TITUL.

AD VESPERAS.

Ańa. O magna, et singuláris Patróna jam de tua immortalitáte secúra, adhuc esto de nostra salúte solícita: eménsa illa, in qua cum Sponso epuláris, cadant nobis micæ intercessiónis tuæ, et habeámus per te, quod méritis nostris cónsequi non valémus.

AD LAUDES.

Ańa. Beáta Catharína orábat dicens: Dómine Jesu Christe, Deus meus, ago tibi grátias, quod statuísti supra petram pedes meos, et direxísti gressus meos: nunc exténde palmas, quæ pro me in Cruce fuérunt sauciátæ, et súscipe ánimam, quam sacrificávi pro te, et tua confessióne.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Orémus.

DEUS, qui dedísti legem Moysi in summitáte montis Sínai, et in eódem loco per Sanctos Angelos tuos corpus Beátæ Catharínæ Vírginis, et Mártyris tuæ mirabíliter collocásti: præsta, quæsumus, ut ejus méritis et intercessióne ad montem, qui Christus est, pervenire valeámus.

Pro Diœcesi Cochinensi. In sola Eccl. Cathedr.

DE S. CRUCE TITULARI.

Fit suffragium ordinarium S. Crucis.

Pro Diœcesi Meliaporensi. In sola Eccl. Cathedr. Civ. et Suburb.

DE S. THOMA, APOST.

TITUL. ECCL. CATHEDR. ET PATRONO CIVIT.

AD VESPERAS ET LAUDES.

Ańa. Quia vidísti me, Thoma, credidísti: beáti qui non vidérunt, et credidérunt.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Orémus.

DA nobis quæsumus, Dómine, beáti Apóstoli tui Thomæ, commemoratióne gloriári: ut ejus semper et patrocínio sublevémur, et fidem cóngrua devotióne sectémur.

COMMEMORATIONES COMMUNES, SIVE SUFFRAGIA SANCTORUM.

Pro Diœcesi Damanensi, cum Titulo Archiepiscopali Cranganorensi.

DE CRUCE.

In Feriali Officio etiam quando non dicuntur Preces.

AD VESPERAS ET LAUDES.

Ańa. Per signum Crucis de inimícis nostris líbera nos, Deus noster.

℣. Omnis terra adóret te, et psallat tibi. ℟. Psalmum dicat nómini tuo, Dómine.

Digitized by Google

Orémus. ORATIO.

PERPETUA nos, quæsumus Dómine, pace custódi : quos per lignum sanctæ Crucis redímere dignátus es.

Tempore autem Paschali, a Feria ij. post Dominicam in Albis usque ad Ascensionem, tam in Officio de Tempore, quam de Sanctis, nisi sit Duplex, aut infra Octavas, fit sequens.

AD VESPERAS.

Añ. Crucem sanctam súbiit, qui inférnum confrégit, accínctus est poténtia : surréxit die tértia, allelúia.

AD LAUDES.

Añ. Crucifíxus surréxit a mórtuis, et redémit nos, allelúia, allelúia.

℣. Dícite in natiónibus, allelúia. ℟. Quia Dóminus regnávit a ligno, allelúia.

Orémus. ORATIO.

DEUS, qui pro nobis Fílium tuum crucis patíbulum subíre voluísti,ut inimíci a nobis expélleres potestátem : concéde nobis fámulis tuis ; ut resurrectiónis grátiam consequámur. Per eúmdem Dóminum.

DE TITULARI ECCLESIÆ CATHEDRALIS DIŒCESIS DAMANENSIS.

In hac Ecclesia tantum.

AD VESPERAS.

Añ. Vocábis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum fáciet pópulum suum a peccátis eórum, allelúia.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum, allelúia. ℟. Ex hoc nunc, et usque in sæculum, allelúia.

AD LAUDES.

Añ. Dedit se, ut liberáret pópulum, et acquíreret sibi nomen ætérnum, allelúia.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cœlum et terram.

Orémus. ORATIO.

DEUS, qui unigénitum Fílium tuum constituísti humáni géneris Salvatórem, et Jesum vocári jussísti : concéde propítius ; ut,cujus sanctum Nomen venerámur in terris, ejus quoque aspéctu perfruámur in cœlis.

Pro tota Diœcesi.

DE PATRONA.

AD VESPERAS.

Añ. O homo, réspice pietátis óculis Fílii mei sudórem, sánguinem, alapárum contuméliam , flagellórum durítiam, corónam spíneam, crucis suspéndium, óculos languéntes, acetósa pócula, caput inclinátum, et mortis supplícium.

℣. Secúndum multitúdinem dolórum meórum in corde meo. ℟. Consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

AD LAUDES.

Añ. Tamquam latro cápitur úndeque constrictus, cæditur, conspúitur, álapis, afflictus.

O Matris angústiæ, cum audíret ictus ; pro nobis hæc tólerans sit Rex benedictus.

℣. Lavábo per síngulas

Digitized by Google

noctes lectum meum. ℟. Lácrymis meis stratum meum rigábo.

Orémus. ORATIO.

DOMINE Jesu Christe,cujus acerbíssimæ Passiónis gládius piíssimæ Matris tuæ ánimam sic penetrávit,quod eam plusquam mártyrem fecit : tríbue, quæsumus ; ita nos dolórum ejus in terris memóriam ágere,ut ad contemplánda illíus gáudia in cœlis mereámur pervenire.

DE SANCTO JOSEPH,

SPONSO B. M. V.

AD VESPERAS.

Ańa. Ecce fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam.

℣. Glória et divítiæ in domo ejus. ℟. Et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

AD LAUDES.

Ańa. Ipse Jesus erat incípiens quasi annórum trigínta ut putabátur fílius Joseph.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Orémus. ORATIO.

DEUS, qui ineffábili providéntia beátum Joseph sanctíssimæ Genitrícis tuæ sponsum elígere dignátus es : præsta quæsumus ; ut, quem protectórem venerámur in terris, intercessórem habére mereámur in cœlis.

DE APOSTOLIS.

AD VESPERAS.

Ańa. Petrus Apóstolus, et Paulus Doctor géntium, ipsi nos docuérunt legem tuam Dómine.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

AD LAUDES.

Ańa. Gloriósi príncipes terræ quómodo in vita sua dilexérunt se,ita et in morte non sunt separáti.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Orémus. ORATIO.

DEUS, cujus déxtera beátum Petrum, ambulántem in flúctibus, ne mergerétur eréxit : et coapóstolum ejus Paulum tértio naufragántem de profúndo pélagi liberávit : exáudi nos propítius, et concéde ; ut ambórum méritis, ætérnitátis glóriam consequámur.

DE S. FRANCISCO XAVERIO, PATRONO INDIÆ.

AD VESPERAS.

Ańa. Hic vir despíciens mundum, et terréna, triúmphans, divítias cœlo cóndidit, ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

AD LAUDES.

Ańa. Euge serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam,intra in gáudium Dómini tui.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Digitized by Google

Orémus. ORATIO.

DEUS, qui Indiárum Gentes beáti Francísci prædicatióne et miráculis Ecclésiæ tuæ aggregáre volúisti : concéde propítius ; ut cujus gloriósa mérita venerámur, virtútum quoque imitémur exémpla.

PRO S. ANTONIO
PATR. SEMINARII DAMANENSIS.

In Seminario tantum.

AD VESPERAS.

Aña. O lingua benedícta, quæ Dóminum semper benedixísti, et álios benedícere docuísti : nunc perspícue cérnitur quanti mériti fúeris apud Deum.

℣. Amávit eum Dóminus et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

AD LAUDES.

Aña. Favus distíllans lábia ejus : mel et lac sub lingua ejus.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Orémus. ORATIO.

ECCLESIAM tuam Deus, beáti Antónii Confessóris tui commemorátio votíva lætíficet : ut spirituálibus semper muniátur auxíliis, et gáudiis pérfrui mereátur ætérnis.

DE PATRONO,
VEL TITULARI ECCLESIÆ

Fiat commemoratio consueta ante, vel post Commemorationes prædictas pro dignitate illius, et ultimo loco :

DE PACE.

AD VESPERAS, ET LAUDES.

Aña. Da pacem, Dómine, in diébus nostris, quia non est álius qui pugnet pro nobis nisi tu, Deus noster.

℣. Fiat pax in virtúte tua. ℟. Et abundántia in túrribus tuis.

Orémus. ORATIO.

DEUS, a quo sancta desidéria, recta consília, et justa sunt ópera : da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem ; ut et corda nostra mandátis tuis dédita, et hóstium subláta formídine, témpora sint tua protectióne tranquílla. Per Dóminum.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo. ℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias. ℣. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

Deinde dicitur secreto Pater noster.

Sic terminatur Officium, ubi alia non sequatur Hora.

Dictæ Commemorationes, seu Suffragia dicuntur ab Octava Pentecostes usque ad Adventum, et ab Octava Epiphaniæ usque ad Dñicam Passionis, exceptis Duplicibus, et infra Octavas.

Quando dicitur Officium B. M. V. non fit alia comm. de ea.

Digitized by Google

COMMEMORATIONES DIVERSÆ.

COMM. SS. CORDIS JESU
POST NONAM IN CHORO DICENDA.

Antiphona.

O ómnium pulchritúdine speciosíssime Jesu, ámplius lava me ab iniquitáte mea, et a peccáto meo munda me: ut purificátus per te puríssimum possim accédere, et in Corde tuo ómnibus diébus vitæ meæ mérear habitáre; et ut vidére simul et fácere tuam váleam voluntátem.

℣. Díscite a me, quia mitis sum, et húmilis corde. ℟. Et inveniétis réquiem animábus vestris.

Orémus.

FAC nos, Dómine Jesu, Sanctíssimi Cordis tui virtútibus índui, et affléctibus inflammári: ut et imágini bonitátis tuæ confórmes, et tuæ Redemptiónis mereámur esse partícipes. Qui vivis, et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Antiphona.

Tota pulchra es María.
Tota pulchra es María.
Et mácula originális non est in te.
Et mácula originális non est in te.
Tu glória Jerúsalem.
Tu lætítia Israel.
Tu honorificéntia pópuli nostri.
Tu advocáta peccatórum.
O María.
O María.
Virgo prudentíssima.
Mater clementíssima.
Ora pro nobis.
Intercéde pro nobis ad Dóminum Jesum Christum.

℣. In Conceptióne tua Virgo immaculáta fuísti. ℟. Ora pro nobis Patrem cujus Fílium peperísti.

Orémus.

DEUS, qui per Immaculátam Vírginis conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti; quæsumus, ut qui ex morte ejúsdem Fílii tui prævísa, eam ab omni labe præservásti, nos quoque mundos ejus intercessióne ad te pervenire concédas. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

PRO FUGANDA PESTE.

Antiphona.

Stella cœli extirpávit, quæ lactávit Dóminum, mortis pestem, quam plantávit primus parens hóminum. Ipsa stella nunc dignétur sídera compéscere, quorum bella plebem cædunt diræ mortis úlcere: O piíssima stella maris, a peste succúrre nobis. Audi nos Dómina; nam Fílius tuus nihil negans te honórat. Salva nos Jesu, pro

Digitized by Google

quibus Virgo Mater te orat.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus.

DEUS misericórdiæ, Deus pietátis, Deus indulgéntiæ, qui misértus es super afflictiónem pópuli tui, et dixísti Angelo percutiénti pópulum tuum : Cóntine manum tuam ob amórem illíus Stellæ glorióssæ, cujus úbera pretiósa contra venénum nostrórum delictórum, quam dúlciter suxísti : præsta auxílium grátiæ tuæ ; ut ab omni peste, et improvísa morte secúre liberémur, et a totíus perditiónis incúrsu misericórditer salvémur. Per te Jesu Christe Rex glóriæ, Salvátor mundi, qui vivis, et regnas in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Imprimatur
Mechliniæ, die 27 Martii 1890.
† PETRUS LAMBERTUS, CARD. GOOSSENS,
Archiepiscopus Mechlinien.

MECHLINIÆ, H. DESSAIN. — MDCCCXC.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

OFFICIA SANCTORUM

NOVA ET PROPRIA,

A SUMMIS PONTIFICIBUS

APPROBATA ET CONCESSA

PRO DIŒCESI METROPOLITANA GOANENSI, ORIENTIS PRIMATIALI, AC INDIARUM ORIENTALIUM PATRIARCHALI

ET EJUS SUFFRAGANEIS DD. ARCHIEPISCOPALI AD HONOREM CRANGANORENSI AC EPISCOPALI DAMAENSI, COCHINENSI ET MELIAPORENSI ATQUE MOSSAMBICENSI PRÆLATIA.

Præter Officia ut in Codice Regni Portugal. Brasil. et Algarb. usque ad præsentem annum.

PARS ÆSTIVA.



MECHLINIÆ.
H. DESSAIN,
SUMMI PONTIFICIS, S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE ET ARCHIEPISCOPATUS MECHLINIENSIS TYPOGRAPHUS.
M. D. CCC XC.

Digitized by Google

KALENDARIUM.

FESTA JULII.

XV. S. Camilli de Lellis, Conf. *Duplex.*
XVIII. BB. Quadraginta Mart. Ignatii de Azevedo et Soc. *Duplex.*
XXI. S. Henrici Imperatoris, Conf. *Semiduplex.*
XXIV. S. Hieronymi Æmiliani, Conf. *Duplex.*
XXXI. S. Ignatii de Loyola, Conf. Titularis Ecclesiæ Seminarii Racholensis. *Duplex 1. cl. cum Octava.*

FESTA AUGUSTI.

II. S. Petri ad Vincula. *Duplex majus.*
VII. Octava S. Ignatii de Loyola, Conf. *Duplex.*
DOM. INFRA OCTAVAM ASSUMPT. B. M. V. S. Joachim, Conf. Patris ejusdem B. M. V. *Duplex 1. classis.*
XVI. S. Rochi, Conf. *Duplex.*
XVIII. S. Hyacinthi, Conf. *Duplex.*
DOM. POST OCTAVAM ASSUMPT. B. M. V. Purissimi Cordis B. M. V. *Duplex majus.*

Officium votivum S. Francisci Xaverii Conf. Patroni Civit. ac Diœc. Goanensis et Indiarum Orientalium. *Semiduplex.*

Digitized by Google

PRO ARCHIDIŒCESI GOANENSI

ET DIŒCESIBUS SUFFRAGANEIS.

DIE XV. JULII.

In Festo S. Camilli de Lellis, Conf.

DUPLEX. (m. t. v.)

Omnia ut in Breviario Romano, die 18. hujus.

DIE XVIII. JULII.

In Festo BB. Quadraginta Mart. Ignatii de Azevedo et Soc.

DUPLEX.

Omnia de Comm. plur. Mart. præter sequentia.

ORATIO.

OMNIPOTENS ætérne Deus, qui nos in beáto Ignátio et Sóciis ejus, quadragínta Mártyrum palmas, sub una trísbuis solemnitáte venerári : concéde propítius ; ut quorum in cœlis glóriam læti suspícimus, eórum invíctam in fide constántiam æmulémur. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

ANNO reparátæ salútis millésimo quingentésimo septuagésimo, uno die, unóque certámine Socíetas Jesu quadragínta viros inter beatórum Mártyrum cœtus cœlo transmísit. Horum dux fuit Ignátius de Azevédo Portuénsis, nobilíssimo génere in Lusitánia natus, qui multis jam munéribus in Societáte egrégie perfúnctus, et ómnium virtútum laude in exémplum insígnis, missus a sancto Francísco Bórgia in Brasíliam visitátor, biénnio post Európam repétiit, ut auxiliáres operarióum cópias ad fidem inter bárbaras gentes disseminándam comparáret. Voti compos factus, tum ex Hispánia , tum ex Lusitánia novem supra sexagínta florénti, fere omnes, ætáte sócios elégit, quos secum addúceret ; et Ulyssipóne solvens, semel atque íterum cœlésti mónitu cértior factus est, se brevi cum áliis trigínta novem, qui eádem vehebántur navi , mártyrem futúrum.

℟. Sancti tui.

LECTIO V.

JAMQUE ad ínsulas Canárias et in conspéctum urbis Palmæ pervénerant,cum repénte onerária adorítur prædónum classis, cui præerat Jacóbus Sória Calviniánus. Deditióne facta, íllico Sória e prætória navi in Dei minístros senténtiam tulit, omnésque ad unum occídi imperávit. Primus irruéntibus occúrrit Ignátius,qui sacram Desparæ imáginem Romæ a sancto Pio Quinto dono accéptam manu præ-

Digitized by Google

ferens, dum sócios ad constántiam hortátur, et hæréticos de impietáte coárguit, gravi vúlnere discísso cápite et crebris hastárum íctibus transfóssus, fortíssimam ánimam exhalávit. Cæteri deínde véstibus ad ludíbrium exúti, convíciis et verbéribus affécti, lánceis gladiísque transfíxi, fractis crúribus et bráchiis, bini vel terni in pélagus acti, gloriosíssimam pro fide Cathólica mortem obiérunt.

℟. Vérbera carnífícum.

LECTIO VI.

EQUADRAGINTA unus supérerat rei familiáris adjútor, quem prædónes ad ministéria doméstica útilem sibi fore putavérunt. Ejus loco, ut quadragenárius número expleretur, nóbilis adoléscens, ætáte mínimus, qui Lusitánæ navis præfécto nepos erat, idémque Societátis candidátus, martyrii incénsus desidério occísi mártyris vestem raptim índuit, seque ultro neci óbtulit, et illátam fórtiter pértulit. Hæc clades íncidit in diem quintumdécimum Júlii, eodémque die sancta Terésia a Jesu Abulæ degens rem totam divínitus cognóvit, renuntiavítque se vidísse beátos quadragínta mártyres corónis redimítos in cœlum ovántes ascéndere. Hinc statim ab eórum óbitu plúribus in locis de Episcopórum facultáte, et étiam Romæ ex Indúlto Sedis Apostólicæ, Mártyrum honóribus públice coli cœpti sunt. Hunc autem cultum multis jam privilégiis auctum et Sanctórum virórum auctoritáte probátum, Pius Nonus Póntifex Máximus e senténtia Sacræ Rítuum Congregatiónis redintegrándum, confirmandúmque decrévit.

℟. Tamquam aurum.

In tertio Nocturno Homilia in Evang. Cum audiéritis, *de Comm. plur. Mart. j. loco.*

Lectio ix. SS. Symphorosæ cum septem Filiis Mart.

DIE XXI. JULII.

In Festo S. Henrici Imperatoris, Conf.

SEMIDUPLEX. (m. t. v.)

Omnia ut in Breviario Romano, die xv. hujus.

Lectio ix. et com. S. Praxedis Virg.

DIE XXIV. JULII.

In Festo S. Hieronymi Æmiliani, Conf.

DUPLEX.

Omnia ut in Breviario Romano, die xx. hujus

Lectio ix. de Homilia et com. Vigiliæ S. Jacobi, Apost. et S. Christinæ Virg. et Mart.

DIE XXXI. JULII.

In Festo S. Ignatii de Loyola, Conf. Titularis Ecclesiæ Seminarii Racholensis.

DUPLEX I. CL. CUM OCTAVA.

In Seminario Racholensi.

Omnia ut in Breviario Romano, hac die.

Digitized by Google

In j. Nocturno Lectiones. Beátus vir, qui, *de Comm. ij. loco.*

DIE II. AUGUSTI.

In Festo S. Petri ad Vincula.

DUPLEX MAJUS.

Omnia ut in Breviario Romano, die j. hujus.

Lectio ix. et com. S. Stephani, Papæ et Mart.

DIE VII. AUGUSTI.

Octava S. Ignatii de Loyola, Confessoris.

DUPLEX.

In Seminario Racholensi.

Omnia ut in Festo, præter sequentia.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Serm. 2. de S. Victore.

LECTIO IV.

GAUDETE in Dómino, dilectíssimi, qui inter contínua suæ pietátis benefícia indúlsit mundo Beátum Ignátium, cujus multi salvaréntur exémplo. Iterum dico gaudéte, quod sublátus de médio appropiávit Deo, ut multo plures ejus intercessióne salvéntur. In terris visus est, ut esset exémplo, in cœlum levátus est ut sit patrocínio. Hic infórmat ad vitam, illic invítat ad glóriam : factus est mediátor ad regnum, qui fuit incitátor ad opus. Bonus mediátor, qui sibi jam póstulans nihil, totum in nos transférre desíderat, et supplicántis afféctum, et supplicatiónis fructum. Quid enim quærat sibi, qui nullíus eget?

℟. Honéstum fecit.

LECTIO V.

HÆC dies gloriósæ migratiónis ejus, dies lætítiæ cordis ejus : exultémus, et lætémur in ea. Introívit in poténtias Dómini, gaudeámus : quia nunc poténtior est ad salvándum. Hódie Ignátius pósito córpore tanto alácrior, quanto expedítior penetrávit in sancta, símilis factus in glória sanctórum. Hódie despécto mundo et mundi príncipe triumpháto, supra mundum victor ascéndit accípiens de manu Dómini corónam victóriæ. Ascéndit autem cum imménsa supelléctili meritórum, clarus triúmphis, miráculis gloriósus : sedet veteránus miles débita jam suavitáte, et securitáte quiétus. Secúrus quidem sibi, sed nostri solícitus. O venerándam étiam ipsis Angelis sanctitátem, quam pari stúdio etsi díspari voluntáte, et mali fúgitant, et frequéntant boni! nec fácile díxerim, quid virum ádstruat sanctiórem, horum favor aut pavor illórum.

℟. Amávit eum.

LECTIO VI.

OMILES emérite, qui christiánæ milítiæ duris labóribus Angélicæ felicitátis réquiem commutásti! réspi-

Digitized by Google

ce ad imbélles,et imbecílles commilitónes tuos, qui inter hostíles gládios et spiritáles nequítias tuis láudibus occupámur. Quam pium, quam dulce, quam suáve, o Sancte Ignati, in hoc loco afflictiónis, et in hoc córpore mortis te cánere,te cólere, te precári ! Nomen tuum, et memoriále tuum favus distíllans in lábiis captivórum, mel et lac sub lingua eórum, qui tui memória delectántur. Eia ergo fortis Athléta, dulcis Patróne, Advocáte fidélis, exúrge in adjutórium nobis : ut et nos de nostra ereptióne gaudeámus, et tu de plena victória gloriéris.

℟. Iste homo.

In iij. Nocturno Lectiones ut in Festo.

Lectio ix. com. S. Donati Episc. et Mart.

DOM. INFRA OCTAVAM
ASSUMPTIONIS B. M. V.

In Festo S. Joachim, Conf. Patris ejusdem B. M. V.

DUPLEX I. CLASSIS.

Omnia ut in Breviario, hac die.

Lectio ix. et com. Dominicæ occurrentis.

DIE XVI. AUGUSTI.

In Festo S. Rochi, Conf.

DUPLEX.

In Patriarchatu Goanensi.

Omnia ut in fine Breviarii, præter Lectiones de j. et ij. Nocturnis, de Comm. j. loco. Justus si morte. — Sint lumbi vestri.

DIE XVIII. AUGUSTI.

In Festo S. Hyacinthi, Conf.

DUPLEX. (m. t. v.)

Omnia ut in Breviario Romano, die xvj. hujus.

Et fit com. Octavæ Assumpt. et S. Agapiti Mart.

DOMINICA PÓST OCT.
ASSUMPTIONIS.

In Festo Purissimi Cordis B. M. V.

DUPLEX MAJUS.

Omnia ut in fine Breviarii, hac die.

Lectio ix. et com. Dnicæ.

OFFICIUM VOTIVUM,

Quod non dicitur in diebus impeditis a Festo novem Lectionum occurrente, vel translato, nec in Feriis Vigiliarum et Dominicæ anticipandæ.

SEMEL IN MENSE

Juxta superiorem Rubricam.

OFFICIUM VOTIVUM
S. FRANCISCI XAVERII,
CONFESSORIS,

Patroni Civitatis, ac Diœcesis Goanensis et Indiarum Orientalium.

(Ex Indult. Clementis XIII, 14 Februarii 1759.)

SEMIDUPLEX.

Omnia de Communi Conf. non Pont. præter sequentia.

ORATIO.

DEUS,qui Indiárum gentes beáti Francísci prædicatióne et miráculis Ecclésiæ tuæ aggregáre voluísti : concéde propítius ; ut, cujus gloriósa mérita venerámur, virtútum quoque imitémur exémpla. Per Dóminum.

Digitized by Google

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

FRANCISCUS in Xavério diœcésis Pampelonénsis nobílibus paréntibus natus, Parísiis sancto Ignátio sese cómitem et discípulum junxit. Ipso magístro eo brevi devénit, ut in rerum divinárum contemplatióne defíxus, a terra aliquándo sublímis elevarétur, quod illi sacrificánti coram pópuli multitúdine aliquóties evénit. Has ánimi delícias magnis sui córporis cruciátibus merebátur. Nam interdícto sibi, non carnis solum et vini, sed panis quoque tritícei usu, vílibus cibis vesci sólitus, per bíduum subínde triduúmque omni prorsus aliménto abstínuit. Férreis in se flagéllis ita sæviit, ut sæpe copióso cruóre difflúeret: somnum brevíssimum humi jacens carpébat.

℟. Honéstum fecit.

LECTIO V.

VITÆ austeritáte ac sanctitáte apostólico múneri jam matúrus, cum Joánnes Tértius Lusitániæ rex áliquot nascéntis Societátis viros a Paulo Tértio pro Indiis postulásset, sancti Ignátii hortátu, ab eódem Pontífice ad tantum opus cum apostólici Núntii potestáte delígitur. Eo appúlsus, fílico variárum géntium difficíllimis et váriis linguis divínitus instrúctus appáruit. Quin eum quandóque único idiómate ad divérsas gentes concionántem, unaquæque sua lingua loquéntem audívit. Províncias innúmeras pédibus semper et sæpe nudis peragrávit. Fidem Japóniæ, et sex áliis regiónibus invéxit. Multa centéna hóminum míllia ad Christum in Indiis convértit, magnósque príncipes, regésque complúres sacro fonte expiávit. Et cum tam magna pro Deo ágeret, ea erat humilitáte, ut sancto Ignátio, tunc Præpósito suo, flexis génibus scríberet.

℟. Amávit eum.

LECTIO VI.

HUNC dilatándi Evangélii ardórem, multitúdine, et excelléntia miraculórum Dóminus roborávit. Cæco visum réddidit, tantum marínæ aquæ signo crucis convértit in dulcem, quantum quingéntis vectóribus, qui siti adigebántur ad mortem, diu suffécit: qua in várias quoque regiónes asportáta, ægri plúrimi súbito curáti sunt. Plures mórtuos revocávit ad vitam; inter quos prídie sepúltum érui jussum e túmulo suscitávit, duósque álios, dum efferréntur, apprehénsa eórum manu, paréntibus e féretro vivos restítuit. Prophetíæ spíritu passim afflátus, plúrima et loco, et témpore remotíssima enuntiávit. Demum in Sanciáno Sinárum ínsula, die

Digitized by Google

secúnda Decémbris, óbiit plenus méritis, laboribúsque confféctus. Demórtui cadáver viva calce per multos menses bis óbrutum, sed pénitus incorrúptum, odóre et sánguine manávit: et ubi Málacam delátum est, pestem sævíssimam confféstim extínxit. Dénique ubíque terrárum novis, maximísque fulgéntem miráculis, Gregórius Décimus quintus Sanctis adscrípsit.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

LECTIO VII. *Cap.* 16. *c.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homilía S. Gregórii Papæ. *Homilia* 29. *in Evangelia.*

POTEST omnis creatúræ nómine omnis nátio géntium designári. Ante enim dictum fúerat: In viam géntium ne abiéritis: nunc autem dícitur: Prædicáte omni creatúræ: ut scílicet prius a Judæa Apostolórum repúlsa prædicátio tunc nobis in adjutórium fíeret, cum hanc illa ad damnatiónis suæ testimónium supérba repulísset. Sed cum discípulos ad prædicándum Véritas mittit, quid áliud in mundo facit, nisi grana séminis spargit? et pauca grana mittit in sémine, ut multárum méssium fruges recípiat ex nostra fide.

℟. Iste est qui ante Deum.

LECTIO VIII.

NEQUE étenim in univérso mundo tanta fidélium messis exúrgeret, si de manu Dómini super rationálem terram illa elécta grana prædicántium non veníssent. Séquitur: Qui credíderit, et baptizátus fúerit, salvus erit: qui vero non credíderit, condemnábitur. Fortásse unusquísque apud semetípsum dicat: Ego jam crédidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem opéribus tenet. Vera étenim fides est, quæ in hoc, quod verbis dicit, móribus non contradícit. Hinc est enim quod de quibúsdam falsis fidélibus Paulus dicit: Qui confiténtur se nosse Deum, factis autem negant.

℟. Sint lumbi vestri.

LECTIO IX.

SIGNA autem eos, qui creditúri sunt, hæc sequéntur: In nómine meo dæmónia ejícient, linguis loquéntur novis, serpéntes tollent, et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit: super ægros manus impónent, et bene habébunt. Numquídnam, fratres mei, quia ista signa non fácitis, mínime créditis? Sed hæc necessária in exórdio Ecclésiæ fuérunt. Ut enim ad fidem crésceret multitúdo credéntium, miráculis fúerat nutriénda. Quia et nos, cum arbústa

Digitized by Google

plantámus, támdiu eis aquam infúndimus, quoúsque ea in terra jam coaluísse videámus : et si semel radícem fíxerint, irrigátio cessábit. Hinc est enim quod Paulus dicit : Linguæ in signum sunt non fidélibus, sed infidélibus.

Te Deum laudámus.

COMMEMORATIONES
DE PATRONO VEL TITULARI

Inter suffragia Sanctorum adjiciendæ.

Prænotanda circa suffragia Sanctorum.

Ana, ℣℣. et Orationes, nisi aliter notetur, dicuntur in secundis Vesp. et Laud. diei Festi, ex Proprio vel Communi : variantur vero, si coincidant cum similibus in eodem Officio.

Suffragium Patroni vel Titularis omittitur, cum de eo dicitur Officium ; ne de eodem bis fiat.

Item Suffragium Titularis Ecclesiæ (etsi Cathedralis vel Collegiatæ) fit ab ejusdem Parocho, Canonicis, et Beneficiatis, vel ejus Choro adstrictis tantum : ceteri vero, licet sint ejusdem Ecclesiæ vel Parochiæ, debent eam facere de Patrono principali Diœcesis, ubi non adest proprius loci Patronus, quia tunc de isto et non de illo facienda est.

Item Suffragium B. M. omittitur, cum prædictum sit commune Sancta María succúrre, *etc. In omnibus Ecclesiis SS. Salvatori dicatis Suffragium sumi debet ex officio diei Festi Transfigurationis, nisi adsit speciale Sanctæ Sedis Indultum.*

Pro Diœcesi Patriarchali Goanensi.

DE S. FRANCISCO XAVERIO, PATRONO INDIÆ.

AD VESPERAS.

Ana. Hic vir despíciens mundum, et terréna, triúmphans, divítias cœlo cóndidit, ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

AD LAUDES.

Ana. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Orémus.

DEUS, qui Indiárum gentes beáti Francísci prædicatióne et miráculis Ecclésiæ tuæ aggregáre voluísti : concéde propítius, ut cujus gloriósa mérita venerámur, virtútum quoque imitémur exémpla.

Digitized by Google

In sola Eccl. Cathedr. Primatiali et Patriarchali.

DE S. CATHARINA,

VIRG. MART. TITUL.

AD VESPERAS.

Ańa. O magna, et singuláris Patróna jam de tua immortalitáte secúra, adhuc esto de nostra salúte solícita: eménsa illa, in qua cum Sponso epuláris, cadant nobis micæ intercessiónis tuæ, et habeámus per te, quod méritis nostris cónsequi non valémus.

AD LAUDES.

Ańa. Beáta Catharína orábat dicens: Dómine Jesu Christe, Deus meus, ago tibi grátias, quod statuísti supra petram pedes meos, et direxísti gressus meos: nunc exténde palmas, quæ pro me in Cruce fuérunt sauciátæ, et súscipe ánimam, quam sacrificávi pro te, et tua confessióne.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Orémus.

DEUS, qui dedísti legem Moysi in summitáte montis Sínai, et in eódem loco per Sanctos Angelos tuos corpus Beátæ Catharínæ Vírginis, et Mártyris tuæ mirabíliter collocásti: præsta, quæsumus, ut ejus méritis et intercessióne ad montem, qui Christus est, pervenire valeámus.

Pro Diœcesi Cochinensi. In sola Eccl. Cathedr.

DE S. CRUCE TITULARI.

Fit suffragium ordinarium S. Crucis.

Pro Diœcesi Meliaporensi. In sola Eccl. Cathedr. Civ. et Suburb.

DE S. THOMA, APOST.

TITUL. ECCL. CATHEDR. ET PATRONO CIVIT.

AD VESPERAS ET LAUDES.

Ańa. Quia vidísti me, Thoma, credidísti: beáti qui non vidérunt, et credidérunt.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Orémus.

DA nobis quæsumus, Dómine, beáti Apóstoli tui Thomæ, commemoratióne gloriári: ut ejus semper et patrocínio sublevémur, et fidem cóngrua devotióne sectémur.

COMMEMORATIONES COMMUNES, SIVE SUFFRAGIA SANCTORUM.

Pro Diœcesi Damanensi, cum Titulo Archiepiscopali Cranganorensi.

DE CRUCE.

In Feriali Officio etiam quando non dicuntur Preces.

AD VESPERAS ET LAUDES.

Ańa. Per signum Crucis de inimícis nostris líbera nos, Deus noster.

℣. Omnis terra adóret te, et psallat tibi. ℟. Psalmum dicat nómini tuo, Dómine.

Digitized by Google

Orémus. ORATIO.

PERPETUA nos, quæsumus Dómine, pace custódi : quos per lignum sanctæ Crucis redímere dignátus es.

Tempore autem Paschali, a Feria ij. post Dominicam in Albis usque ad Ascensionem, tam in Officio de Tempore, quam de Sanctis, nisi sit Duplex, aut infra Octavas, fit sequens.

AD VESPERAS.

Ańa. Crucem sanctam súbiit, qui inférnum confrégit, accínctus est poténtia : surréxit die tértia, allelúia.

AD LAUDES.

Ańa. Crucifíxus surréxit a mórtuis, et redémit nos, allelúia, allelúia.

℣. Dícite in natiónibus, allelúia. ℟. Quia Dóminus regnávit a ligno, allelúia.

Orémus. ORATIO.

DEUS, qui pro nobis Fílium tuum crucis patíbulum subíre voluísti,ut inimíci a nobis expélleres potestátem : concéde nobis fámulis tuis ; ut resurrectiónis grátiam consequámur. Per eúmdem Dóminum.

DE TITULARI ECCLESIÆ CATHEDRALIS DIŒCESIS DAMANENSIS.

In hac Ecclesia tantum.

AD VESPERAS.

Ańa. Vocábis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum fáciet pópulum suum a peccátis eórum, allelúia.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum, allelúia. ℟. Ex hoc nunc, et usque in sæculum, allelúia.

AD LAUDES.

Ańa. Dedit se, ut liberáret pópulum, et acquíreret sibi nomen ætérnum, allelúia.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cœlum et terram.

Orémus. ORATIO.

DEUS, qui unigénitum Fílium tuum constituísti humáni géneris Salvatórem, et Jesum vocári jussísti : concéde propítius ; ut,cujus sanctum Nomen venerámur in terris, ejus quoque aspéctu perfruámur in cœlis.

Pro tota Diœcesi.

DE PATRONA.

AD VESPERAS.

Ańa. O homo, réspice pietátis óculis Fílii mei sudórem, sánguinem, alapárum contuméliam , flagellórum durítiam, corónam spíneam, crucis suspéndium, óculos languéntes, acetósa pócula, caput inclinátum, et mortis supplícium.

℣. Secúndum multitúdinem dolórum meórum in corde meo. ℟. Consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

AD LAUDES.

Ańa. Tamquam latro cápitur úndeque constrictus, cæditur, conspúitur, álapis, afflictus.

O Matris angústiæ, cum audíret ictus ; pro nobis hæc tólerans sit Rex benedíctus.

℣. Lavábo per síngulas

Digitized by Google

noctes lectum meum. ℟. Lácrymis meis stratum meum rigábo.

Orémus. ORATIO.

DOMINE Jesu Christe,cujus acerbíssimæ Passiónis gládius piíssimæ Matris tuæ ánimam sic penetrávit,quod eam plusquam mártyrem fecit : tríbue, quæsumus ; ita nos dolórum ejus in terris memóriam ágere,ut ad contemplánda illíus gáudia in cœlis mereámur pervenire.

DE SANCTO JOSEPH,
SPONSO B. M. V.
AD VESPERAS.

Ańa. Ecce fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam.

℣. Glória et divítiæ in domo ejus. ℟. Et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

AD LAUDES.

Ańa. Ipse Jesus erat incípiens quasi annórum trigínta ut putabátur fílius Joseph.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Orémus. ORATIO.

DEUS, qui ineffábili providéntia beátum Joseph sanctíssimæ Genitrícis tuæ sponsum elígere dignátus es : præsta quæsumus ; ut, quem protectórem venerámur in terris, intercessórem habére mereámur in cœlis.

DE APOSTOLIS.
AD VESPERAS.

Ańa. Petrus Apóstolus, et Paulus Doctor géntium, ipsi nos docuérunt legem tuam Dómine.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

AD LAUDES.

Ańa. Gloriósi príncipes terræ quómodo in vita sua dilexérunt se,ita et in morte non sunt separáti.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Orémus. ORATIO.

DEUS, cujus déxtera beátum Petrum, ambulántem in flúctibus, ne mergerétur eréxit : et coapóstolum ejus Paulum tértio naufragántem de profúndo pélagi liberávit : exáudi nos propítius, et concéde ; ut ambórum méritis, æternitátis glóriam consequámur.

DE S. FRANCISCO
XAVERIO, PATRONO INDIÆ.
AD VESPERAS.

Ańa. Hic vir despíciens mundum, et terréna, triúmphans, divítias cœlo cóndidit, ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

AD LAUDES.

Ańa. Euge serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam,intra in gáudium Dómini tui.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Digitized by Google

Orémus. ORATIO.

DEUS, qui Indiárum Gentes beáti Francísci prædicatióne et miráculis Ecclésiæ tuæ aggregáre voluísti : concéde propítius ; ut cujus gloriósa mérita venerámur, virtútum quoque imitémur exémpla.

PRO S. ANTONIO

PATR. SEMINARII DAMANENSIS.

In Seminario tantum.

AD VESPERAS.

Ańa. O lingua benedícta, quæ Dóminum semper benedixísti, et álios benedícere docuísti : nunc perspícue cérnitur quanti mériti fúeris apud Deum.

℣. Amávit eum Dóminus et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

AD LAUDES.

Ańa. Favus distíllans lábia ejus : mel et lac sub lingua ejus.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Orémus. ORATIO.

ECCLESIAM tuam Deus, beáti Antónii Confessóris tui commemorátio votíva lætíficet : ut spirituálibus semper muniátur auxíliis, et gáudiis pérfrui mereátur ætérnis.

DE PATRONO,

VEL TITULARI ECCLESIÆ

Fiat commemoratio consueta ante, vel post Commemorationes prædictas pro dignitate illius, et ultimo loco :

DE PACE.

AD VESPERAS, ET LAUDES.

Ańa. Da pacem, Dómine, in diébus nostris, quia non est álius qui pugnet pro nobis nisi tu, Deus noster.

℣. Fiat pax in virtúte tua. ℟. Et abundántia in túrribus tuis.

Orémus. ORATIO.

DEUS, a quo sancta desidéria, recta consília, et justa sunt ópera : da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem ; ut et corda nostra mandátis tuis dédita, et hóstium subláta formídine, témpora sint tua protectióne tranquílla. Per Dóminum.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo. ℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias. ℣. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

Deinde dicitur secreto Pater noster.

Sic terminatur Officium, ubi alia non sequatur Hora.

Dictæ Commemorationes, seu Suffragia dicuntur ab Octava Pentecostes usque ad Adventum, et ab Octava Epiphaniæ usque ad Dñicam Passionis, exceptis Duplicibus, et infra Octavas.

Quando dicitur Officium B. M. V. non fit alia comm. de ea.

Digitized by Google

COMM. SS. CORDIS JESU
POST NONAM IN CHORO DICENDA.

Antiphona.

O ómnium pulchritúdine speciosíssime Jesu, ámplius lava me ab iniquitáte mea, et a peccáto meo munda me: ut purificátus per te puríssimum possim accédere, et in Corde tuo ómnibus diébus vitæ meæ mérear habitáre; et ut vidére simul et fácere tuam váleam voluntátem.

℣. Díscite a me, quia mitis sum, et húmilis corde. ℟. Et inveniétis réquiem animábus vestris.

Orémus.

FAC nos, Dómine Jesu, Sanctíssimi Cordis tui virtútibus índui, et affféctibus inflammári: ut et imágini bonitátis tuæ confórmes, et tuæ Redemptiónis mereámur esse partícipes. Qui vivis, et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Antiphona.

Tota pulchra es María.
Tota pulchra es María.
Et mácula originális non est in te.
Et mácula originális non est in te.
Tu glória Jerúsalem.
Tu lætítia Israel.
Tu honorificéntia pópuli nostri.
Tu advocáta peccatórum.
O María.
O María.
Virgo prudentíssima.
Mater clementíssima.
Ora pro nobis.
Intercéde pro nobis ad Dóminum Jesum Christum.

℣. In Conceptióne tua Virgo immaculáta fuísti. ℟. Ora pro nobis Patrem cujus Fílium peperísti.

Orémus.

DEUS, qui per Immaculátam Vírginis conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti; quæsumus, ut qui ex morte ejúsdem Fílii tui prævísa, eam ab omni labe præservásti, nos quoque mundos ejus intercessióne ad te pervenire concédas. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

PRO FUGANDA PESTE.

Antiphona.

Stella cœli extirpávit, quæ lactávit Dóminum, mortis pestem, quam plantávit primus parens hóminum. Ipsa stella nunc dignétur sídera compéscere, quorum bella plebem cædunt diræ mortis úlcere: O piíssima stella maris, a peste succúrre nobis. Audi nos Dómina; nam Fílius tuus nihil negans te honórat. Salva nos Jesu, pro

Digitized by Google

quibus Virgo Mater te orat. ℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus.

DEUS misericórdiæ, Deus pietátis, Deus indulgéntiæ, qui misértus es super afflictiónem pópuli tui, et dixísti Angelo percutiénti pópulum tuum: Cóntine manum tuam ob amórem illíus Stellæ glorióſæ, cujus úbera pretióſa contra venénum nostrórum delictórum, quam dúlciter suxísti: præsta auxílium grátiæ tuæ; ut ab omni peste, et improvísa morte secúre liberémur, et a totíus perditiónis incúrsu misericórditer salvémur. Per te Jesu Christe Rex glóriæ, Salvátor mundi, qui vivis, et regnas in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Imprimatur
Mechliniæ, die 27 Martii 1890.
† PETRUS LAMBERTUS, CARD. GOOSSENS,
Archiepiscopus Mechlinien.

MECHLINIÆ, H. DESSAIN. — MDCCCXC.

Digitized by Google

Digitized by Google

OFFICIA SANCTORUM

NOVA ET PROPRIA,

A SUMMIS PONTIFICIBUS

APPROBATA ET CONCESSA

PRO DIŒCESI METROPOLITANA GOANENSI, ORIENTIS PRIMATIALI, AC INDIARUM ORIENTALIUM PATRIARCHALI

ET EJUS SUFFRAGANEIS DD. ARCHIEPISCOPALI AD HONOREM CRANGANORENSI AC EPISCOPALI DAMAENSI, COCHINENSI ET MELIAPORENSI ATQUE MOSSAMBICENSI PRÆLATIA.

Præter Officia ut in Codice Regni Portugal. Brasil. et Algarb. usque ad præsentem annum.

PARS AUTUMNALIS.



MECHLINIÆ.
H. DESSAIN,
SUMMI PONTIFICIS, S. CONGREGATIONIS E PROPAGANDA FIDE ET ARCHIEPISCOPATUS MECHLINIENSIS TYPOGRAPHUS.
M. D. CCC. XC.

Digitized by Google

KALENDARIUM.

FESTA SEPTEMBRIS.

v. S. Laurentii Justiniani Episc. et Conf. *Duplex.*
xxv. Impressionis SS. Stigmatum in Corpore S. Francisci. *Duplex.*

FESTA OCTOBRIS.

Dom. iii. Oct. Pietatis B. M. V Patronæ Princ. Diœcesis Damaensis. *Duplex 1. cl. cum Octava.*
Dies infra Octavam Pietatis B. M. V. *Semiduplex.*
Dom. iv, Oct. Octava Pietatis B. M. V. *Duplex.*
xxi. S. Hedwigis Ducissæ, Viduæ. *Semiduplex.*
xxii. Dedicationis Basilicæ Mafrensis. *Duplex majus.*
xxiv. Raphaelis Archangeli. *Duplex.*

FESTA NOVEMBRIS.

Dom. post Oct. OO. SS. Patrocinii B.M.V. *Duplex majus.*
Dom. iv. Nov. SS. Crucifixi. *Duplex 2. classis.*
xv. Dedicat. Ecclesiæ SS. Cordis Jesu. *Duplex majus.*
xxv. S. Catharinæ, Virg. et Mart. Titul. Cathedr. Goanensis, *Duplex 1. cl. cum Octava.*
xxvi. S. Gertrudis, Virginis. *Duplex.*
xxvii. Die iij. infra Octavam S. Catharinæ.
xxviii. Die iv. infra Octavam S. Catharinæ.
xxix. Die v. infra Octavam S. Catharinæ.
xxx. S. Andreæ Apost. *Duplex 2. cl.*

FESTA DECEMBRIS.

i. Die vij. infra Octavam S. Catharinæ.
ii. In die Octava S. Catharinæ. *Duplex.*

Officium votivum S. Francisci Xaverii Conf. Patroni Civit. ac Diœc. Goanensis et Indiarum Orientalium. *Semiduplex.*

Digitized by Google

PRO ARCHIDIŒCESI GOANENSI

ET DIŒCESIBUS SUFFRAGANEIS.

DIE V. SEPTEMBRIS.

In Festo S. Laurentii Justiniani Episc. et Conf.

DUPLEX.

Omnia ut in Breviario Romano, hac die.

DIE XXV. SEPTEMBRIS.

In Festo Impressionis SS. Stigmatum in Corpore S. Francisci Conf.

DUPLEX.

Omnia ut in Breviario Romano, die xvij. hujus.

DOM. III. OCTOBRIS.

Et hac impedita in prima ex sequentibus Dñicis similiter non impeditis ex speciali Indulto S. Gregorii XVI, 13. Novembris 1842.

In Festo Pietatis B. Mariæ V. Patronæ Principal. Diœcesis Damaensis.

DUPLEX I. CL. CUM OCTAVA.

In Diœcesi Damaensi.

IN I. VESPERIS.

Ańa. O vos omnes, *cum reliquis de Laudibus, Psalmi ut in Festis B. M. V.*

CAPITULUM. *Jerem. c. i.*

FACTA est quasi vídua Dómina géntium, plorans plorávit in nocte et lácrymæ ejus in maxíllis ejus : non est qui consolétur eam ex ómnibus charis ejus.

HYMNUS.

PANGE lingua gloriósæ
Vírginis angústiam,
Lacrymásque venerándas,
Et cordis mœstítiam,
Quas eídem ipse passus
Vertit in lætítiam.
Verbum Sancti Simeónis
Comméndat memóriæ,
Signum contradictiónis
Fore Regem glóriæ,
Gládium transfixiónis,
Quod implétur hódie.
O vos omnes qui transítis
Per viam hujus sæculi,
Attendátis subsisténtes
Inérmis paupérculi,
Regísque latus cruéntum
Ictu sævi jáculi.
Mater sentit, quod non sentit
Caro jam exánimis,
Vulnus láteris manántis
Undam aquæ, et sánguinis,
Lavacrúmque lavans mundum
Instar vivi flúminis.
Glóriam Patri melódis
Personémus vócibus,
Glóriam Christo canámus,
Glóriam Paráclito,
In transfíxo virgináli
Corde, Christi láncea.
Amen.

℣. Secúndum multitúdinem dolórum meórum in corde meo. ℟. Consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

Ad Magnificat, Ańa. Dómine, gémitus meus a te non est abscónditus : afflícta sum, et humiliáta nimis, quia vim

Digitized by Google

faciébant,qui quærébant Fílium meum, et dolos cogitábant,ut eum morti tráderent, et non pepercérunt in fáciem ejus inspúere, et inter latrónes crucifígere.

ORATIO.

DOMINE Jesu Christe,cujus acerbíssimæ Passiónis gládius Piíssimæ Matris tuæ ánimam sic penetrávit,quod eam plusquam mártyrem fecit : tríbue quæsumus ; ita nos dolórum ejus in terris memóriam ágere,ut ad contemplánda illíus gáudia in cœlis mereámur pervenire. Qui vivis et regnas.

Ad Completorium et per Horas Hymni terminantur : Jesu tibi sit glória, qui natus.

Si hoc Festum careat j. Vesperis ; harum Hymnus dicitur ad Matutinum ; Hymnus Matutini ad Laudes, et Hymnus Laudum ad ij. Vesperas : sed si ij. Vesp. etiam careat ; tunc Hymnus j. Vesp. ad Matutinum, et Hymni Matut. et Laud. dicuntur ad Laudes sub ultima conclusione. Sit honor, *etc.*

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Cum María Vírgine férvide plorémus : * Fílium ejus crucifíxum, veníte , adorémus. *Psalm.* Veníte.

HYMNUS.

LIGNO crucis dum pendébat,
Natus Maríæ Vírginis,
Plangens Mater colligébat
Fluéntis undam sánguinis.

Post de cruce querebátur,
Ad cœlos mittens gémitus,
Quod in ea mactabátur
Ipsíus unigénitus.

Fera nimis et crudélis,
Quem induébam túnica,
Tu cruóre ex flagéllis
Pro veste tegis sérica.

Ego illum amplexári
Sæpe solébam bráchiis,
Quem tu strictum perforári
Clavis fecísti férreis.

Ego pavi hunc infántem
Dulci lacte virgíneo :
Tu afflígis moriéntem
Amáro potu félleo.

Caput ejus tam decórum
Coróna pungis spínea,
Quod ornábam sertis florum
Inter convállis lília.

Flecte ramos, arbor alta,
Et redde mihi Fílium :
Vel cum ipso simul macta
Matrem doléntem nímium.

Glória tibi, Dómine,
Defúncto coram vírgine,
Cum Patre, et Sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

Sic semper terminatur Hymnus prædictus.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Aspiciébam elevátam magnificéntiam Dómini super crucem, et flebam die ac nocte. *Psalm.* Dómine Dóminus noster. *cum reliquis ut in Festis B. M. V.*

Ant. Non sunt loquélæ, neque sermónes,quibus possit consolári Dómina géntium.

Digitized by Google

Ana. Ténebræ factæ sunt super terram, cum Mater plorat Fílium in cruce clamántem.

℣. Tota die contristáta ingrediébar. ℟. Dum afflígunt inimíci Fílium meum.

De Lamentatióne Jeremíæ Prophétæ.

LECTIO I. *Cap.* I.

EGRESSUS est a fília Sion omnis decor ejus: depósita est veheménter non habens consolatórem. Vide, Dómine afflictiónem meam, quóniam eréctus est inimícus. O vos omnes, qui transítis per viam, atténdite, et vidéte, si est dolor sicut dolor meus: quóniam vindemiávit me, ut locútus est Dóminus in die iræ furóris sui. De excélso misit ignem in óssibus meis, et erudívit me. Expándit rete pédibus meis, convértit me retrórsum; pósuit me desolátam tota die mœróre confectam. Infirmáta est virtus mea: dedit me Dóminus in manu, de qua non pótero súrgere. Idcírco ego plorans, et óculus meus dedúcens aquas, quia longe factus est a me convértens ánimam meam. Facti sunt Fílii mei pérditi, quóniam inváluit inimícus. Expándit Sion manus suas, non est qui consolétur eam.

℟. Deduc quasi torréntem lácrymas: * Et per diem, ac noctem non des réquiem tibi, neque táceat pupílla óculi tui. ℣. Effúnde sicut aquam cor tuum ante conspéctum Dómini, leva ad eum manus tuas, quia quem educásti et enutrísti, inimícus consúmpsit eum. Et per.

LECTIO II. *Cap.* I. ℣. 2.

VIDE, Dómine, quóniam tríbulor, conturbátus est venter meus, subvérsum est cor meum in memetípsa, quóniam amaritúdine plena sum foris interfécit gládius, et domi mors símilis est. Audiérunt, quia ingemísco ego, et non est, qui consolétur me. Omnes inimíci mei audiérunt malum meum: lætáti sunt, quóniam tu fecísti: Adduxísti diem consolatiónis, et fient símiles mei. Ingrediátur omne malum eórum coram te, et vindémia eos, sicut vindemiásti me; multi enim gémitus mei, et cor meum mœrens. Quómodo obtéxit calígine in furóre suo Dóminus fíliam Sion: projécit de cœlo in terram ínclytam Israel? Teténdit arcum suum, quasi inimícus: firmávit déxteram suam, quasi hostis: et occídit omne quod pulchrum erat visu in tabernáculo fíliæ Sion. Defecérunt præ lácrymis óculi mei: conturbáta sunt víscera mea: effúsum est in terra jecur meum, super contritióne fíliæ pópuli mei.

℟. Cor meum perforátur dolóribus, exspectábam bona, et venérunt mihi mala, præstolábar lucem, et cre-

Digitized by Google

puérunt ténebræ.* Interióra mea effudérunt absque ulla réquie, et prævenérunt me dies afflictiónis. ℣. Defécit in dolóre vita mea, et anni mei in gemítibus. Interióra.

LECTIO III. *Cap. 2. v 13.*

CUI comparábo te, vel cui assimilábo te, Fília Jerúsalem? cui exæquábo te, et consolábor te, virgo Fília Sion? Magna est enim velut mare contrítio tua: quis medébitur tui? Plausérunt super me mánibus omnes transeúntes per viam: sibilavérunt, et movérunt cápita sua super fíliam Jerúsalem: Hæccine est Urbs, dicéntes, perfécti decóris, gáudium univérsæ terræ? Aperuérunt super te os suum omnes inimíci tui, sibilavérunt: et fremuérunt déntibus suis, et dixérunt: devorábimus: en ista est dies, quam exspectabámus; invénimus, vídimus. Clamávit cor eórum ad Dóminum super muros fíliæ Sion. Deduc quasi torréntem lácrymas per diem ac noctem: non des réquiem tibi, neque táceat pupílla óculi tui. Consúrge, lauda in nocte in princípio vigiliárum. Effúnde sicut aquam cor tuum ante conspéctum Dómini.

℟. Quis mihi tríbuat, ut ego móriar pro te, Fili mi, quia coárctor nimis non valens succúrrere tibi: * Et dolóres mortis tuæ circumdedérunt me. ℣. Defécit in dolóre vita mea, e anni mei in gemítibus. Et. Glória Patri. Et.

IN II. NOCTURNO.

Aña. Flebat Mater ejus irremediabílibus lácrymis, dicens: Plorans plorábo, et dedúcet óculus meus lácrymas, quia non est, qui vicem meam dóleat.

Aña. Tremor apprehéndit eam: angústiæ, et dolóres tenuérunt eam, viderúntque omnes dolórem ejus esse veheméntem.

Aña. Elevávi vocem cum fletu magno, dicens: cor meum conturbátum est, derelíquit me virtus mea, et lumen oculórum meórum non est mecum.

℣. Defécit in dolóre vita mea. ℟. Et anni mei in gemítibus.

Ex Tractátu S. Bernárdi Abbátis.

LECTIO IV.

De Lamentatione V. M.

QUIS dabit cápiti meo aquam, et óculis meis fontem lacrymárum, ut possim flere per diem ac noctem? O vos fíliæ Jerúsalem, una mecum lácrymas fúndite. Cúrrite, Vírgines Sacræ, cúrrite, matres Christo castitátem vovéntes, omnes ad Vírginem cúrrite, quæ péperit Fílium. Aspiciébat Fílius benignissimo vultu Matrem plorántem, et verbis paucis vóluit eam consolári, sed nullo modo illa consolári póterat. Flebat dicéndo; et dicébat flendo: Fili mi,

Digitized by Google

Fili mi, væ mihi, væ mihi, quis dabit mihi, ut ego móriar pro te, Fili mi ? O derelícta, quid fáciam ? Móritur Fílius meus. Cur secum non móritur hæc mœstíssima Mater ejus ? Mi Fili, Fili mi, amor únice. Fili dulcíssime, noli me derelínquere, post te trahe me ad te ipsum, ut ego móriar tecum.Heu mihi solus móreris, moriátur tecum ista tua Génitrix. O mors mísera, noli mihi párcere. Tu mihi sola præ cunctis places.Trucída Matrem, cum Fílio périme simul.Fili, dulcor únice, singuláre gáudium, vita ánimæ meæ, fac, ut ego ipsa nunc tecum móriar, quæ te ad mortem génui, in tuo me súscipe patíbulo, ut qui una carne vivunt, et uno amóre se díligunt, una morte péreant.

℟. Caligavérunt óculi mei a fletu meo, planxerúntque donec defícerent in eis lácrymæ * Et effudérunt sánguinem, quasi aquam, dolor enim convértit aquas eórum in sánguinem. ℣. Consolátio abscóndita est ab óculis meis, nihílque respícere possum, nisi malum. Et.

Lectio v.

Overe Dei nate : tu mihi Pater : tu mihi Mater : tu mihi Fílius : tu mihi Sponsus : tu mihi ánima eras. Nunc orbor Patre : víduor Sponso : désolor Fílio : ómnia perdo ! O Fili mi, ultra quid fáciam ? O Fili dulcíssime, quid fecísti ? Quare crudelíssimi Judæi te crucifixérunt ? Quæ causa mortis tuæ ? Commisístine scelus, ut tali morte damnaréris ? Non Fili, non Fili ! Sed sic tuos redímere dignátus es, ut pósteris exémpla relínquas. In grémio meo nunc te mórtuum téneo.Quid Ego tua Mater, Fili mi dulcíssime, fáciam ? Væ mihi, Fili mi, dulcédo mea, consolátio mea,vita mea ! Ubi est illud gáudium indicíbile, quod in tua admirábili Nativitáte hábui ? Væ mihi, Fili mi, in quantum dolórem et tristítiam versum est illud tam magníficum gáudium ! Succúrre mihi, Fili mi, et Spíritum Sanctum mihi ínterim infúnde. Deus meus, miserére mei, et réspice in me.

℟. Ecce dolóris gládius, quem timébam, evénit mihi, Dómine. * Dimítte me, ut plangam páululum dolórem meum. ℣. Ubi est ergo nunc Fílius meus,præstolátio mea, et patiéntia mea, Dómine Deus meus ? Dimítte.

Lectio vi.

Dum ígitur Joseph, et Nicodémus Dóminum pónerent in Sepúlcro, volébat simul cum illo Mater mœstíssima sepelíri. Erat enim innixa super diléctum suum, quem ampléctens, suavitérque deósculans, sic dicébat : Miserémini mei, miserémini mei, saltem vos, amíci mei. Illum adhuc páululum mihi

Digitized by Google

relínquere, ut fáciem ipsíus subláto velámine váleam contemplári, et præ amóre ipsíus aliquántulum vidéndo consolári. Nolíte, quæso, eum tam cito trádere sepultúræ, sed ipsum réddite mihi matri suæ : ut illum mecum hábeam saltem vel defúnctum : aut si illum in sepúlcro recónditis, ibídem me Matrem cum illo sepelíte, quia male post ipsum supérero. Ut quid post ipsum vivam ? Illi ponébant Dóminum in sepúlcro : et illa eum ad se tráhere desiderábat. Sepúlto ítaque Dómino, Mater ejus sepúlcrum ampléctitur : et voce, qua póterat, suum benedicébat Fílium jam sepúltum : ingemiscénsque vocábat. Tam pie plorábat, quod sui planctus pietáte multos étiam invítos ad lácrymas provocábat. Fiébat planctus quocúmque María transíbat. Ómnésque plorábant, qui obviábant ei.

℟. Quómodo sedet sola cívitas Dei, plena divítiis cœli : facta est quasi vídua Dómina géntium : * Non est, qui consolétur eam ex ómnibus charis ejus. ℣. Plorans plorávit in nocte, et lácrymæ ejus in maxíllis ejus. Non. Glória Patri. Non.

IN III. NOCTURNO.

Ana. Affixérunt spíritum sanctum ejus, et ipsa gemens convérsa est retrórsum.

Ana. Defécit caro mea et cor meum : ad níhilum redácti sunt omnes artus mei.

Ana. Non cessávit vox mea a plorátu : neque a lácrymis óculi mei.

℣. Tristis est ánima mea usque ad mortem. ℟. Et aflictióne repléta sum nimis.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

LECTIO VII. *Cap.* 19.

IN illo témpore : Stabant autem juxta crucem Jesu Mater ejus, et soror Matris ejus María Cléophæ, et María Magdaléne. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi in Joánnem.

CRUCIFIXO Dómino posteáquam divísio vestimentórum ejus, étiam sorte missa, compléta est, quæ deínde narret Evangelísta, videámus. Stabat autem juxta crucem Jesu Mater ejus. Hæc nimírum est illa hora, de qua Jesus aquam conversúrus in vinum, díxerat Matri : quid mihi et tibi est múlier ? nondum venit hora mea. Hanc ítaque horam prædíxerat, quæ tunc nondum vénerat, in qua debéret agnóscere moritúrus, de qua fúerat mortáliter natus. Tunc ergo divína factúrus non divinitátis, sed infirmitátis Matrem velut incógnitam repellébat. Nunc autem humána jam pátiens, ex qua fúerat factus homo afféctu commendábat humáno. Tunc enim qui Maríam creáverat, innotescébat virtúte.

Digitized by Google

Nunc vero, quem María pepérerat, pendébat in cruce. Morális ígitur insinuátur locus, facit quod faciéndum ádmonet, et exémplo suo, suos minístros instrúxit præcéptor bonus, ut a fíliis piis impendátur cura paréntibus; tamquam lignum illud, ubi erant fixa membra moriéntis, étiam cáthedra fúerit Magístri docéntis.

℟. Jesus videns Matrem stantem juxta crucem compassióne vírginis compássus, ait : * Múlier, ecce Fílius tuus. ℣. Deínde Discípulo : ecce Mater tua. Múlier.

De Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Lectio viii.

Consídera quómodo crucifíxus ómnia sine áliqua perturbatióne transégit, Discípulo Matrem commendávit, prophetías implévit, latróni spem bonam dedit. Atqui ántequam crucifigerétur, sudávit, perturbátus est, tímuit : quid hoc sibi vult? Nihil dúbii, nihil non maniféstum, illic enim natúræ imbecíllitas, hic potéstas demonstráta est. Prætérea his nos duóbus ádmonet, ut licet ante malis perturbémur, non tamen abstinéndum est, quin ea subeámus et cum in certámen descéndimus, ómnia facília et lévia putánda sunt. Nolímus ergo mortem formidáre. Consídera quómodo imbecíllior sexus tunc fórtior appáruit. Ita ómnia reformávit, ipse Matrem comméndans, inquit : ecce Fílius tuus. O honórem, quem Discípulo tríbuit! Cum enim jam abíret, Matris curam Discípulo relíquit : nam cum par esset útpote Matrem dolére, et protectiónem quærere, mérito dilécto comméndat.

℟. Sol obscuritáte se índuit : dies se in noctem mutávit : terra se tremóre concússit : et templi scissum est velum. * Cum in cruce móriens Salvátor, trádidit spíritum. ℣. Non defécit ex dolóre Mater ejus, etsi ad mortem usque lassáta est. Cum. Glória Patri. Cum.

Lectio ix. ex Homilia Dominicæ occurrentis.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. O vos omnes, qui transítis per viam, atténdite, et vidéte, si est dolor sicut dolor meus. *Psalmi de Dominica.*

2. Quis dabit cápiti meo aquam, et óculis meis fontem lacrymárum, et plorábo die ac nocte Fílium meum?

3. Submérsum est cor meum in memetípsa, quóniam amaritúdine plena sum.

4. Versa est in luctum cíthara mea, et órganum meum in vocem flentis.

5. Cécidit coróna de cápite meo, et defécit gáudium cordis mei.

Digitized by Google

CAPITULUM. *Jerem.* 1. *c.*

FACTA est quasi vídua Dómina géntium, plorans plorávit in nocte et lácrymæ ejus in maxíllis ejus : non est qui consolétur eam ex ómnibus charis ejus.

HYMNUS.

O GLORIOSA Dómina,
Quæ tua cruci ánima,
Cum Barábbas dimíttitur,
Et pœnas Christus pátitur.
Pastórem, heu, percútiunt,
Oves dispérsæ fúgiunt :
Te sola cum Discípulo,
Manénte sub patíbulo.
Nec mirum si sis ánxia,
Visa crudéli fúria,
Te sciens puram Vírginem
Deum genuísse, et hóminem.
Sit honor, laus, devótio
Jesu, Maríæ Fílio,
Tenso Crucis patíbulo
Pro rediméndo pópulo.
Amen.

Sic terminatur semper Hymnus prædictus.

℣. Lavábo per síngulas noctes lectum meum. ℟. Lácrymis meis stratum meum rigábo.

Ad Benedictus, *Aña.* Tanquam latro cápitur úndique constrictus, cæditur, conspúitur, alápis afflíctus. O Matris angústiæ, cum audíret ictus; pro nobis hæc tólerans sit Rex benedíctus.

ORATIO.

DOMINE Jesu Christe, cujus acerbíssimæ Passiónis gládius Piíssimæ Matris tuæ ánimam sic penetrávit, quod eam plusquam mártyrem fecit : tríbue quæsumus; ita nos dolórum ejus in terris memóriam ágere, ut ad contempránda illíus gáudia in cœlis mereámur pervenire. Qui vivis et regnas.

Ad Primam, in ℟. *br.* ℣. Qui passus es in cruce.

AD TERTIAM.

Aña. Quis dabit.

Capit. Facta est *ut supra.*

℟. br. Tota die * Contristáta ingrediébar. Tota. ℣. Dum afflígunt inimíci Fílium meum. Contristáta. Glória Patri. Tota. ℣. Defécit in dolóre vita mea. ℟. Et ánima mea in gemítibus.

AD SEXTAM.

Aña. Submérsum est.

CAPITULUM. *Jerem. c.* 1.

OMNES persecutóres ejus apprehendérunt eam inter angústias, et ipsa oppréssa est amaritúdine.

℟. *br.* Defécit * In dolóre vita mea. Defécit. ℣. Et ánima mea in gemítibus. In dolóre. Glória Patri. Defécit.

℣. Tristis est ánima mea usque ad mortem. ℟. Et afflictióne repléta sum nimis.

AD NONAM.

Aña. Cécidit.

CAPITULUM *Jerem. c.* 1.

EGRESSUS est a fília Sion omnis decor ejus, quia depósita est veheménter non habens consolatórem : manum suam misit hostis ad ómnia desiderabília ejus.

℟. *br.* Tristis est ánima mea * Usque ad mortem. Tristis. ℣. Et afflictióne re-

Digitized by Google

pléta sum nimis. Usque. Glória Patri. Tristis.

℣. Lavábo per síngulas noctes lectum meum. ℟. Lácrymis meis stratum meum rigábo.

In ij. Vesperis omnia ut in j. sed ad Magnificat, Ańa. O homo, réspice pietátis óculis Fílii mei sudórem, sánguinem, alapárum contuméliam, flagellórum durítiam, corónam spíneam, crucis suspéndium, óculos languéntes, acetósa pócula, caput inclinátum, et mortis supplícium.

Et fit com. Dńicæ.

DIE INFRA OCTAVAM

Pietatis B. Mariæ Virg.

SEMIDUPLEX.

In Diœcesi Damaensi.

Omnia ut in Festo præter Lectiones j. Nocturni de Scriptura occurrente.

DIE XXI. OCTOBRIS.

In Festo S. Hedwígis Ducissæ, Viduæ.

SEMIDUPLEX.

Omnia ut in Breviario Romano, die xvij. hujus.

Lectio ix. et com. S. Hilarionis Abb. Conf. et SS. Ursulæ et Soc. Mart.

DOM. IV. OCTOBRIS.

De Octava Pietatis B. M. V.

DUPLEX.

In Diœcesi Damaensi.

Omnia ut in Festo Pietatis B. M. V.

In j. Nocturno Lectiones de Dominica occurrente.

Lectio ix. et com. Dńicæ occurrentis.

DIE XXII. OCTOBRIS.

In Festo Dedicationis Basilicæ Mafrensis.

DUPLEX MAJUS.

Omnia ut in Comm. Dedicat. Ecclesiæ.

DIE XXIV. OCTOBRIS.

In Festo S. Raphaelis Archangeli.

DUPLEX.

Omnia ut in fine Breviarii Romani hac die.

DOMINICA

POST OCT. OMNIUM SANCTOR.

In Festo Patrocinii B. M. V.

DUPLEX MAJUS.

Omnia ut in Festis B. M. V. per annum.

In Ańa ad Magnificat. Sancta María, *et in ℣. Respons. 8 dicatur*..... célebrant tuum sanctum Patrocínium.

Si transferri contingat in Adventum, ix. Ańa erit : Angelus Dómini nuntiávit Maríæ, et concépit de Spíritu sancto. *S. R. C. 25 Augusti 1818.*

DIE XV. NOVEMBRIS.

In Festo Dedicationis Ecclesiæ SS. Cordis Jesu.

DUPLEX MAJUS.

Omnia de Comm. Dedicat. Ecclesiæ, ut in Breviario Romano.

In ij. Vesperis comm. sequentis in codice Regni Portugalliæ.

DOM. IV. NOVEMBRIS.

In Festo SS. Crucifixi.

DUPLEX 2. CLASSIS.

Omnia ut in Festo SS. Redemptoris in fine Breviarii Romani pro Dńica tertia

Digitized by Google

Julii, vel die xxiij. Octobris, præter sequentia.

℟. *v.* Intuére, Dómine, quia facta est desoláta cívitas plena divítiis : Sedet in tristítia Dómina géntium. * Non est, qui consolétur eam, nisi tu Deus noster. ℣. Plorans plorávit in nocte, et lácrymæ ejus in maxíllis ejus. * Non est.

Additamentum vj. Lectioni.

Hanc ígitur imménsæ largitátis cleméntiam osténdere dignátus est Deus erga pópulum Venetiárum dira tunc témporis pestiléntia vexátum sed voto facto inviséndi quotánnis Templum in honórem Sanctíssimi Redemptóris a fundaméntis públicæ magnificéntia pietátis extrúctum, non multo post extíncto morbo summa tótius civitátis lætítia prístinæ incolumitáti se videt restitútum, ut autem accépti benefícii recordátio, et cultus erga Salvatórem nostrum augerétur in dies, Offícium próprium, et Missam sub título Sanctíssimi Redemptóris, quæ Innocéntius Décimus tértius Románus Póntifex ómnibus utriúsque sexus Christi fidélibus Venétiis exisséntibus, qui ad Horas Canónicas tenéntur, síngulis annis Domínica tértia Júlii occurrénte recitánda concessit, Benedíctus Décimus tértius ítidem Románus Póntifex ad totum statum, et domínium Vénetum exténdit. Et Benedíctus Décimus quartus Moniálibus Sanctæ Mónicæ Goánæ civitátis idem indúlsit, quo laudarétur Sanctíssima Cruxifíxi Imágo, quæ in earúmdem Monastério signis, et miráculis corúscat, pro Domínica última Septémbris ab eísdem Moniálibus recitándum. Tu autem.

℟. Ornavérunt fáciem Templi corónis áureis, et dedicavérunt altáre Dómino. * Et facta est lætítia magna in pópulo. ℣. In hymnis, et confessiónibus benedicébant Dóminum. * Et. Glória Patri. * Et.

Lectio ix. et com. Dñicæ.

DIE XXV. NOVEMBRIS.

In Festo S. Catharinæ, Virg. et Mart. Titul. Cathedr. Primatialis et Patriarchalis Goanensis.

DUPLEX I. CL. CUM OCTAVA.

In Patriarchatu Goanensi et Mossambicensi Prælatia.

IN I. VESPERIS.

Ańa. Magnæ Catharínæ festa recólimus, Patrónæ triumphálem agónem celebrámus, quæ sapiéntia, et fortitúdine sua dominata est in médio inimicórum suórum. *Psalmi de Comm. Virg.*

Ańa. Sit nomen Dómini benedíctum, qui talem sibi elégit Sponsam, et qui talem nobis dedit Patrónam, cujus nomen laudábile est a solis ortu usque ad occásum.

Ańa. Roga, Virgo Sanctís-

Digitized by Google

sima, quæ ad pacem sunt Civitátis tuæ : fiat ei pax in intercessióne tua,et ómnium bonórum abundántia diligéntibus nomen tuum.

Ána. Nisi tu intercésseris pro Civitáte ista,vanum erit nobis ante lucem súrgere, et frustra vigilábunt qui custódiunt eam.

Ána. Lauda Metrópolis Orientális, Dóminum Deum tuum : quóniam per intercessiónem Beátæ Catharínæ tuæ confortávit Deus seras portárum tuárum, et benedíxit fíliis tuis in te.

CAPITULUM. 2. *Cor.* 10.

FRATRES, qui gloriátur in Dómino gloriétur : non enim qui seípsum commendat, ille probátus est, sed quem Deus commendat.

HYMNUS.

CLARAM trophæis Vírginem
Urbis Goénsis Præsidem
Trino decóram stémmate
Laudémus omnes Príncipem.

Cujus coróna vérticem
Ambit, corúscum déxtera
Ensem, sinístra dógmata
Sacro libéllo sústinet.

Cujus cor igni cóngruo
Ardet, refúlget lúmine
Mens, lingua dives vócibus
Fandi magístros édocet.

Quam firma gestat péctora
Munita Virgo grátia,
Quam fortis hostes déspicit,
Quam læta perfert vúlnera.

Sæve leóne sævior
Tyránne, acútis énsibus
Para rotárum máchinam,
Compáge rupta córruet.

Reclúde tetro cárcere :
Cibum negáto, vírgini :
Intrábit alis ócyor,
Feret colúmba fércula.

Sævíre pergis ? Fálleris.
Virgo triúmphat láureis,
Tulére corpus cœlites,
Recépit æther Spíritum.

Deo perénnis glória
Qui infírma reddit fórtia,
Mutat labórem gáudiis,
Corónat, et dat præmia.

Amen.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Ad Magnificat, Ána. Magníficat hæc Metrópolis Dóminum, et exúltat in triumpháli agóne Catharínæ Sponsæ suæ : fac tu Deus poténtiam in bráchio tuo,et civitátem istam reple bonis, ita ut beátam eam dicant omnes infidéles natiónes.

ORATIO.

DEUS, qui dedísti legem Móysi in summitáte montis Sínai, et in eódem loco per Sanctos Angelos tuos corpus Beátæ Catharínæ, Vírginis et Mártyris tuæ, mirabíliter collocásti : præsta, quæsumus, ut ejus méritis et intercessióne ad montem, qui Christus est, pervenire valeámus. Qui tecum vivit.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem Vírginum Dóminum * Veníte, adorémus. ℣. Veníte, exultémus.

Digitized by Google

HYMNUS.

VIRGINIS magna tríplici coróna
Sánguinis claræ sóphiæ pudóris,
Quam dedit Nili Pharos alta, palmas,
Pángimus ore.
Luce doctrínæ ténebras fugávit
Dóctior, mentis procul omnis error,
Solis istíus rádiis fugátus,
Orbe recéssit.
Núptias Sponsi melióris Agni
Prætulit, signo fídei recépto
Servat huic totum Catharína Sponso
Virgo pudórem.
Non minis cessit, précibus nec ullis :
Príncipis tædas répulit pudíca :
Régium sprevit diadéma, sceptrum,
Sprevit honóres.
Vicit hæc, vicit trucis hostis iram,
Vicit insáni rábiem Tyránni,
Vicit et cultros pósitos in orbe
Læta rotárum.
Lácteum fudit moribúnda Virgo
Sánguinem, collo gládio recíso,
Mira res ! talis fídei decébat
Unda magístram.
Nosce nutrícem, cápite amputáto
Ense cum sacro, níveum cruórem
Præbuit lactis spécimen feréntem
Láctea cervix.
Non tulit cœlum jacuísse corpus,
Spíritum cujus rápuit per auras :
Sústulit Sina chorus Angelórum
Monte locándum.
Indiæ custos, Oriéntis Urbis
Príncipis Præses, decus orbis almam
Obtine pacem pópulis tuére
Indica regna.
Nulla nascántur fera bella ; nata
Pelle : primævi rédeant triúmphi,
Hóstibus victis : véniant secúndæ
Clássibus auræ.
Créditas undis maris æstuósi
Sóspita merces sólito favóre,
Et Lusitános pópulos amóris
Fœdere junge.
Laus Deo, virtus, decus ac potéstas
Qui Goæ talem tríbuit Patrónam,
Taléque auróræ jubar, et refúlgens
Sidus Olympo. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Ex ore Catharínæ sponsæ tuæ perfecísti tu Deus laudem propter inimícos tuos : ita ut redderétur admirábile Nomen tuum in univérsa terra. *Psalm.* Dómine Dóminus noster *cum reliquis de Comm. Virg.*

Digitized by Google

Ańa. In Oriénte per sanctos Angelos tuos posuísti tabernáculum córporis sponsæ tuæ Catharínæ, et ejus ánimam tu tamquam sponsus deduxísti, et cum glória suscepísti, in templo glóriæ tuæ.

Ańa. Catharína ínnocens mánibus, et mundo corde accépit benedictiónem a Dómino : ascéndit in montem Dómini,et stetit in loco sancto ejus.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde et regna.

Lectiones de Epistola prima Beati Pauli Apostoli ad Corinthios, De virgínibus, *sed* ℟℟. *propria quæ sequuntur.*

℟. j. Catharínam Vírginem Alexandrínam natúra ornávit, et grátia : dedit natúra nobilitátem, et decórem, et velut áltera Esther fuit formósa, et incredíbili pulchritúdine, et ómnium óculis gratiósa et amábilis videbátur, * Sed omnis glória ejus ab intus fímbriis áureis circumamícta varietátibus. ℣. Fallax grátia et vana est pulchritúdo, múlier timens Dóminum ipsa laudábitur. Sed omnis.

℟. ij. Propter ánimæ insígnem pulchritúdinem adamátur a vírginum sponso * Qui pósuit diadéma regni in cápite ejus, et ánnulum in manu ejus, et facta est ei in sponsam. ℣. Veni de Líbano sponsa mea, veni de Líbano, veni, et coronáberis de vértice Sanir, et Hermon. Qui pósuit.

℟. iij. Cum Maximínus in Christiános fúreret, assúmpsit Catharína duas sócias sapiéntiam, et fortitúdinem, et eis comitáta ipsum ádiit Maximínum.* Et fortitúdine ei nefáriam immanitátem objécit : sapiéntia vero demonstrávit fidem esse ad salútem necessáriam. ℣. Accínxit fortitúdine lumbos suos, et sapiéntia roborávit bráchium suum, et manum suam misit ad fórtia.Et.Glória Patri. Et.

IN II. NOCTURNO.

*Ańa.*Speciósus forma præ fíliis hóminum concupívit decórem Catharínæ sponsæ suæ, et dedúxit eam mirabíliter déxtera sua.

Ańa. Efférbuit tyránnus in cruciátibus ejus : at vero Deus arcum contrívit, confrégit rotas,et scuta combússit igni.

Ańa. Magnus Dóminus, et laudábilis nimis sapiéntia,et fortitúdine Catharínæ sponsæ suæ, tam in civitáte Ecclésiæ quam in monte sancto glóriæ suæ.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus non commovébitur.

Lectiones ut in Breviario, sed ℟℟ *quæ sequuntur.*

℟. iv. Doctíssimi Philósophi, qui ad convincéndam Catharínam accersíti fúe-

Digitized by Google

rant, ab ea convícti veritátem confiténtur et qui erant magístri erróris, facti sunt discípuli veritátis. * Super ómnia enim vicit véritas. ℣. Nova bella elégit Dóminus, et portas hóstium ipse confrégit. Super ómnia.

℟. v. Fremens Imperátor ob Vírginis victóriam sapiéntes non tam victos,quam victóres jubet combúri, at illi lætántes ibant ad supplícium tamquam beátæ Vírginis præcursóres, et transeúntes per ignem vitam dedérunt pro Christo. * Córpora autem illórum illæsa repérta sunt. ℣. Cum ambuláveris in igne, non comburéris, et flamma non ardébit in te. Córpora autem.

℟. vj. Victrícem Catharínam Maximínus blandítiis ac promíssis de senténtia dedúcere aggréditur,et eam invítat ad imperiále connúbium : * Quod ipsa spernit nobilióri jam præoccupáta sponso. ℣. Fide major effécta, quam posset esse imperiáli connúbio negávit se velle esse uxórem Imperatóris magis éligens afflígi cum pópulo Dei,quam temporális peccáti habére jucunditátem. Quod ipsa.Glória Patri. Quod ipsa.

IN III. NOCTURNO.

Ana. Annúntians inter sapiéntes glóriam Dei demonstrávit, quóniam omnes dii géntium dæmónia ; Dóminus autem cœlos fecit.

Ana. Tanta parta victória confúsi sunt omnes,qui adorábant sculptília, et qui gloriabántur in simulácris suis : audívit eam et lætáta est Sion Ecclésia Dei.

Ana. Fremens Imperátor, et confúsus vária exquírit, et præparat torménta contra sponsam Christi : sed salvávit eam déxtera ejus,et bráchium sanctum ejus.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam.℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Léctio Sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII. *Cap.* 25.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum cœlórum decem Virgínibus , quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso, et sponsæ. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 23. *de verb. Domini.*

ETIAM ipsas Vírgines, et ipsas feréntes lámpades, álias dixit prudéntes álias stultas.Unde intuémur ? Unde discérnimus ? De óleo. Aliquid magnum signíficat óleum : valde magnum. Putas, non cháritas est ? Quæréndo dícimus, non senténtiam præcipitámus. Unde mihi videátur óleo cháritas significári dicam vobis.Apóstolus dicit adhuc supereminentiórem vobis viam , quam demónstrat : Si linguis

Digitized by Google

hóminum loquar, et Angelórum, charitátem autem non hábeam, factus sum velut æramentárium, aut cymbalum tínniens.

℟. vij. Pavit Deus in cárcere sponsam suam per dies úndecim colúmbæ ministério, et inde edúctam de rotárum gládiis mirabíliter liberávit : tandem secúri percússa lac dedit pro sánguine : * Ut illíus Agni sponsa, in cujus sánguine Sanctórum stolæ dealbántur. ℣. Beáti, qui lavant stolas suas in sánguine Agni, ut sit potéstas eórum in ligno vitæ, et per portas intrent in civitátem. Ut.

Lectio viii.

Ipsa est superéminens via id est, cháritas, quæ mérito óleo significátur : ómnibus enim liquóribus óleum superéminet. Mitte aquam, et superinfúnde óleum, superéminet. Si órdinem serváveris, vincit, cháritas nunquam cadit. Quid ergo fratres ? Jam disceptémus de quinque virgínibus prudéntibus et quinque fátuis : voluérunt óbviam ire sponso. Quid est ire óbviam sponso ? Corde ire, expectáre ejus advéntum, sed ille tardábat.

℟. viij. Beáta Virgo, cujus ánima láqueis contrítis evolávit ad Christum, et ne corpus in potestáte remanéret tyránni, in Sina Arábiæ monte mirabíliter collocátur. * Anima cum sponso in cœlo regnat, córporis thesáurus ab orientáli plaga possidétur. ℣. Quæ est ista, quæ ascéndit de desérto, delíciis áffluens innixa super diléctum suum ? Anima. Glória Patri. Anima.

Lectio ix.

Prudentes autem illæ tulérunt óleum secum in vasis suis : Stultæ vero illæ non tulérunt óleum secum in vasis suis. Unde dicit Apóstolus : Glória nostra hæc est, testimónium conscientiæ nostræ. Ibi óleum, magnum óleum, de dono Dei est hoc óleum. Dénique hómines óleum míttere intro possunt, olívam creáre non possunt. Ecce hábeo óleum : de dono Dei est. Habes óleum ? Porta tecum. Quid est porta tecum ? Intus habe, ibi place Deo.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES,
et per Horas, Añæ.

1. Induit Dóminus Catharínam sponsam suam decóre, et fortitúdine, et ídeo invícta éxtitit et victrix de ómnibus inimícis suis. *Psalm.* Dóminus regnávit, *cum reliquis Psalmis de Dominica.*

2. Stans Catharína in médio sapiéntum demonstrávit, quóniam Dóminus ipse est Deus : ipsi vero introiérunt portas Ecclésiæ in confessióne, et átria glóriæ ingréssi in hymnis confiténtur Dómino.

Digitized by Google

3. In velaménto alárum tuárum exultávi, et ídeo inimíci Dómini in vanum quæsiérunt ánimam meam : adhæsit enim ánima mea post te, me suscépit déxtera tua.

4. Bénedic Catharína Dóminum, quia illíus sponsa facta es, cui benedícunt, et sérviunt ómnia ópera ejus.

5. Júvenes et vírgines, senes cum junióribus laudent Beátam Vírginem Catharínam, quia exaltátum est per eam nomen Dómini solíus.

Capitulum, et Hymnus ut supra in Vesperis.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Benedictus, Aña.

Beáta Catharína orábat dicens : Dómine Jesu Christe Deus meus, ago tibi grátias, quod statuísti supra petram pedes meos,et direxísti gressus meos : nunc exténde palmas, quæ pro me in Cruce fuérunt sauciátæ, et súscipe ánimam, quam sacrificávi pro te, et tua confessióne.

ORATIO.

DEUS, qui dedísti legem Móysi in summitáte montis Sínai, et in eódem loco per Sanctos Angelos tuos corpus Beátæ Catharínæ, Vírginis et Mártyris tuæ, mirabíliter collocásti : præsta, quæsumus, ut ejus méritis et intercessióne ad montem, qui Christus est, pervenire valeámus. Qui tecum vivit.

Ad Tertiam, Sextam, et Nonam, Capitula et ℟℟. *brevia de Comm. Virg.*

In ij. Vesperis omnia ut in primis præter sequentia.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnificat, Aña.

O magna, et singuláris Patróna jam de tua immortalitáte secúra : adhuc esto de nostra salúte sollícita : e mensa illa,in qua cum sponso epuláris, cadant nobis micæ intercessiónis tuæ, et habeámus per te, quod méritis nostris cónsequi non valémus.

Oratio ut supra, et nulla fit commem. nisi Dominicæ, si sequenti die occurrat.

Missa propria ut in Missali sed in ea dicitur Credo *per totam Octavam.*

DIE XXVI. NOVEMBRIS.

In Festo S. Gertrudis Virg.

DUPLEX.

Omnia ut in Breviario, die xv. hujus.

Et fit comm. Octavæ S. Catharinæ.

Lectio ix. et commem. S. Petri Alexandrini Episc. et Mart. ut in Breviario hac die.

DIE XXVII. NOVEMBRIS.

Tertia die infra Octavam S. Catharinæ.

Omnia ut in Festo præter sequentia.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

Digitized by Google

IN II. NOCTURNO.

De Sermóne S. Ambrósii Epíscopi.

LECTIO IV. *Lib.* I. *de Virg.*

EGO licet laudatiónem non suscéperim virginitátis, sed expressiónem, ad rem tamen pertinére árbitror, ut quæ sit ei pátria, quis actor appáreat : ac prius ubi sit pátria, definiámus. Si enim ibi est pátria, ubi genitále domicílium, in Cœlo profécto est pátria castitátis. Itaque hic ádvena, ibi íncola est. Quid autem est cástitas virginális, nisi expers contagiónis intégritas? Atque ejus auctórem, quem póssumus æstimáre, nisi immaculátum Dei Fílium, cujus caro non vidit corruptiónem, divínitas non est expérta contagiónem.

℟. Doctíssimi Philósophi.

LECTIO V.

VIDETE ígitur quanta virginitátis mérita sint. Christus ante Vírginem, Christus ex Vírgine : a Patre quidem natus ante sæcula ; sed ex vírgine natus ob sæcula ; illud natúræ suæ, hoc nostræ utilitátis est : illud erat semper, hoc esse vóluit. Expectáte áliud virginitátis méritum : Christus virgo, vírginis sponsus ; et si dici potest, Christus virgíneæ castitátis ; virgínitas enim Christi, non virginitátis est Christus : virgo est ergo, quæ nupsit; virgo, quæ eum suo útero portávit : virgo quæ génuit : virgo quæ próprio lacte nutrívit.

℟. Fremens Imperátor.

LECTIO VI.

DE virgínibus, inquit Apóstolus, præcéptum Dómini non hábeo. Si Doctor géntium non hábuit, habére quis pótuit ? Et præcéptum quidem non hábuit, sed hábuit exémplum, non enim imperári pótuit virgínitas, sed optári. Nam quæ supra nos sunt, in voto magis, quam in magistério sunt. Sed volo vos, inquit, sine sollicitúdine esse : nam qui sine uxóre est, sollícitus est, quæ dómini sunt, quómodo pláceat Deo : et virgo cógitat, quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore, et spíritu : nam quæ nupta est, cógitat quæ mundi sunt, quómodo pláceat viro. Non ego quidem dissuádeo matrimónium, sed virginitátis attéxo benefícium.

℟. Victrícem Catharínam.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII. *Cap.* 25.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso, et sponsæ. Et réliqua.

De Homília Sancti Gregórii Papæ.

Hom. 12. *in Evang.*

FATUÆ profécto sunt vírgines, quia solam laudis

Digitized by Google

transitóriæ retributiónem quærunt : unde et apte súbditur : Quinque fátuæ, accéptis lampádibus non sumpsérunt óleum secum ; prudéntes autem accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Per óleum quippe nitor glóriæ designátur : vascula autem nostra sunt corda, in quibus férimus cuncta, quæ cogitámus. Prudéntes ergo óleum in vasis habent, quia nitórem glóriæ intra consciéntiam rétinent. Paulo attestánte, qui ait : Glória nostra hæc est, testimónium consciéntiæ nostræ. Fátuæ autem vírgines óleum secum non sumunt quia glóriam intra consciéntiam non habent, dum hanc ab ore proximórum quærunt.

℟. Pavit Deus.

Lectio viii.

Notandum vero quod lámpades omnes habent sed óleum omnes non habent : quia plerúmque bona in se ópera tum elécti, tum réprobi osténdunt, sed soli ad sponsum cum óleo véniunt, qui de his, quæ foris égerint, intus glóriam requírunt. Unde per Psalmístam quoque de Sancta electórum Ecclésia dícitur : omnis glória ejus fíliæ Regis ab intus. Moram autem faciénte Sponso dormitavérunt omnes, et dormiérunt : quia dum veníre Judex ad extrémum judícium differt, et elécti et réprobi cum mortis somno sopiúntur : dormíre étenim mori est, ante somnum vero dormitáre est ante mortem a salúte languéscere ; quia per pondus ægritúdinis pervenítur ad somnum mortis.

℟. Beáta Virgo.

Lectio ix.

Media autem nocte clamor factus est. Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. De advéntu Sponsi clamor in média nocte fit, quia sic dies judícii subrépit, ut providéri non váleat quando venit : unde scriptum est : Dies Dómini sicut fur in nocte, ita véniet. Tunc omnes vírgines surgunt, quia elécti, et réprobi a somno suæ mortis excitántur. Lámpades ornant : quia sua secum ópera númerant, pro quibus ætérnam recípere beatitúdinem expéctant. Sed lámpades fatuárum Vírginum extinguúntur : quia eárum ópera, quæ clara homínibus foris apparúerant in advéntu Júdicis intus obscuránt et a Deo retributiónem non invéniunt, quia pro eis recepérunt ab homínibus laudes, quas amáverant.

Te Deum laudámus.

In Missa dicitur Oratio 2. *B. M.* Concéde, 3. Ecclésiæ, *ut post Dominicam in Albis. Si vero hac die occurrat Dominica prima adventus, fit de ea cum paramentis violaceis, et Comm. Oct. sine*

Digitized by Google

precibus, et in Missa dicitur solum Oratio 2. de Octava.

DIE XXVIII. NOVEMBR.

Quarta die infra Octavam S. Catharinæ.

Omnia dicuntur ut in Festo præter sequentia.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

De Sermóne S. Ambrósii Epíscopi.

LECTIO IV. *Lib.* 1. *de Virg.*

HÆC profécto vera pulchritúdo est cui nihil deest, quæ sola merétur audíre a Dómino : Tota es formósa, próxima mea, et reprehénsio non est in te. Veni huc a Líbano, veni huc a Líbano, transíbis, et pertransíbis a princípio fídei, a cápite Sanir, et Hermon, a latíbulis leónum, a móntibus pardórum. Quibus indíciis osténditur perfécta, et irreprehensíbilis virgináis ánimæ pulchritúdo altáribus consecráta divínis inter occúrsus, et latíbula spirituálium bestiárum non infléxa mortálibus,sed inténta mystériis Dei meruísse diléctum, cujus úbera plena lætítiæ.

℟. Doctíssimi Philósophi.

LECTIO V.

IN umbra ejus concupívi, et sedi, et fructus ejus dulcis in fáucibus meis. Invéni quem diléxit ánima mea, ténui eum; et non relínquam eum : descéndat fratérnus meus in hortum suum, et mandúcet fructum pomórum suórum. Veni fratérne mi, exeámus in agrum, pone me ut sigíllum in cor tuum, et velut signáculum super bráchium tuum. Fratérnus meus cándidus et rúbeus. Decet enim ut plene nóveris virgo, quem díligis, atque omne in eo, et ingénitæ divinitátis, et assúmptæ mystérium incorporatiónis agnóscas.

℟. Fremens Imperátor.

LECTIO VI.

CANDIDUS mérito, quia Patris splendor rúbeus, quia partus vírginis. Color in eo fulget,et rútilat utriúsque natúræ. Meménto tamen antiquióra in eo divinitátis insígnia, quam córporis sacraménta : quia non cœpit a vírgine,sed qui erat, venit in vírginem : ille spretus a milítibus, ille láncea vulnerátus, ut nos sacri vúlneris cruóre sanáret : respondébit tibi profécto : (est enim mitis, et húmilis corde, blandus aspéctu). Exúrge Aquilo, et veni Auster, aspíra hortum meum, et fluant arómata mea.

℟. Victrícem Catharínam.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII. *Cap.* 25.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipiéntes

Digitized by Google

lámpades suas exiérunt óbviam sponso, et sponsæ. Et réliqua.

De Homília S. Gregórii Papæ.

QUID est autem quod tunc a prudéntibus óleum petunt, nisi quod in advéntu Júdicis, cum se intus vácuas invénerint, testimónium foris quærunt ? Ac si a sua fidúcia decéptæ próximis dicant ? Quia nos quasi sine ópere repélli conspícitis, dícite de nostris opéribus, quod vidístis : Sed prudéntes Vírgines respóndent dicéntes : Ne forte non suffíciat nobis, et vobis. In illo enim die (quod tamen de quibúsdam in pace Ecclésiæ quiescéntibus loquor) sibimetípsis testimónium uniuscujúsque vix súfficit : quanto minus et sibi et próximo unde et prótinus per increpatiónem subdunt : Ite pótius ad vendéntes et émite vobis.

℟. Pavit Deus.

LECTIO VIII.

VENDITORES quippe ólei, adulatóres sunt ; qui enim accépta quálibet grátia, vanis suis láudibus nitórem glóriæ afferunt, quasi óleum vendunt ; de quo profécto Psalmísta dicit: Oleum autem peccatóris non impínguet caput meum. Principále étenim membrum nostrum caput est : appellatióne autem cápitis ea, quæ principátur córpori, mens vocátur ; impínguat ergo caput óleum peccatóris, cum demúlcet mentem favor adulántis. Sed dum irent émere, venit sponsus : quia cum vitæ suæ testimónium a próximis quærunt, Judex venit, qui non solum óperum, sed étiam córdium testis est.

℟. Beáta Virgo.

LECTIO IX.

QUÆ autem parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est jánua. O si sápere in cordis paláto possit, quid admiratiónis hábeat quod dícitur : Venit sponsus ! quid dulcédinis : Intravérunt cum eo ad núptias ! quid amaritúdinis : Et clausa est jánua ! Venit quippe ille, qui in advéntu suo eleménta cóncutit, in cujus conspéctu cœlum, et terra contremíscunt. Unde étiam per Prophétam dícitur: Adhuc semel et ego movébo non solum terram, sed étiam Cœlum : ad cujus exámen omne humánum genus dedúcitur : cui ad vindíctam malórum remunerationémque bonórum, Angeli, Archángeli, Throni, Principátus, et Dominatiónes obsequúntur.

Te Deum laudámus.

DIE XXIX. NOVEMBRIS.

Quinta die infra Octavam S. Catharinæ.

Omnia dicuntur ut in Festo præter sequentia.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

Digitized by Google

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Máximi Epíscopi *In Natali S. Agnetis.*

LECTIO IV.

CUM in toto mundo virgíneus flos Maríæ immarcescíbiles corónas innéctat, ac sceptrígeram pudóris olam immaculáto consérvet affféctu : eo usque intégritas perseverávit ad palmam, ut in puéllis trophæum sanctitátis arríperet,et per vestígia Matris Vírginis ad cœléstem thálamum perveníret. Accédite ad puéllam puéllæ, et díscite quales péctore suo circa amórem Christi flammas accéndit : díscite vírgines,Christi amórem in puélla fervéntem,et omnes mundi divítias velut stércora recusántem.

℟. Doctíssimi Philósophi.

LECTIO V.

HÆC magnum de se pudicítiæ excitávit exémplum cum virginitátem prætulit vitæ, omnémque a se amórem sceléstum expéllens, trophæum Crucis arrípuit Christi, et tam contra libídines, quam étiam contra supplícia univérsa, fide pótius armáta, quam ferro fórtiter dimicávit, et vicit. Aspicit dénique blandiéntem, et rénuit : minántem atténdit, et ridet : nescit amáre áliquid quod transit : et dum nimis virginitátem dfligit, nec ludíbria, nec flammas, nec supplícia. nec carnífices métuit : postrémo nec gládium furéntis persecutóris expávit.

℟. Fremens Imperátor.

LECTIO VI.

VENI jam Virgo ad thálamum quem quæsísti, et pro amóre sponsi gládium persecutóris admítte, ut sponsam te Virgínitas immaculáta cómprobet Christi, et mártyrem conféssio probáta consígnet. Felix catérva Vírginum, quibus stúdium est tuæ sequi confessiónis vestígia : habébunt enim tecum corónam in Cœlo, quæ tecum superavérunt inimícum in mundo. Nam sicut tibi vestígia prosequénti participátio ætérnæ remuneratiónis appáruit, ita eis te imitántibus ætérna crédimus gáudia non negánda. Itaque, o spléndida Christo Dei Fílio, et ómnibus Angelis,atque Archángelis grata : ut nostri memínisse dignéris,quibus póssumus précibus exorámus.

℟. Victrícem Catharínam.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII. *Cap.* 25.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum cœlórum decem Virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso, et sponsæ. Et réliqua.

De Homília S. Gregórii Papæ.

PENSATE, fratres charíssimi, ante conspéctum

Digitized by Google

tanti Júdicis, qui in illo die terror erit, quando jam in pœna remédium non erit : quæ illa confúsio, cui reátu suo exigénte contínget in convéntu ómnium Angelórum,hominúmque erubéscere : qui pavor eum, quem et tranquíllum mens humána cápere non valet étiam irátum vidére ? Quem diem bene Prophéta íntuens ait : Dies illa dies iræ, dies tribulatiónis, et angústiæ, dies calamitátis, et miséria, dies tenebrárum , et calíginis , dies nébulæ et túrbinis, dies tubæ, et clangóris. Sane, fratres charíssimi, extrémi diem judícii super corda reprobórum, qua asperitáte Prophéta vidit amaréscere, quem tot appellatiónibus non valet explicáre ?

℟. Pavit Deus.

LECTIO VIII.

QUANTA vero tunc erit electórum lætítia, qui de ejus meréntur visióne gaudére, de cujus conspéctu vident, et eleménta ómnia contremíscere cum eo simul ad núptias intráre ? Qui et sponsi núptiis gaudent, et tamen ipsi sunt sponsa, quia in illo ætérni regni thálamo visióni nostræ Deus conjúngitur! Quæ scílicet vísio nunquam jam in perpétuum ab amóris sui amplexibus evellétur. Tunc regni jánua lugéntibus cláuditur, quæ modo quotídie pœniténtibus aperítur. Erit namque et tunc pœniténtia, sed fructuósa jam non erit : quia nequáquam tunc véniam invéniet qui modo aptum pœniténtiæ tempus perdit.

℟. Beáta Virgo.

Lectio ix. Homilia et comm. Vigiliæ S. Andreæ Apost. et com. S. Saturnini Martyris.

DIE XXX. NOVEMBRIS.

Sexta die infra Octavam S. Catharinæ.

Hodie fit de S. Andrea Apost.

DIE I. DECEMBRIS.

Septima die infra Octavam S. Catharinæ.

Omnia ut in Festo præter sequentia.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro Sancti Cypriáni Epíscopi, et Mártyris.

De habitu virginum.

LECTIO IV.

NEMINEM christiánum decet, et máxime vírginem non decet, claritátem ullam computáre carnis et honórem sed solum appétere sermónem Dei, bona in ætérnum mansúra complécti : aut si in carne sit gloriándum, tunc plane quando in nóminis Dómini confessióne cruciátur , quando fórtior fémina viris torquéntibus invenítur, quando ignes, aut cruces, aut ferrum, vel béstias pátitur, ut coronétur : illa sunt carnis pre-

Digitized by Google

tiósa monília, illa córporis ornaménta melióra.

℟. Doctíssimi Philósophi.

LECTIO V.

ARCTA et angústa via est, quæ ducit ad vitam : durus, et árduus est limes, qui tendit ad glóriam. Per hunc vitæ límitem mártyres pergunt, eunt vírgines, justi quoque gradiúntur. Lata, et spatiósa itínera vitæ lethális : illic illécebræ, et mortíferæ voluptátes : illic diábolus blandítur, ut fallat ; arrídet ut nóceat ; íllicit ut occídat. Ut apud mártyres non est carnis et sæculi contágio, nec parva, et levis, et delicáta congréssio : Sic et in vobis, quarum ad glóriam merces, fecúnda est, sit et virtus ad toleántiam próxima. Non est ad magna fácilis ascénsus.

℟. Fremens Imperátor.

LECTIO VI.

SI præmium pollicitatiónis atténdas, minus est quod labóras : immortálitas perseveránti datur, perpétua vita promíttitur, regnum Dóminus pollicétur ; serváte vírgines, serváte quod esse cœpístis : serváte quod éritis ; magna vos merces manet, præmium grande virtútis, munus máximum castitátis. Quod futúri sumus, jam vos esse cœpístis : vos resurrectiónis glóriam in isto sæculo jam tenétis. Per sæculum sine sæculi contagióne transítis, cum castæ perseverátis, et Vírgines, Angelis Dei estis æquáles : tantum máneat, et duret sólida, et illæsa virgínitas ; et ut cœpit fórtiter, júgiter persevéret.

℟. Victrícem Catharínam.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII. *Cap.* 25.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso, et sponsæ. Et réliqua.

De Homília sancti Gregórii Papæ.

ECCE, áperi, clamant ; et repulsiónis suæ dolóre compúlsæ appellatiónem dominántes ingéminant dicéntes ; Dómine, Dómine, áperi nobis. Preces ófferunt, sed nesciúntur, quia tunc velut incógnitus Dóminus déserit quos modo suos per vitæ méritum non agnóscit. Ubi apte quoque generális ad discípulos exhortátio subinfértur, cum dícitur : Vigiláte ítaque, quia post peccáta Deus pœniténtiam súscipit. Si sciret quisque, de præsénti sæculo quo témpore exíret, áliud tempus voluptátibus, atque áliud pœniténtiæ aptáre potuísset : sed qui pœniténti véniam spopóndit, peccánti diem crástinum non promísit.

℟. Pavit Deus.

Digitized by Google

Lectio viii.

Semper ergo extrémum diem debémus metúere, quem numquam póssumus prævidére. Ecce hunc ipsum diem, in quo lóquimur ad indúcias conversiónis, accípimus, et tamen mala, quæ fécimus, flere recusámus ; non solum commíssa non plángimus,sed étiam quæ defleántur augémus : at si nos áliqua ægritúdo corrípiat, si signa ægritúdinis vicínam mortem denúntient, indúcias vivéndi quærimus, ut peccáta nostra defleámus, et eas cum magno æstu desidérii pétimus, quas accéptas modo pro níhilo habémus.

℟. Beáta Virgo.

Lectio ix.

Memento quod véritas dicat : Oráte, ne fiat fuga vestra híeme, vel sábbato. Per legis quippe mandátum ambuláre lóngius in sábbato non licet : hiems quoque ad ambulándum impediméntum est, quia gressus ambulántium torpor frígoris astríngit. Ait ergo, oráte, ne fiat fuga vestra híeme vel sábbato ; ac si dicat : Vidéte ne tunc quærátis peccáta vestra fúgere, quando jam non licet ambuláre. Illud ergo tempus, quo fúgere non licet, tunc debet cogitári, dum licet.. Illa hora est éxitus nostri semper intuénda : ista Redemptóris nostri admonítio ante mentis óculos semper ponénda, quia ait : Vigiláte ítaque quia nescítis diem, neque horam.

Te Deum laudámus.

DIE II. DECEMBRIS.

In die Oct. S. Catharinæ.

Duplex.

Omnia ut in Festo S. Catharinæ, prætér sequentia.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Bernárdi, Abbátis.

Serm. 17. *in Cantic.*

Lectio iv.

Flos est virgínitas, flos martyrium ; in horto virgínitas, in campo martyrium : et bene in horto virgínitas cui familiáris verecúndia est, fúgitans públicum, latíbulis gaudens, pátiens disciplínæ. Dénique in hortu flos cláuditur, qui in campo expónitur. Et habes: Hortus conclúsus, fons signátus : quod útique claustrum pudóris signat in vírgine, et inviolátæ custódiam sanctitátis, si tamen talis fúerit, quæ sit sancta córpore, et spíritu. Bene item in campo martyrium, dum Mártyres ludíbrio ómnium exponúntur spectáculum facti et Angelis, et homínibus.

℟. Doctíssimi Philósophi.

Lectio v.

Dominus Jesus, flos horti, Virgo Vírgine generátus. Item flos campi, Martyr, Mártyrum coróna, martyrii forma Dénique foras civi-

Digitized by Google

tátem edúctus est, extra castra passus est, in ligno elevátus est, spectándus homínibus, subsannándus ab ómnibus. Quæ ígitur fuit causa, ut se campi florem malúerit appelláre? Profécto ut sponsam ad tolerántiam animáret, cui nóverat imminére persecutiónem pati. Id se ergo libéntius profitétur ad quod potíssimum vult habére sequácem, denúncians ei, quod per multas tribulatiónes opórtet intráre in regnum cœlórum.

℟. Fremens Imperátor.

LECTIO VI.

VOCAT ad campum, ad exercítium próvocat: nec putat quidquam persuasibílius fore illi ad ineúndum certámen, quam si se ipsum certámen, aut exémplum propónat, aut præmium. Ego flos campi: Sane utrúmvis in hoc sermóne intélligi datur vel quod sit, vidélicet pugnántis forma, vel quod glória triumphántis. Utrúmque es mihi, Dómine Jesu, et spéculum patiéndi, et præmium patiéntis. Utrúmque fórtiter próvocat, ac veheménter accéndit.

℟. Victrícem Catharínam.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII. *Cap.* 25.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso, et sponsæ. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 22. *de verbis Domini.*

VIDENTUR mihi quinque vírgines significáre quinquepartítam continéntiam a carnis illécebris. Continéndus est enim ánimi appetítus a voluptáte oculórum: a voluptáte áurium; a voluptáte olfaciéndi, gustándi, et tangéndi: sed quia ista continéntia partim coram Deo fit, ut illi placeátur interióri gáudio consciéntiæ: partim coram homínibus tantum ut glória humána capiátur: quinque dicúntur sapiéntes, et quinque stultæ: utræque tamen vírgines, quia útraque continéntia est, quamvis divérso fómite gáudeat

℟. Pavit Deus.

LECTIO VIII.

OMNES vero accepérunt lámpades suas, et venérunt óbviam sponso. Intelligéndum est ergo, Christi nómine censéri, de quibus ágitur: non enim possunt, qui Christiáni non sunt, sponso Christo veníre óbviam. Sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus suis non sumpsérunt óleum secum: multi enim quamvis

Digitized by Google

de Christi bonitáte plúrimum sperent, gáudium tamen non habent, dum continénter vivunt, nisi in láudibus hóminum : non ergo habent óleum secum : nam ipsam lætítiam óleo significári árbitror. Prophéta ínquit : Unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ.

℟. Beáta Virgo.

LECTIO IX.

PRUDENTES autem accepérunt óleum secum in vasis cum lampádibus suis, id est, lætítiam óperum bonórum incorde, atque conscién-tia posuérunt. Sic et Apóstolus monet: Probet se, inquit, homo ; et tunc in semetípso habébit glóriam, et non in áltero. Tardánte ergo sponso dormiérunt omnes, quia ex utróque génere continéntium hóminum, sive eórum, qui coram Deo exúltant, sive eórum, qui láudibus hóminum acquiéscunt moriúntur hoc intervállo témporis, donec sub advéntu Dómini fiat resurréctio mortuórum.

Te Deum laudámus.

OFFICIUM VOTIVUM,

Quod non dicitur in diebus impeditis a Festo novem Lectionum occurrente, vel translato, nec in Vigiliis.

SEMEL IN MENSE

Juxta superiorem Rubricam.

OFFICIUM VOTIVUM

S. FRANCISCI XAVERII,

CONFESSORIS,

Patroni Civitatis, ac Diœcesis Goanensis et Indiarum Orientalium.

(*Ex Indult. Clementis XIII, 14 Februarii 1759.*)

SEMIDUPLEX.

Omnia de Communi Conf. non Pont. præter sequentia.

ORATIO.

DEUS, qui Indiárum gentes beáti Francísci prædicatióne et miráculis Ecclésiæ tuæ aggregáre voluísti : concéde propítius ; ut, cujus gloriósa mérita venerámur, virtútum quoque imitémur exémpla. Per Dóminum nostrum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

FRANCISCUS in Xavério diœcésis Pampelonénsis nobílibus paréntibus natus, Parísiis sancto Ignátio sese cómitem et discípulum junxit. Ipso magístro eo brevi devénit, ut in rerum divinárum contemplatióne defíxus, a terra aliquándo sublímis elevarétur, quod illi sacrificánti coram pópuli multitúdine aliquóties evénit. Has ánimi delícias magnis sui córporis cruciátibus merebátur. Nam interdícto sibi, non carnis solum et vini, sed panis quoque tritícei usu, vílibus cibis vesci sólitus,

Digitized by Google

per bíduum subínde triduúmque omni prorsus aliménto abstínuit. Férreis in se flagéllis ita sæviit, ut sæpe copióso cruóre difflúeret: somnum brevíssimum humi jacens carpébat.

℟. Honéstum fecit.

LECTIO V.

VITÆ austeritáte ac sanctitáte apostólico múneri jam matúrus, cum Joánnes Tértius Lusitániæ rex áliquot nascéntis Societátis viros a Paulo Tértio pro Indiis postulásset, sancti Ignátii hortátu, ab eódem Pontífice ad tantum opus cum apostólici Núntii potestáte delígitur. Eo appúlsus, íllico variárum géntium difficíllimis et váriis linguis divínitus instructus appáruit. Quin eum quandóque único idiómate ad divérsas gentes concionántem, unaquæque sua lingua loquéntem audívit. Províncias innúmeras pédibus semper et sæpe nudis, peragrávit. Fidem Japóniæ, et sex áliis regiónibus invéxit. Multa centéna hóminum míllia ad Christum in Indiis convértit, magnósque príncipes, regésque complúres sacro fonte expiávit. Et cum tam magna pro Deo ágeret, ea erat humilitáte, ut sancto Ignátio, tunc Præpósito suo, flexis génibus scríberet.

℟. Amávit eum.

LECTIO VI.

HUNC dilatándi Evangélii ardórem, multitúdine, et excelléntia miraculórum Dóminus roborávit. Cæco visum réddidit, tantum marínæ aquæ signo crucis convértit in dulcem, quantum quingéntis vectóribus, qui siti adigebántur ad mortem, diu suffécit; qua in várias quoque regiónes asportáta, ægri plúrimi súbito curáti sunt. Plures mórtuos revocávit ad vitam; inter quos prídie sepúltum érui jussum e túmulo suscitávit, duósque álios, dum efferréntur, apprehénsa eórum manu, paréntibus e féretro vivos restítuit. Prophetíæ spíritu passim afflátus, plúrima et loco, et témpore remotíssima enuntiávit. Demum in Sanciáno Sinárum ínsula, die secúnda Decémbris, óbiit plenus méritis, laboribúsque conféctus. Demórtui cadáver viva calce per multos menses bis óbrutum, sed pénitus incorrúptum, odóre et sánguine manávit: et ubi Málacam delátum est, pestem sævíssimam confestim extínxit. Dénique ubíque terrárum novis, maximísque fulgéntem miráculis, Gregórius Décimus quintus Sanctis adscrípsit.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

LECTIO VII. *Cap.* 16. *c.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Eúntes in mundum univérsum, præ-

Digitized by Google

dicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homilía S. Gregórii Papæ. *Homilia 29. in Evangelia.*

POTEST omnis creatúræ nómine omnis nátio géntium designári. Ante enim dictum fúerat: In viam géntium ne abiéritis: nunc autem dícitur: Prædicáte omni creatúræ: ut scílicet prius a Judæa Apostolórum repúlsa prædicátio tunc nobis in adjutórium fíeret, cum hanc illa ad damnatiónis suæ testimónium supérba repulísset. Sed cum discípulos ad prædicándum Véritas mittit, quid áliud in mundo facit, nisi grana séminis spargit? et pauca grana mittit in sémine, ut multárum méssium fruges recípiat ex nostra fide.

℟. Iste est qui ante Deum.

Lectio viii.

NEQUE étenim in univérso mundo tanta fidélium messis exúrgeret, si de manu Dómini super rationálem terram illa elécta grana prædicántium non veníssent. Séquitur: Qui credíderit, et baptizátus fúerit, salvus erit: qui vero non credíderit, condemnábitur. Fortásse unusquísque apud semetípsum dicat: Ego jam crédidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem opéribus tenet. Vera étenim fides est, quæ in hoc, quod verbis dicit, móribus non contradícit. Hinc est enim quod de quibúsdam falsis fidélibus Paulus dicit: Qui confiténtur se nosse Deum, factis autem negant.

℟. Sint lumbi vestri.

Lectio ix.

SIGNA autem eos, qui creditúri sunt, hæc sequéntur: In nómine meo dæmónia ejícient, linguis loquéntur novis, serpéntes tollent, et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit: super ægros manus impónent, et bene habébunt. Numquídnam, fratres mei, quia ista signa non fácitis, mínime créditis? Sed hæc necessária in exórdio Ecclésiæ fuérunt. Ut enim ad fidem crésceret multitúdo credéntium, miráculis fúerat nutriénda. Quia et nos, cum arbústa plantámus, támdiu eis aquam infúndimus, quoúsque ea in terra jam coaluísse videámus: et si semel radícem fíxerint, irrigátio cessábit. Hinc est enim quod Paulus dicit: Linguæ in signum sunt non fidélibus, sed infidélibus.

Te Deum laudámus.

Digitized by Google

COMMEMORATIONES

DE PATRONO VEL TITULARI

Inter suffragia Sanctorum adjiciendæ.

Prænotanda circa suffragia Sanctorum.

Aña, ℣. et Orationes, nisi aliter notetur, dicuntur in secundis Vesp. et Laud. diei Festi, ex Proprio vel Communi: variantur vero, si coincidant cum similibus in eodem Officio.

Suffragium Patroni vel Titularis omittitur, cum de eo dicitur Officium; ne de eodem bis fiat.

Item Suffragium Titularis Ecclesiæ (etsi Cathedralis vel Collegiatæ) fit ab ejusdem Parocho, Canonicis, et Beneficiatis, vel ejus Choro adstrictis tantum: ceteri vero, licet sint ejusdem Ecclesiæ vel Parochiæ, debent eam facere de Patrono principali Diœcesis, ubi non adest proprius loci Patronus, quia tunc de isto et non de illo facienda est.

Item Suffragium B. M. omittitur, cum prædictum sit commune Sancta María succúrre, *etc. In omnibus Ecclesiis S.S. Salvatori dicatis Suffragium sumi debet ex officio diei Festi Transfigurationis, nisi adsit speciale Sanctæ Sedis Indultum.*

Pro Diœcesi Patriarchali Goanensi.

DE S. FRANCISCO XAVERIO, PATRONO INDIÆ.

AD VESPERAS.

Aña. Hic vir despíciens mundum, et terréna, triúmphans, divítias cœlo cóndidit, ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

AD LAUDES.

Aña. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Orémus.

DEUS, qui Indiárum gentes beáti Francísci prædicatióne et miráculis Ecclésiæ tuæ aggregáre voluísti: concéde propítius, ut cujus gloriósa mérita venerámur, virtútum quoque imitémur exémpla.

Digitized by Google

In sola Eccl. Cathedr. Primatiali et Patriarchali.

DE S. CATHARINA,

VIRG. MART. TITUL.

AD VESPERAS.

Ańa. O magna, et singuláris Patróna jam de tua immortalitáte secúra, adhuc esto de nostra salúte solícita: eménsa illa, in qua cum Sponso epuláris, cadant nobis micæ intercessiónis tuæ, et habeámus per te, quod méritis nostris cónsequi non valémus.

AD LAUDES.

Ańa. Beáta Catharína orábat dicens: Dómine Jesu Christe, Deus meus, ago tibi grátias, quod statuísti supra petram pedes meos, et direxísti gressus meos: nunc exténde palmas, quæ pro me in Cruce fuérunt sauciátæ, et súscipe ánimam, quam sacrificávi pro te, et tua confessióne.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Orémus.

DEUS, qui dedísti legem Moysi in summitáte montis Sínai, et in eódem loco per Sanctos Angelos tuos corpus Beátæ Catharínæ Vírginis, et Mártyris tuæ mirabíliter collocásti: præsta, quæsumus, ut ejus méritis et intercessióne ad montem, qui Christus est, pervenire valeámus.

Pro Diœcesi Cochinensi. In sola Eccl. Cathedr.

DE S. CRUCE TITULARI.

Fit suffragium ordinarium S. Crucis.

Pro Diœcesi Meliaporensi. In sola Eccl. Cathedr. Civ. et Suburb.

DE S. THOMA, APOST.

TITUL. ECCL. CATHEDR. ET PATRONO CIVIT.

AD VESPERAS ET LAUDES.

Ańa. Quia vidísti me, Thoma, credidísti: beáti qui non vidérunt, et credidérunt.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Orémus.

DA nobis quæsumus, Dómine, beáti Apóstoli tui Thomæ, commemoratióne gloriári: ut ejus semper et patrocínio sublevémur, et fidem cóngrua devotióne sectémur.

COMMEMORATIONES COMMUNES, SIVE SUFFRAGIA SANCTORUM.

Pro Diœcesi Damanensi, cum Titulo Archiepiscopali Cranganorensi.

DE CRUCE.

In Feriali Officio etiam quando non dicuntur Preces.

AD VESPERAS ET LAUDES.

Ańa. Per signum Crucis de inimícis nostris líbera nos, Deus noster.

℣. Omnis terra adóret te, et psallat tibi. ℟. Psalmum dicat nómini tuo, Dómine.

Digitized by Google

Orémus. ORATIO.

PERPETUA nos, quæsumus Dómine, pace custódi : quos per lignum sanctæ Crucis redímere dignátus es.

Tempore autem Paschali, a Feria ij. post Dominicam in Albis usque ad Ascensionem, tam in Officio de Tempore, quam de Sanctis, nisi sit Duplex, aut infra Octavas, fit sequens.

AD VESPERAS.

Ańa. Crucem sanctam súbiit, qui inférnum confrégit, accínctus est poténtia : surréxit die tértia, allelúia.

AD LAUDES.

Ańa. Crucifíxus surréxit a mórtuis, et redémit nos, allelúia, allelúia.

℣. Dícite in natiónibus, allelúia. ℟. Quia Dóminus regnávit a ligno, allelúia.

Orémus. ORATIO.

DEUS, qui pro nobis Fílium tuum crucis patíbulum subíre voluísti,ut inimíci a nobis expélleres potestátem : concéde nobis fámulis tuis ; ut resurrectiónis grátiam consequámur. Per eúmdem Dóminum.

DE TITULARI ECCLESIÆ CATHEDRALIS DIŒCESIS DAMANENSIS.

In hac Ecclesia tantum.

AD VESPERAS.

Ańa. Vocábis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum fáciet pópulum suum a peccátis eórum, allelúia.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum, allelúia. ℟. Ex hoc nunc, et usque in sæculum, allelúia.

AD LAUDES.

Ańa. Dedit se, ut liberáret pópulum, et acquíreret sibi nomen ætérnum, allelúia.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cœlum et terram.

Orémus. ORATIO.

DEUS, qui unigénitum Fílium tuum constituísti humáni géneris Salvatórem, et Jesum vocári jussísti : concéde propítius ; ut,cujus sanctum Nomen venerámur in terris, ejus quoque aspéctu perfruámur in cœlis.

Pro tota Diœcesi.

DE PATRONA.

AD VESPERAS.

Ańa. O homo, réspice pietátis óculis Fílii mei sudórem, sánguinem, alapárum contuméliam , flagellórum durítiam, corónam spíneam, crucis suspéndium, óculos languéntes, acetósa pócula, caput inclinátum, et mortis supplícium.

℣. Secúndum multitúdinem dolórum meórum in corde meo. ℟. Consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

AD LAUDES.

Ańa. Tamquam latro cápitur úndeque constrictus, cæditur, conspúitur, álapis, afflictus.

O Matris angústiæ, cum audíret ictus ; pro nobis hæc tólerans sit Rex benedíctus.

℣. Laváb̃o per síngulas

Digitized by Google

noctes lectum meum. ℟. Lácrymis meis stratum meum rigábo.

Orémus. ORATIO.

DOMINE Jesu Christe,cujus acerbíssimæ Passiónis gládius piíssimæ Matris tuæ ánimam sic penetrávit,quod eam plusquam mártyrem fecit : tríbue, quæsumus ; ita nos dolórum ejus in terris memóriam ágere,ut ad contemplánda illíus gáudia in cœlis mereámur perveníre.

DE SANCTO JOSEPH, SPONSO B. M. V.

AD VESPERAS.

Ańa. Ecce fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam.

℣. Glória et divítiæ in domo ejus. ℟. Et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

AD LAUDES.

Ańa. Ipse Jesus erat incípiens quasi annórum trigínta ut putabátur fílius Joseph.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Orémus. ORATIO.

DEUS, qui ineffábili providéntia beátum Joseph sanctíssimæ Genitrícis tuæ sponsum elígere dignátus es : præsta quæsumus ; ut, quem protectórem venerámur in terris, intercessórem habére mereámur in cœlis.

DE APOSTOLIS.

AD VESPERAS.

Ańa. Petrus Apóstolus, et Paulus Doctor géntium, ipsi nos docuérunt legem tuam Dómine.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

AD LAUDES.

Ańa. Gloriósi príncipes terræ quómodo in vita sua dilexérunt se,ita et in morte non sunt separáti.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Orémus. ORATIO.

DEUS, cujus déxtera beátum Petrum, ambulántem in flúctibus, ne mergerétur eréxit: et coapóstolum ejus Paulum tértio naufragántem de profúndo pélagi liberávit : exáudi nos propítius, et concéde ; ut ambórum méritis, ætérnitátis glóriam consequámur.

DE S. FRANCISCO XAVERIO, PATRONO INDIÆ.

AD VESPERAS.

Ańa. Hic vir despíciens mundum, et terréna, triúmphans, divítias cœlo cóndidit, ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

AD LAUDES.

Ańa. Euge serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam,intra in gáudium Dómini tui.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Digitized by Google

Orémus. ORATIO.

DEUS, qui Indiárum Gentes beáti Francísci prædicatióne et miráculis Ecclésiæ tuæ aggregáre volusti : concéde propítius ; ut cujus gloriósa mérita venerámur, virtútum quoque imitémur exémpla.

PRO S. ANTONIO
PATR. SEMINARII DAMANENSIS.

In Seminario tantum.

AD VESPERAS.

Ańa. O lingua benedícta, quæ Dóminum semper benedixísti, et álios benedícere docuísti : nunc perspícue cérnitur quanti mériti fúeris apud Deum.

℣. Amávit eum Dóminus et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

AD LAUDES.

Ańa. Favus distíllans lábia ejus : mel et lac sub lingua ejus.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Orémus. ORATIO.

ECCLESIAM tuam Deus, beáti Antónii Confessóris tui commemorátio votíva lætíficet : ut spirituálibus semper muniátur auxíliis, et gáudiis pérfrui mereátur ætérnis.

DE PATRONO,
VEL TITULARI ECCLESIÆ

Fiat commemoratio consueta ante, vel post Commemorationes prædictas pro dignitate illius, et ultimo loco :

DE PACE.

AD VESPERAS, ET LAUDES.

Ańa. Da pacem, Dómine, in diébus nostris, quia non est álius qui pugnet pro nobis nisi tu, Deus noster.

℣. Fiat pax in virtúte tua. ℟. Et abundántia in túrribus tuis.

Orémus. ORATIO.

DEUS, a quo sancta desidéria, recta consília, et justa sunt ópera : da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem ; ut et corda nostra mandátis tuis dédita, et hóstium subláta formídine, témpora sint tua protectióne tranquílla. Per Dóminum.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo. ℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias. ℣. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

Deinde dicitur secreto Pater noster.

Sic terminatur Officium, ubi alia non sequatur Hora.

Dictæ Commemorationes, seu Suffragia dicuntur ab Octava Pentecostes usque ad Adventum, et ab Octava Epiphaniæ usque ad Dñicam Passionis, exceptis Duplicibus, et infra Octavas.

Quando dicitur Officium B. M. V. non fit alia comm. de ea.

Digitized by Google

COMM. SS. CORDIS JESU
POST NONAM IN CHORO DICENDA.

Antiphona.

O ómnium pulchritúdine speciosíssime Jesu, ámplius lava me ab iniquitáte mea, et a peccáto meo munda me: ut purificátus per te puríssimum possim accédere, et in Corde tuo ómnibus diébus vitæ meæ mérear habitáre; et ut vidére simul et fácere tuam váleam voluntátem.

℣. Díscite a me, quia mitis sum, et húmilis corde. ℟. Et inveniétis réquiem animábus vestris.

Orémus.

FAC nos, Dómine Jesu, Sanctíssimi Cordis tui virtútibus índui, et afféctibus inflammári: ut et imágini bonitátis tuæ confórmes, et tuæ Redemptiónis mereámur esse partícipes. Qui vivis, et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Antiphona.

Tota pulchra es María.
Tota pulchra es María.
Et mácula originális non est in te.
Et mácula originális non est in te.
Tu glória Jerúsalem.
Tu lætítia Israel.
Tu honorificéntia pópuli nostri.
Tu advocáta peccatórum.
O María.
O María.
Virgo prudentíssima.
Mater clementíssima.
Ora pro nobis.
Intercéde pro nobis ad Dóminum Jesum Christum.

℣. In Conceptióne tua Virgo immaculáta fuísti. ℟. Ora pro nobis Patrem cujus Fílium peperísti.

Orémus.

DEUS, qui per Immaculátam Vírginis conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti; quæsumus, ut qui ex morte ejúsdem Fílii tui prævísa, eam ab omni labe præservásti, nos quoque mundos ejus intercessióne ad te pervenire concédas. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

PRO FUGANDA PESTE.

Antiphona.

Stella cœli extirpávit, quæ lactávit Dóminum, mortis pestem, quam plantávit primus parens hóminum. Ipsa stella nunc dignétur sídera compéscere, quorum bella plebem cædunt diræ mortis úlcere: O píssima stella maris, a peste succúrre nobis. Audi nos Dómina; nam Fílius tuus nihil negans te honórat. Salva nos Jesu, pro

Digitized by Google

quibus Virgo Mater te orat.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus.

DEUS misericórdiæ, Deus pietátis, Deus indulgéntiæ, qui misértus es super afflictiónem pópuli tui, et dixísti Angelo percutiénti pópulum tuum: Cóntine manum tuam ob amórem illíus Stellæ gloriósæ, cujus úbera pretiósa contra venénum nostrórum delictórum, quam dúlciter suxísti: præsta auxílium grátiæ tuæ; ut ab omni peste, et improvísa morte secúre liberémur, et a totíus perditiónis incúrsu misericórditer salvémur. Per te Jesu Christe Rex glóriæ, Salvátor mundi, qui vivis, et regnas in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Imprimatur

Mechliniæ, die 27 Martii 1890.

† PETRUS LAMBERTUS, CARD. GOOSSENS,

Archiepiscopus Mechlinien.

MECHLINIÆ, H. DESSAIN. — MDCCCXC.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DIE XI. FEBRUARII.

Apparitionis B. M. V. Immaculatae.

Duplex majus.

Omnia ut in Festis B. M. V. præter sequentia.

In I. Vesperis,

Añæ de Laudibus.

Capitulum. *Cant.* ij.

SUrge amíca mea, speciósa mea, et veni colúmba mea in foramínibus petræ, in cavérna macériæ, osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis.

Hymnus. Ave maris stella.

Ad Magnificat, Aña. Ista est colúmba mea, perfécta mea, immaculáta mea.

Oratio.

DEus, qui per Immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti : súpplices a te quæsumus; ut ejúsdem Vírginis apparitiónem celebrántes, salútem mentis et córporis consequámur. Per eúmdem.

Ad Matutinum,

Invitat. Immaculátam Vírginis Conceptiónem celebrémus, * Christum ejus Fílium adorémus Dóminum.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus.

TE dícimus præcónio,
Intácta Mater Núminis,
Nostris benígna láudibus
Tuam repénde grátiam.
Sontes Adámi pósteri
Infécta proles gignimur;
Labis patérnæ néscia
Tu sola, Virgo, créderis.
Caput dracónis ínvidi
Tu cónteris vestígio,
Et sola glóriam refers
Intaminátæ oríginis.
O gentis humánæ decus
Quæ tollis Hevæ oppróbrium,
Tu nos túere súpplices,
Tu nos labántes érige.
Serpéntis antíqui potens
Astus retúnde et ímpetus,
Ut cœlitum perénnibus
Per te fruámur gáudiis.
Jesu, tibi sit glória
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et almo Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

In primo Nocturno,

Aña. Ave grátia plena, * Dóminus tecum.

Aña. Benedícta tu inter mulíeres, * et benedíctus fructus ventris tui.

Digitized by Google

Aña. Ne tímeas María * invenísti grátiam apud Dóminum.

℣. Deus omnípotens præcínxit me virtúte. ℟. Et pósuit immaculátam viam meam.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. *Cap.* viij. *v.* 9.

EGO sapiéntia hábito in consílio, et erudítis intérsum cogitatiónibus. Timor Dómini odit malum : arrogántiam, et supérbiam, et viam pravam, et os bilíngue detéstor. Meum est consílium, et æquitas, mea est prudéntia, mea est fortitúdo. Per me reges regnant, et legum conditóres justa decérnunt. Per me príncipes ímperant, et poténtes decérnunt justítiam. Ego diligéntes me díligo : et qui mane vígilant ad me, invénient me.

℟. Sapiéntia quæ attíngit a fine usque ad finem fórtiter et dispónit ómnia suáviter, ædificávit sibi domum. * Ecce tabernáculum Dei cum homínibus. ℣. Vidi sanctam civitátem, Jerúsalem novam, parátam sicut sponsam, ornátam viro suo. — Ecce tabernáculum.

Lectio ij.

MEcum sunt divítiæ, et glória, opes supérbæ, et justítia. Mélior est enim fructus meus auro, et lápide pretióso, et genímina mea argénto eléćto. In viis justítiæ ámbulo, in médio semitárum judícii, ut ditem diligéntes me, et thesáuros eórum répleam. Dóminus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum, et ex antíquis ántequam terra fíeret. Nondum erant abyssi, et ego jam concépta eram : necdum fontes aquárum erúperant; necdum montes gravi mole constíterant : ante colles ego parturiébar.

℟. Quasi arcus refúlgens inter nébulas, et quasi flos rosárum in diébus vernis, et quasi lília in tránsitu aquæ, * Sic fulget Virgo immaculáta. ℣. Arcum meum ponam in núbibus, et erit signum fœderis mei vobíscum. — Sic fulget.

Lectio iij.

BEátus homo qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam,

Digitized by Google

et háuriet salútem a Dómino : qui autem in me peccáverit, lædet ánimam suam. Omnes, qui me odérunt, díligunt mortem. Sapiéntia ædificávit sibi domum, excídit colúmnas septem. Immolávit víctimas suas, míscuit vinum, et propósuit mensam suam. Misit ancíllas suas ut vocárent ad arcem, et ad mœnia civitátis: Si quis est párvulus, véniat ad me. Et insipiéntibus locúta est: Veníte, comédite panem meum, et bíbite vinum quod míscui vobis.

℟. Surge amíca mea, speciósa mea, et veni colúmba mea. * Osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis. ℣. Vox túrturis audíta est in terra nostra. — Osténde. Glória Patri. Osténde.

In secundo Nocturno.

Aña. Fecit mihi magna qui potens est, * et sanctum nomen ejus.

Aña. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus: * Deus in médio ejus non commovébitur.

Aña. Dóminus possédit te in inítio viárum suárum : * et in caritáte perpétua diléxit te.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Lectio iv.

ANno quarto a dogmática definitióne de Immaculáto beátæ Vírginis Concéptu, ad Gavi flúminis oram prope óppidum Lourdes diœcésis Tarbiénsis in Gállia, ipsa Virgo in rupis sinu super specum Massabiélle puéllæ cuídam, vernácula lingua Bernadétte nuncupátæ, paupérrimæ quidem, sed ingénuæ ac piæ, plúries se conspiciéndam óbtulit. Immaculáta Virgo juveníli ac benígno videbátur aspéctu, nívea veste niveóque pállio contécta, ac zona cærúlea succíncta : nudos pedes áurea rosa ornábat. Primo apparitiónis die, qui fuit undécimus Februárii anno millésimo octingentésimo quinquagésimo octávo, puéllam signum crucis rite piéque faciéndum edócuit, atque ad sacri rosárii recitatiónem, exémplo suo, corónam, quæ prius ex bráchio demíssa pendébat, manu advólvens, excitávit : quod in céteris étiam apparitiónibus præstitit. Altera autem apparitiónis die, puélla in simplicitáte cordis sui, diabólicam fraudem timens, lustrálem aquam in Vírginem effúdit : sed Beáta

Digitized by Google

Virgo, léniter arrídens, benigniórem illi vultum osténdit. Cum vero tértio apparuísset, puéllam ad specum per quíndecim dies invitávit. Exínde eam sæpius est alloquúta, ac pro peccatóribus oráre, terram deosculári, pœnitentiámque ágere est hortáta : deínde imperávit ut Sacerdótibus edíceret, ædificándum ibi esse sacéllum, solemnísque supplicatiónis more illo accedéndum. Mandávit ínsuper ut e fonte, qui sub aréna adhuc latébat sed mox erat eruptúrus, aquam bíberet eáque se abstérgeret. Dénique die festo Annuntiatiónis, percontánti enixe puéllæ illíus nomen, cujus aspéctu tóties dignáta fúerat, Virgo, admótis péctori mánibus elatísque in cœlum óculis, respóndit : « Immaculáta Concéptio ego sum. »

℟. Quæ est ista, quæ progréditur quasi auróra consúrgens, * Pulchra ut luna, elécta ut sol. ℣. Ipsa est colúmba mea, perfécta mea, immaculáta mea. — Pulchra.

Lectio v.

Ercrebrescénte fama beneficiórum, quæ in sacro specu recepísse fidéles dicebántur, augebátur in dies hóminum concúrsus, quos loci relígio ad specum advocábat. Itaque prodigiórum fama puellæque candóre motus Tarbiénsis Epíscopus, quarto ab enarrátis anno, post jurídicam factórum inquisitiónem, supernaturáles esse apparitiónis notas sua senténtia probávit, cultúmque Vírginis Immaculátæ in eódem specu permísit. Mox ædificátum sacéllum : ex illa die pene innúmeræ fidélium turbæ, voti ac supplicatiónis causa, ex Gállia, Bélgio, Itália, Hispánia ceterísque Europæ provínciis necnon ex longínquis Americæ regiónibus quovis anno illuc advéniunt, noménque Immaculátæ de Lourdes ubíque terrárum inclaréscit. Fontis aqua in cunctas orbis partes deláta, ægris sanitátem restítuit. Orbis vero cathólicus tantórum memor benefactórum, ædes sacras mirábili ópere ibi exstrúxit. Vexílla innúmera, acceptórum beneficiórum véluti monuménta, illuc a civitátibus ac géntibus missa, ædem Vírginis miro ornátu décorant. In hac sua véluti sede Immaculáta virgo júgiter cólitur; intérdiu quidem précibus, religióso

Digitized by Google

cantu solemnibúsque áliis cæremóniis; noctu vero sacris illis supplicatiónibus, quibus infinítæ propémodum peregrinántium turbæ céreis facibúsque accénsis procédunt et laudes Beátæ Vírginis cóncinunt.

℟. Erit in novíssimis diébus mons præparátus Vírgini Maríæ in vértice móntium, et elevábitur super cœlos, et ibunt pópuli multi et dicent : * Veníte et ascendámus ad montem. ℣. Sicut lætántium ómnium habitátio est in te.— Veníte.

Lectio vj.

Peregrinatiónes hujúsmodi fidem frigescénte sæculo excitásse, ánimum ad christiánam legem profiténdam addidísse, cultúmque Vírginis Immaculátæ mirum in modum auxísse, ómnibus compértum est. In qua mirábili fídei professióne christiánus pópulus Sacerdótes véluti duces habet, qui illuc suas plebes addúcunt. Ipsi étiam sacrórum Antístites sanctum locum frequénter ádeunt, peregrinatiónibus præsunt, solemnioribúsque festis intérsunt. Nec ádeo rarum est ipsos Románæ Ecclésiæ purpurátos Patres húmili peregrinórum more accedéntes conspícere. Ipsi quoque Románi Pontífices, pro sua erga Immaculátam de Lourdes pietáte, sacram ædem donis nobilíssimis cumulárunt. Pius nonus sacris indulgéntiis, archiconfraternitátis privilégio ac minóris Basílicæ título ipsam insignívit; ac Deíparæ imáginem ibídem cultam, solémni ritu per Legátum suum apostólicum in Gállia diadémate distínctam vóluit. Leo vero décimus tértius innúmera étiam cóntulit benefícia, indulgéntias ad modum jubilæi vigésimo quinto Apparitiónis anno verténte concéssit, peregrinatiónes sua auctoritáte verbóque provéxit, ac solémnem Ecclésiæ sub título Rosárii dedicatiónem suo nómine péragi curávit. Quorum beneficiórum amplitúdinem cumulávit, cum, plúrium Episcopórum rogátu, solémne Festum sub título Apparitiónis Beátæ Maríæ Vírginis Immaculátæ, próprio Offício et própria Missa celebrándum benígne concéssit.

℟. Prævenisti eam Dómine in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus, * Corónam de lápide pretióso. ℣. Magna

Digitized by Google

est glória ejus in salutári tuo, glóriam et magnum decórem impónes super eam. — Corónam. Glória Patri. Corónam.

In tertio Nocturno,

Aña. Manus Dómini confortávit te, * et ídeo eris benedícta in ætérnum.

Aña. Noli metúere * non enim pro te, sed pro ómnibus hæc lex constitúta est.

Aña. Benedíxit te Dóminus in virtúte sua, * quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Lectiones de Homilia, Lætáre, pater Adam. *ut in tertia die infra Octavam Immac. Concept. B. M. V.* (*Vel in Officio votivo Immac. Concept. B. M. V. pro tempore Verno*) *cum* ℟℟. *seq.*

℟. *vij.* Tu ergo ínvoca Dóminum, lóquere Regi pro nobis, * Et líbera nos de morte. ℣. Omnes sitiéntes, veníte ad aquas, et hauriétis salútem a Dómino.—Et.

℟. *viij.* Plantávit Dóminus Deus paradísum voluptátis, produxítque lignum vitæ in médio ejus. * Et flúvius egrediebátur de loco voluptátis. ℣. Emissiónes tuæ paradísus, Virgo María. — Et flúvius. Glória Patri. Et.

Ad Laudes,

et per Horas, Aña.

1. Candor est lucis ætérnæ, * et spéculum sine mácula.

2. Múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus, * et in cápite ejus coróna stellárum duódecim.

3. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, * tu honorificéntia pópuli nostri.

4. Benedícta es tu, Virgo María, a Dómino Deo excélso, * præ ómnibus muliéribus super terram.

5. Hódie nomen tuum ita magnificávit Dóminus, * ut non recédat laus tua de ore hóminum.

Capitulum. *Cant.* ij.

Surge amíca mea, speciósa mea, et veni colúmba mea in foramínibus petræ, in cavérna macériæ, osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis.

Hymnus.

Auróra soli prævia
Felix salútis núncia,
In noctis umbra plebs tua
Te, Virgo, supplex ínvocat.
Torrens nefástis flúctibus
Cunctos trahens vorágine,
Leni resídit æquore
Cum transit Arca fœderis.

Digitized by Google

Dum torret aréscens humus,
Tu rore sola spárgeris;
Tellúre circum rórida,
Intácta sola pérmanes.
Fatále virus évomens
Attóllit anguis vérticem;
At tu dracónis túrgidum
Invícta cónteris caput.
Mater benígna, réspice
Fletus precésque súpplicum,
Et dimicántes tártari
Victrix tuére ab hóstibus.
Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula. Am.

Ad Benedictus, Aña. Præclára salútis auróra, ex te, Virgo María exívit sol justítiæ, qui visitávit nos óriens ex alto.

Oratio.

DEus, qui per Immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti : súpplices a te quæsumus; ut Vírginis apparitiónem celebrántes, salútem mentis et córporis consequámur. Per eúmdem.

Ad Tertiam,

Capitul. ut in Laudibus.

℟. *br.* Quæ est ista quæ ascéndit de desérto * Delíciis áffluens? Quæ est ista. ℣. Innixa super diléctum suum. Delíciis áffluens. Glória Patri. Quæ est ista.

℣. Vidérunt eam fíliæ Sion. ℟. Et beatíssimam prædicavérunt.

Ad Sextam,

Capitulum. *Prov.* viij.

MEcum sunt divítiæ et glória, opes supérbæ et justítia : mélior est enim fructus meus auro et lápide pretióso.

℟. *br.* Ego Mater * Pulchræ dilectiónis. Ego Mater. ℣. Et timóris et agnitiónis et sanctæ spei. Pulchræ dilectiónis. Glória Patri. Ego Mater.

℣. In me omnis grátia viæ et veritátis. ℟. In me omnis spes vitæ et virtútis.

Ad Nonam,

Capitulum. *Eccli.* xxiv.

IN me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini.

℟. Qui me invénerit, * Invéniet vitam. Qui me. ℣. Et háuriet salútem a Dómino. Invéniet vitam. Glória Patri. Qui me.

℣. Transíte ad me omnes qui concupíscitis me. ℟. Et a generatiónibus meis implémini.

Digitized by Google

In ij. Vesperis.

Omnia ut in primis, præter sequentia.

Hymnus.

OMnis expértem máculæ Maríam
Edocet summus fidei magíster;
Vírginis gaudens célebrat fidélis
Terra triúmphum.
Ipsa se præbens húmili puéllæ
Virgo spectándam, récreat pavéntem,
Seque concéptam sine labe sancto
Prædicat ore.
O specus felix, decoráte divæ
Matris aspéctu! veneránda rupes,
Unde vitáles scatúere pleno
Gúrgite lymphæ.
Huc catervátim pia turba nostris,
Huc ab extérnis peregrína terris
Affluit supplex, et opem poténtis
Vírginis orat.
Excípit Mater lácrymas precántum,
Donat optátam míseris salútem;
Compos hinc voti pátrias ad oras
Turba revértit.
Súpplicum, Virgo, miseráta casus,
Semper o nostros réfove labóres,
Impetrans mœstis bona sempitérnæ
Gáudia vitæ.
Sit decus Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar utriúsque virtus
Spíritus semper, Deus unus omni
Témporis ævo.
Amen.

Ad Magnificat, Ána. Hódie gloriósa cœli Regína in terris appáruit; hódie pópulo suo verba salútis et pígnora pacis áttulit; hódie Angelórum et fidélium chori Immaculátam Conceptiónem celebrántes gáudio exsúltant, allelúia.

Concordat cum originali : ideo imprimi potest.
Tornaci die 18 Martii 1891.
G. F. J. Bouvry *Vic. Gen.*

Typis Societatis S. Joannis Evangelistæ. — Tornaci [Belg.]

Digitized by Google

D

OFFICIA PROPRIA

CONGREGATIONIS

ORATORII

DOMINI JESU

ET

MARIÆ IMMACULATÆ

PARS HIEMALIS

AUTOLII PARISIORUM
EX TYPIS OPERARIORUM ORPHANORUM. — ROUSSEL
Via dicta La Fontaine, 40

1878

Digitized by Google

Digitized by Google

OFFICIA PROPRIA

CONGREGATIONIS

ORATORII JESU ET MARIÆ IMMACULATÆ

A. S. R. C. CONCESSA

PARS HIEMALIS

FESTA DECEMBRIS

DIE X

IN FESTO

TRANSLATIONIS ALMÆ DOMUS LAURETANÆ

Duplex majus.

Omnia in Pro aliquibus locis.

DIE XVII

IN FESTO

LAZARI RESSUSCITATI EP. ET C.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pontif., præter sequentia.

Ad Magnif. in I V. et ad Ben. Antiph. Lazarus amicus noster dormit : eamus et a somno excitemus eum.

Oratio Exaudi, quæsumus, *ut in Communi.*

IN I NOCTURNO

De Scriptura occ.

In Quatuor Temporibus, Fidelis sermo, *de Communi.*

IN II NOCTURNO

Lectiones de Communi 2° *loco :* Beati patris Lazari merita.

IN III NOCTURNO

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem. *Cap.* 11.

In illo tempore : Erat quidam languens Lazarus a Bethania, de castello Mariæ et Marthæ sororis ejus. Et reliqua.

Digitized by Google

Homilia S. Augustini Episcopi.

LECTIO VII.

Tract. 45 in Joan.

IN superiori lectione meministis, quod Dominus exiit de manibus eorum qui lapidare illum voluerant, et discessit trans Jordanem, ubi Joannes baptizabat. Ibi ergo Domino constituto, infirmabatur in Bethania Lazarus, quod castellum erat proximum Jerosolymis. Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento, et extersit pedes ejus capillis suis, cujus frater Lazarus infirmabatur. Miserunt ergo sorores ejus ad eum. Jam intelligimus quo miserunt, ubi erat Jesus : quoniam absens erat, trans Jordanem scilicet. Miserunt ergo ad Dominum nuntiantes, quod ægrotaret frater earum, ut, si dignaretur, veniret, et eum ab ægritudine liberaret. Ille distulit sanare, ut posset ressuscitare. Tu autem.

R. Amavit.

LECTIO VIII.

QUID ergo nuntiaverunt sorores ejus? Domine, ecce quem amas, infirmatur. Non dixerunt : Veni; amanti enim tantummodo nuntiandum fuit. Non ausæ sunt dicere : Veni, et sana. Non ausæ sunt dicere : Ibi jube, et hic fiet. Cur enim non et istæ, si fides illius Centurionis inde laudatur? Ait enim : Non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus. Nihil horum istæ, sed tantummodo : Domine, ecce quem amas, infirmatur. Sufficit ut noveris : non enim amas et deseris. Tu autem.

R. Sint lumbi.

LECTIO IX.

DICET aliquis : Quomodo per Lazarum peccator significabatur et a

Digitized by Google

Domino sic amabatur? Audiat eum dicentem : Non veni vocare justos, sed peccatores. Si enim peccatores Deus non amaret, de cœlo ad terram non descenderet. Audiens autem Jesus, dixit eis : Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei. Talis glorificatio ipsius non ipsum auxit, sed nobis profuit. Hoc est ergo, quod ait : Non est ad mortem, quia et ipsa mors non erat ad mortem, sed potius ad miraculum, quo facto crederent homines in Christo et vitarent veram mortem. Sane videte quemadmodum tanquam ex obliquo Dominus Deum se dixit, propter quosdam, qui negant Filium Deum esse. Tu autem. Te Deum.

DIE XVIII

EXSPECTATIO PARTUS B. M. V.

Duplex majus.

Pro aliquibus.

FESTA JANUARII

DIE XXIII

DESPONSATIO B. M. V.

Duplex majus.

Pro aliquibus

DIE XXX

IN FESTO

B. SEBAST. VALFRE CONF.

Duplex majus.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, præter ea quæ hic propria adnotantur.

ORATIO.

DA nobis, quæsumus, Domine, ita pro animarum subsidio in tua dilectione manere, sicut beatum Sebastianum Confessorem tuum, ad multorum salutem, novum tibi Sacerdotem fidelem suscitasti. Per Dominum nostrum.

Digitized by Google

IN I NOCTURNO
Lect. de Script. occ.
IN II NOCTURNO
LECTIO IV.

SEBASTIANUS Valfre, in oppido Verduno Albæ Pompeiæ diœcesis humilibus sed piis parentibus natus, a prima ætate haud dubia exhibuit futuræ sanctitatis argumenta. Eluxit quippe in puero præclara quædam bonæ ac religiosæ mentis indoles, quæ eum ad christianam abstinentiam, ac pauperum misericordiam mirifice attrahebat. In sortem Domini vocatus, quum omnes, quæ sibi adversarentur, difficultates superasset, adhuc adolescens Ecclesiæ ministeriis sese addixit. Majore mox desiderio flagrans totum se Deo, et animarum saluti devovendi, Congregationem Oratorii Augustæ Taurinorum ingressus est: quam vix inceptam, et adhuc male firmam, studio ac diligentia plane constituit. Ad Sacerdotium deinde evectus, sacræ Theologiæ lauream promeruit, et in collegium doctorum cooptatus est. His adjumentis instructus, et Sancti Philippi Nerii præsertim vestigia premens, id unum toto vitæ cursu spectavit, ut omni ope unius promoveret Dei cultum, et in proximorum utilitates totus incumberet. In nosocomiis, in gynæceis, in sanctimonialium cœnobiis, in stationibus militum, in carceribus, in sontium triremibus, in officinis, in agris, in plateis et urbis viis, denique in ipsa Regis aula, singulorum juvandis animis sedulam ac perpetuam impendit operam.

R. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum : * Et dedit illi claritatem æternam.

Digitized by Google

v. Justum deduxit Dominus per vias rectas et ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

LECTIO V.

ADMIRABILIS vero exstitit in pueris et plebe erudienda christianæ fidei præceptis; quod onus sustinuit ad ætatem ultimam tanta cum alacritate, quasi tum Sacerdotii stadium esset ingressus. Idem in Judæos præstitit atque hæreticos, quorum multos vel Christo adjunxit, vel communioni restituit. Confessarii muneri assiduus, plurimos a peccati servitute solutos ad libertatem filiorum Dei traduxit; quodcumque genus hominum lenitate et clementia alliciens, atque omnibus omnia factus, ut omnes Christo lucrifaceret. In opitulandis, qui extremo supplicio afficerentur, mirræ fuit a Deo efficaciæ dono ornatus. Nec minus gratia enituit, ægrotos ac morti proximos noctu diuque invisens : cujus eximiam pietatem divina sæpe prodigia prosequuta sunt. Eodem juvandi proximos studio, puellas, quarum pudicitia periclitaretur ob inopiam rei familiaris, in tuto posuit. Perditas feminas a quæstu corporis ad continentiam convertit, eisque, ne egestatis prætextu iterum prolaberentur, vitæ subsidia comparavit. Denique in pauperes et omne miserorum genus ita fuit effusus, ut prope portenti loco habeatur tantam pecuniæ vim potuisse corrogari, quantam ipse unus in iis sustentandis collocavit. Quæ sane admiranda viri caritas non Augustæ Taurinorum septa limitibus se continuit, sed ad singulas Galliæ Cisalpinæ et Sabaudiæ provincias pervasit; quo factum est, ut omnibus

Digitized by Google

his locis communis parentis nomine appellaretur.

R. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriæ induit eum : * Et ad portas paradisi coronavit eum.

V. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad portas.

LECTIO VI.

In hac tam varia atque intenta apostolicæ vitæ sollicitudine, studium orandi contemplandique numquam intermisit : ita ut videretur, tantis laboribus defaticatus, identidem in Dei recordatione, et quasi amplexu acquiescere. Sanctissimam Servatoris nostri Matrem tenerrimo amoris sensu venerabatur, eamque ut alii venerarentur studiose curabat. Castitatem in omni vita prætulit singularem, quam abstinentia, et corporis afflictationibus severe custodiebat. Supernis quoque donis a Deo ditatus, multa, partim abdita aperuit, partim longe a conspectu remota monstravit, partim etiam multo post futura prædixit. Talis quum esset, ita de se demisse humiliterque sentiebat, ut ex firma animi persuasione crederet se mortalium omnium infimum in Oratorii Congregatione retineri aliorum indulgentia, et caritate. Archiepiscopatum vero Taurinensem magna animi contentione a Rege sibi delatum rejecit, ejusque Confessarii munus, quod invitus susceperat, abdicavit : quærebatque modis omnibus nihili se a quocumque fieri, sæpe tarditatem ingenii præferens, et generis humilitatem plus nimio augendo, ac prope inculcando. Demum senio ac laboribus debilitatus, et Ecclesiæ Sacramentis

Digitized by Google

refectus, mortem, quam ante prædixerat, Augustæ Taurinorum obiit tertio Kalendas Februarii anno millesimo septingentesimo decimo, ætatis suæ annum agens primum supra octogesimum : quem Gregorius decimus sextus Pontifex Maximus virtutibus et miraculis conspicuum solemni ritu in Beatorum numerum adscripsit.

R. Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingredere in requiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus.

v. Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cœlestia regna. Quia te. Gloria Patri. Quia te.

IN III NOCTURNO

Homilia in Evangel. Sint lumbi vestri præcincti, *ut in Communi Conf. non Pontif.*

FESTA FEBRUARII

DIE III

IN FESTO

S. SIMEONIS

PROPHETÆ ET CONF.

Duplex (m. t. v.).

Omnia de Communi Conf. non Pont., præter sequentia.

IN I VESPERIS

Si integræ dicantur, Ant. de Laud., cætera de Communi.

R. Responsum accepit Simeon a Spiritu sancto. R. Non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini.

Ad Magnif. Ant. Simeon, repletus Spiritu sancto, accepit puerum Jesum in ulnas suas, et benedixit Deum in æternum.

ORATIO.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui Unigenitum tuum ulnis sancti Simeonis in templo sanc-

Digitized by Google

to tuo suscipiendum, præsentasti; tuam supplices deprecamur clementiam : ut, eo interveniente, in templo sancto gloriæ tuæ præsentari mereamur. Per eumdem Dominum.

IN I NOCTURNO

Lect. Justus si morte, *de Comm., cum* RR. *seq.*

R. I. Simeon justus et timoratus exspectabat redemptionem Israel : * Et Spiritus sanctus erat in eo. v. Responsum accepit Simeon a Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini.* Et Spiritus.

R. II. Responsum accepit Simeon a Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini.* Et benedixit Deum et dixit : Nunc dimittis servum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum, Domine. v. Cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, ipse accepit eum in ulnas suas.* Et benedixit.

R. III. Cum inducerent puerum Jesum parentes ejus in templum, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, accepit eum Simeon in ulnas suas et benedixit Deum, dicens : * Nunc dimittis, Domine, servum tuum in pace. v. Suscipiens Simeon puerum in manibus, exclamabat, dicens :* Nunc dimittis. Gloria.* Nunc dimittis.

IN II NOCTURNO

Sermo S. Augustini Episcopi.

Serm. 13 *de Temp.*

LECTIO IV.

Sic olim prædictum est : Mater Sion dicit : Homo et homo factus est in ea : et ipse fundavit eam Altissimus. O omnipotentia nascentis! O magnificentia de cœlo ad terram descen-

Digitized by Google

dentis! adhuc in utero portabatur, et ex utero matris a Joanne Baptista salutabatur. In templo præsentabatur, et a Simeone sene famoso, annoso, probato, coronato agnoscebatur. Tunc cognovit, tunc adoravit, tunc dixit: Nunc, Domine, dimittis servum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum.

R. Suscipiens Jesum in ulnas suas, Simeon exclamavit et dixit:* Tu es vere lumen ad illuminationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel.

V. Cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, et ipse accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum, et dixit.* Tu es.

LECTIO V.

DIFFEREBATUR exire de sæculo, ut videret natum, per quem conditum est sæculum. Agnovit infantem senex, factus est in puero puer. Innovatus in ætate, qui plenus erat pietate. Simeon senex ferebat Christum infantem, Christus regebat Simeonis senectutem. Dictum ei fuerat a Domino quod non gustaret mortem, nisi videret Christum Domini natum. Natus est Christus, et impletum est desiderium senis in mundi ipsius senectute. Ipse ad senem hominem venit, qui mundum inveteratum invenit.

R. Senex puerum portabat, puer autem senem regebat:* Quem Virgo concepit, Virgo peperit. Virgo post partum, quem genuit, adoravit.

V. Accipiens Simeon puerum in manibus, gratias agens, benedixit Dominum.* Quem.

LECTIO VI.

IN isto quidem sæculo diu esse nolebat, et Christum in hoc sæculo videre cupiebat, cantans cum Propheta, et di-

Digitized by Google

cens : Ostende nobis, Domine, misericordiam. tuam, et salutare tuum da nobis. Denique, ut noveritis ita esse istius lætitiam, conclusit, dicens : Nunc dimittis servum tuum in pace : quia viderunt oculi mei solutare tuum. Prophetæ cecinerunt Conditorem cœli et terræ in terra cum hominibus futurum : Angelus nuntiavit Creatorem carnis et spiritus in carne venturum : salutavit Joannes ex utero in utero Salvatorem : Simeon senex Deum agnovit infantem.

R. Iste homo perfecit omnia quæ locutus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingredere in requiem meam : * Quia te vidi Justum coram me ex omnibus gentibus.

V. Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cœlestia regna. * Quia. Gloria.* Quia.

IN III NOCTURNO

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam

LECTIO VII. *Cap.* 2.

IN illo tempore : Homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, et homo iste justus et timoratus, expectans consolationem Israel. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Libr. 2 *Comm. in Luc. c.* 2.

ET ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, et homo iste justus et timoratus, expectans consolationem Israel. Non solum ab Angelis et Prophetis, et a pastoribus, sed etiam a senioribus et justis generatio Domini accepit testimonium. Omnis ætas, et uterque sexus, eventorumque miracula fidem astruunt. Virgo generat, sterilis parit, mutus loquitur, Elisabeth prophetat, Magus adorat, utero clau-

Digitized by Google

sus exultat, vidua confitetur, justus expectat.

R. Iste est.

LECTIO VIII.

ET bene justus, qui non suam, sed populi gratiam requirebat, cupiens ipse corporeæ vinculis fragilitatis exsolvi, sed expectans videre promissum : sciebat enim quia beati oculi qui eum viderent. Et ipse accepit eum in ulnas suas et benedixit Deum, et dixit : Nunc dimitte servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. Vide justum, velut corporeæ carcere molis inclusum, velle dissolvi, ut incipiat esse cum Christo. Dissolvi enim, et cum Christo esse multo melius est.

R. Sint lumbi.

LECTIO IX.

SED qui vult dimitti, veniat in templum, veniat in Jerusalem, expectet Christum Domini, accipiat in manibus Verbum Dei, complectatur operibus velut quibusdam suæ fidei brachiis : tunc dimittetur, ut non videat mortem, qui viderit vitam. Vides uberem in omnes gratiam, Domini generatione diffusam, et prophetiam incredulis negatam esse, non justis. Ecce et Simeon prophetat in ruinam et resurrectionem plurimorum venisse Dominum Jesum Christum : ut justorum iniquorumque merita discernat, et pro nostrorum qualitate factorum, judex verus et justus, aut supplicia decernat, aut præmia.

Te Deum.

IN LAUDIBUS
ET IN HORIS

Ant. 1. Simeon, justus et timoratus, exspectabat redemptionem Israel, et Spiritus sanctus erat in eo.

Psalmi de Domin. ad Laudes.

2. Responsum accepit Simeon a Spiritu sancto, non visurum se mortem,

Digitized by Google

nisi videret Dominum.

3. Accipiens Simeon puerum in manibus, gratias agens, benedixit Dominum.

4. Et benedixit illis Simeon, dicens : Ecce positus est hic in ruinam et resurrectionem multorum in Israel.

5. Dixit Simeon ad Mariam : Tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

v. Responsum accepit Simeon a Spiritu sancto. R. Non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini.

Ad Bened. Ant. Cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, accepit eum Simeon in ulnas suas, et benedixit Deum, dicens : Nunc dimittis servum tuum in pace.

Orat. Omnipotens, *ut supra.*

IN II VESPERIS
Ut in I Vesp.

DIE IV
IN FESTO
S. JOANNÆ VALESIÆ
Duplex.
Pro aliquibus.

DIE IX (*fixa e* v *huj.*)
IN FESTO
XXVI
MARTYRUM
JAPONENSIUM
Duplex.
Omnia de Communi plurimorum Martyrum, præter seq.

ORATIO.

DOMINE Jesu Christe, qui ad tui imitationem per Crucis supplicium primitias fidei apud Japoniæ gentes in sanctorum Martyrum Petri Baptistæ, Pauli et Sociorum sanguine dedicasti : concede quæsumus ; ut quorum hodie solemnia colimus, excitemur exemplis. Qui vivis.

IN I NOCTURNO
Lectiones de Scriptura occurrente.

Digitized by Google

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

REMOTISSIMÆ Japoniæ regioni extremis orientalis Asiæ finibus sitæ, quæ diu in tenebris et in umbra mortis sederat, sextodecimo salutis humanæ reparatæ sæculo Catholicæ veritatis lumen affulsit. Magnus siquidem illuc Indiarum Apostolus sanctus Franciscus Xaverius, Christum prædicans crucifixum, adeo insignem fidelium fundavit Ecclesiam, ut hisce in terris Apostolorum tempora rediisse viderentur. Non illi etiam defuere Martyres, qui fidei primitias sanguine consecrarent. Eodem enim labente sæculo, cum Taicosama, Japonensium Imperator, pluries minitatus fuisset se Philippinas insulas in suam ditionem redacturum, censuit Catholicus Hispaniarum Rex aliquos suæ nationis religiosos viros in Japoniam mittere, regio legatorum munere ornatos, ad pacem Taicosamæ suadendam. Huic operi delectus est Frater Petrus Baptista, Sacerdos ex Ordine Minorum sancti Francisci strictioris observantiæ discalceatorum, morum sanctitate et doctrina insignis; cui alii dati sunt socii ex eodem Ordine. Qui omnes legationem hanc eo susceperunt animo, ut inde occasionem arriperent Evangelium illis gentibus prædicandi, quia Apostolica pollebant auctoritate ad fidem Catholicam apud Indos et Sinica regna disseminandam. Hi ad littora Japoniæ appulsi et suo munere feliciter functi, ad religionis incrementum, in partem laboris aliis sociis adscitis, animum suum converterunt.

R. Sancti tui.

LECTIO V.

MULTIS proinde xenodochiis, cœnobiis et ec-

Digitized by Google

clesiis per diversa loca christiano ritu excitatis, ibique per triennium prædicationi, jejuniis, vigiliis, precibus jugiter instando, atque egenorum et languentium ærumnis miro charitatis ardore subveniendo, et fideles plurimos in via salutis confirmarunt, et gentes innumeras perduxere ad fidem. Qua de re graviter commoti inanium deorum sacerdotes, Imperatorem conveniunt eique persuadent imperium diu incolume non futurum, ni Christianam religionem undique gliscentem a suis finibus propulsandam curaret. Vano illo timore perculsus Imperator, statim jussit religiosos viros tamquam majestatis reos detineri, dixitque in eos sententiam crucis. Præter Petrum Baptistam et quinque Socios comprehensi fuere Paulus Miki cum duobus Sociis Japonensibus ex Societate Jesu, nec non Tertiarii quindecim ex eodem Ordine Minorum Japonenses, quorum alii catechismo, alii sacris officiis inserviebant, quibus duo in vinculis ministrantes adaucti sunt; proindeque sex et viginti expletus est numerus.

R. Verbera.

LECTIO VI.

Post diuturnum carceris squalorem fortissimi Christi athletæ, extrema sinistræ auris parte in Meacensi foro publice mulctati, revinctis post tergum manibus, vili in plaustro per vias primum hujus metropolis, tum aliarum Japoniæ Urbium sexcentorum milliariorum itinere terrestri, quo ignominia et terror latius spargerentur, summa hieme circumducuntur præeunte lictore, ac sententiam crucis in eos præferente, quod, vetitam a tyranno, Christi legem prædicassent. Il-

Digitized by Google

lud memoria dignum in itinere accidit ut adolescenti Japonensi Antonio, alteri ex Tertiariis, parentes occurrissent, eumque blanditiis et lacrymis conarentur adducere ut Christo fidem falleret, quibus constantissime obstitit, affirmans se, terrenis omnibus ac transitoriis despectis, unice Christo adhæsurum, qui sibi æterna et cœlestia repromisit; dein vestem qua operiebatur, eis restituit. Tandem, Nangasaquium perducti, crucibus affiguntur, quæ jam in quodam colle quasi in Calvario paratæ erant; postea in altum elati Christi fidem haud prædicare cessabant. Enituit quidem Paulus Miki, qui e triumphali illa crucis cathedra ad circumfusam multitudinem pro Christiana religione peroravit, illud palam sibi gratulatus quod in cruce, ut Christus Dominus, eademque, atque ille, ætate, supremum expleret diem. Postremo singuli, ab imis lateribus ad humeros binis lanceis transfixi, victrices animas cœlo inserendas emisere. Suorum militum gloriosum certamen variis Deus condecorare voluit signis: quibus rite probatis, Sacrorum Rituum Congregatio ad eorum Canonizationem quandocumque deveniri posse decrevit. Interim Urbanus Octavus Pontifex Maximus, habita hujus Decreti relatione, de eisdem Martyribus utpote in Beatorum fastis adscriptis, Officium et Missa quotannis recitari et celebrari indulsit. Tandem divinæ Providentiæ consilio factum est ut Pius Nonus Pontifex Maximus hujusmodi judicium ad exitum perduceret. Quare sacro Pentecostes die anni millesimi octingentesimi sexagesimi secundi, magna et illustri Purpuratorum Patrum et Epis-

Digitized by Google

coporum, qui ex omnibus Orbis Catholici partibus ad protuenda Ecclesiæ et Sedis Apostolicæ jura convenerant, corona circumdatus, eosdem Martyres Sanctorum albo recensuit.

R. Tamquam aurum.

IN III NOCTURNO

Lectiones de Homilia S. Ambrosii Episcopi in Evang. Descendens Jesus, *de Communi plurimorum Mart. 2° loco.*

DIE XVI

IN FESTO

B. GREGORII X

PONT. CONF.

Duplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis, præter sequentia.

ORATIO.

DEUS, qui Ecclesiam tuam beati Gregorii Confessoris atque Pontificis religionis zelo, et apostolicis curis amplificasti : ejus meritis et intercessione concede ; ut fidei et sanctitatis nova semper incrementa suscipiat. Per Dominum.

IN I NOCTURNO

Lect. de Scr. occ.

In Quadragesima vero, Laudemus viros gloriosos, *de Communi.*

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

GREGORIUS decimus, Thealdus seu Theobaldus antea nuncupatus, Placentiæ et Æmiliæ fines nobili vicecomitum genere natus est. Adolescens, ecclesiasticæ militiæ adscriptus, singulari nituit honestate morum vitæque munditia, nulla umquam, ut creditur, criminis contagione polluta. In Galliam cum Jacobo Cardinali Pecorario Gregorii noni legato profectus, Archidiaconus Leodiensis renuntiatus est. Eo in Italiam redeunte, theologiæ Parisiis operam dedit, ac magistri munus adeptus, verbo et exemplo fideles ac principes ad terræ sanctæ

Digitized by Google

recuperationem vehementer accendit. In Syriam deinde peregrinatus, dum ibi sacram expeditionem urgeret, a Cardinalibus, Viterbii Pontificis electionem in annum fere tertium protrahentibus, in Petri Sedem evectus est anno millesimo ducentésimo septuagesimo primo.

R. Inveni David.

LECTIO V.

Accepto Ptolemaide electionis decreto, in Italiam navigavit, ac Viterbium se contulit, deinde Romam, ubi anno insequente solemniter inauguratus est. Ab ipso Pontificatus exordio ad generalis Concilii celebrationem curas, et cogitationes omnes adjecit. Eo Lugdunum Galliarum indicto, Michælem Palæologum Græcorum imperatorem, tum alios christianos principes, et Græcæ, Latinæque Ecclesiæ præsules litteris amantissimis invitavit, accersitis etiam eximiis doctrina et sanctitate viris, uti sancto Thoma Aquinate, in ipso itinere vita functo; sancto Bonaventura; sancto Philippo Benitio; beato Alberto Magno; Petro de Tarantasia, Ordinis Prædicatorum, qui eidem in Pontificatu successit. Igitur œcumenicam Synodum Patrum numero omnium frequentissimam, cui præfuit Pontifex ipse, Græcis, ejurato schismate, ad Ecclesiæ unitatem receptis, decretis pro sacra expeditione subsidiis, editisque pluribus sanctissimis legibus, trimestri spatio feliciter celebravit.

R. Posui adjutorium.

LECTIO VI.

De pace in Ecclesia firmanda cum primis sollicitus, prælatorum dissidia, regnum inimicitias, provinciarum odia, populorum factiones composuit, diremit,

Digitized by Google

exstinxit. Ecclesiæ jura, etiam adversus reges et principes, severe ac fortiter vindicavit, nullam esse prædicans solidiorem regnorum basim, quam tutelam ecclesiasticæ libertatis. Pauperum amantissimus, primus omnium in Apostolico palatio piarum in illos largitionum præsidem constituit, iisque propriis manibus pedes quotidie abluébat, In Italiam a Concilio redux, dum profectionem in Palæstinam meditatur, Aretii in Etruria morte interceptus est, quarto ab electione sua anno, mense quarto, die decima. Fuit vir animi plane invicti et apostolici, terrenorum contemptu, cultus divini studio, fidei zelo, disciplinæ, et morum restauratione, rerum gerendarum prudentia, fortitudine, magnanimitate, aliisque virtutibus prorsus eximius. Miraculis post mortem claruisse ecclesiæ Aretinæ monumenta testantur.

R. Iste est.

IN III NOCTURNO

De Hom. in Evang. Homo peregre, *de Comm.* 1° *loco.*

DIE XXVI

IN FESTO

S. MARGARITÆ CORT. PŒNITENTIS

Duplex.

Pro aliquibus.

FESTA MOBILIA

(*Pro aliquibus.*)

FER. III

POST SEPTUAGES.

COMMEMORATIO

ORATIONIS D. N. IN MONTE OLIVETO.

Duplex majus.

FERIA III POST SEXAGES.

COMM. PASSION. D. N.

Duplex majus.

FERIA VI POST CINERES

FESTUM

SS. CORONÆ SPINEÆ

Duplex majus.

Digitized by Google

Ego infrascriptus Congregationis Oratorii Jesu Christi D. N. et Mariæ Imm. Præpositus generalis, post accuratam ac diligentem revisionem, testor et fidem facio hæc omnia Officia propria Congr. Oratorii concessa, et in præsenti exemplari impressa, omnino concordare cum indultis S. R. C., necnon cum emendatioribus approbatisque eorumdem Officiorum editionibus.

Parisiis, in fest. SS. Nominis Jesu, 20 Januar. 1878.

Ludovicus P. PÉTÉTOT
Presb. Congr. Orat.

IMPRIMATUR

† J. H. *Card.* Guibert, *Archiep. Paris.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

OFFICIA PROPRIA

CONGREGATIONIS

ORATORII

DOMINI JESU

ET

MARIÆ IMMACULATÆ

PARS VERNA

AUTOLII PARISIORUM
EX TYPIS OPERARIORUM ORPHANORUM. — ROUSSEL
Via dicta La Fontaine, 40
—
1878

Digitized by Google

Digitized by Google

OFFICIA PROPRIA

CONGREGATIONIS

ORATORII JESU ET MARIÆ IMMACULATÆ

A. S. R. C. CONCESSA

PARS VERNA

FESTA MARTII

FESTA MOBILIA (PRO ALIQUIBUS)

FERIA VI
POST I QUADRAG.
FESTUM
SS. LANCEÆ
ET CLAVORUM
Duplex majus.

FERIA VI
POST II QUADRAG.
FESTUM
SACRÆ SINDONIS
Duplex majus.

FERIA VI
POST III QUADRAG.
FESTUM
SACRORUM QUINQUE
VULNERUM.
Duplex majus.

FERIA VI
POST IV QUADRAG.
FESTUM
PRETIOSISSIMI
SANGUINIS J. C.
Duplex majus.

DIE XVIII
IN FESTO
GABRIELIS
ARCHANG.
Duplex.
Pro aliquibus.

Digitized by Google

FESTA APRILIS

DIE III

IN FESTO

S. MARIÆ ÆGYPTIACÆ

PŒNITENTIS

Duplex.

Omnia de Comm. non Virg., præter sequentia, Ad Magn. utriusque V. Ant. Mariæ dimissa sunt peccata multa quia dilexit multum. (Alleluia.)

v. Miserator et misericors Dominus. (Alleluia.)

R. Longanimis et multum misericors. (Alleluia.)

Oratio ut ad Laudes.

AD MATUTINUM

Inv. Laudemus Deum nostrum * In conversione Mariæ Ægyptiacæ.

IN I NOCTURNO

Lect. de Script. occurr. In Quadrag. Confitebor tibi, Domine.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV.

MARIA, duodecim annos nata, relicta domo parentium Alexandriam venit, fuitque per septemdecim annos in civitate peccatrix. Cum autem Jerosolymam repulsa est, donec, ad se reversa, recordaretur in amaritudine animæ suæ peccata quæ commiserat. Tunc, lacrymis coram imagine sanctissimæ Virginis, quam in atrio vidit, profusa, illam humili oratione sic deprecata est : Domina mea, per illum, quem genuisti, Salvatorem mundi te deprecor, quatenus pro me ad Deum intercedere digneris, et si me permiserit cum cæteris fidelibus intrare januas templi, et sanctæ Passionis ejus adorare mysterium, ibo actura pœnitentiam ubicumque me tua dignabitur dirigere misericordia. Moxque templum ingressa, vidit et adoravit. Inde, sumpto trium

Digitized by Google

panum viatico, perceptaque Eucharistia in oratorio Sancti Joannis ad ripam Jordanis, ultra flumen in vastissimam solitudinem secessit. Tu autem.

LECTIO V.

IBI, consumpto viatico, detritisque vestibus quibus tegebatur, hominibus ignota, dæmonibus invicta, permansit annis quadraginta septem, donec, providente Deo ut exemplum mirabilis pœnitentiæ haberemus, ad torrentem quemdam occurrit ei Zozimas Presbyter, a quo obtinuit ut vespere in Cœna Domini in adversam Jordanis ripam afferret sibi Corpus et Sanguinem Domini, quorum participatione tot annos caruerat. Condicto die accessit ad eumdem locum Zozimas, quo et Maria pervenit; recitatoque Symbolo et Oratione Dominica, ut moris erat, divina dona suscepit; rursumque precata est Zozimam, ut anno recurrente, ad eumdem torrentem veniret. Tu.

LECTIO VI.

ZOZIMAS cum eo accessit, conspexit corpus ejus jacens in terra, in qua scripta hæc legit: Sepeli, Abba Zozima, miseræ Mariæ corpusculum; redde terræ quod suum est, et pulveri adjice pulverem, orans Deum pro me, quæ morior nocte salutiferæ Passionis, post divinæ et sacræ Cœnæ communionem. Pio voto obtemperans, Zozimas corpus beatum in ipso loco terræ mandavit. Hic postea vitam ejus scripsit, per quam memoriæ ejus veneratio per Orientem et Occidentem propagata est. Tu autem.

IN III NOCTURNO

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO VII. *Cap.* 11.

IN illo tempore: Dixit Jesus principibus sa-

Digitized by Google

cerdotum et senioribus populi : homo quidam habebat duos filios, et accedens ad primum, dixit : Fili, vade hodie operare in vinea mea. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

In Matth. Hom. 67.

NIHIL sic tardiores excitat ut æmulatio : propterea sæpius inculcat Dominus : Novissimi primi et primi novissimi. Propterea, ut ad æmulationem provocaret, in medium adduxit meretrices et publicanos : hæc enim duo flagitiorum sunt extrema quæ ex amore vix eluctabili oriuntur, alia vero expecuniarum cupiditate. Non autem meretrices, quamdiu remanent meretrices, regnum Dei ingrediuntur ; sed postquam obaudierunt, postquam fidem amplexæ sunt, postquam omnino purgatæ, postquam ad meliorem vitam translatæ, sic ingrediuntur. Vides quomodo et parabola et meretricum exemplo acriorem fecit orationem, nec tamen odiosam : non enim continuo dixit : Cur non credidisti Joanni ; sed, quo magis extimularet, publicanorum et meretricum exemplum præmisit. Tu autem.

℟. Regnum mundi.

LECTIO VIII.

NEMO ergo qui male vixit desperet, nemo qui bene torpescat. Neque hic nimis confidat : sæpe enim et meretrix antevertet ; neque ille concidat animo, quippe qui possit et primos antevertere. Audi quid dicat Deus ad Jerusalem : Dixi, postquam fornicata es in omnibus his, ad me revertere. *Quando enim ad ferventem Dei amorem redierimus, priorum jam non reminiscitur : neque enim Deus ut homo. Pœnitentibus non expro-

Digitized by Google

bat præterita; non dicit: Quare tamdiu aberrasti? sed redeuntes amat. Redeamur modo ut oportet; firmissime adhæreamus, et ejus timore tanquam clavis corda nostra configamus. Tu autem.

R. Mei oblivisceatur, dicit Dominus; ecce ego lactabo eam et * Ducam in solitudinem, et loquar ad cor ejus. (Alleluia, alleluia.)

v. Vocabo non dilectam dilectam, et non misericordiam misericordiam consecutam * Ducam. Gloria Patri. Mei oblivisceatur.

In Quadrag. IX *Lect. de Hom. Fer. Extra Quadr.* IX *Lect. fit ad* Quando, *versus medium Lect.* VIII.

AD LAUDES

Ant. 1. Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, et transis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? (Alleluia.)

2. Tu Dominus Deus meus : postquam convertisti me, egi pœnitentiam. (Alleluia.)

3. Ostendisti mihi, et erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ. (Alleluia.)

4. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ : corripies me, et vivificabis me, Domine. (Alleluia.)

5. Liberasti me de perditione, propterea confitebor; et benedicam nomini Domini. (Alleluia.)

CAPITULUM. *Is.* 54.

NOLI timere, quia non confunderis neque erubesces; non enim te pudebit quia confusionis adolescentiæ tuæ oblivisceris.

Hymn. Fortem virili, *de Comm.*

v. Beata Maria, cui Deus remisit peccata multa. (Alleluia.)

R. Ora pro nobis, ut Deus remittat nobis peccata nostra. (Alleluia.)

Digitized by Google

Ad Bened. Ant. Venit Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat. (Alleluia.)

ORATIO.

LARGIRE nobis, misericors Deus, ut beata Maria Ægyptia, quæ, te super omnia diligendo, suorum accepit veniam delictorum, pœnitentiæ salutaris donum nobis obtineat. Per Dominum.

DIE XVI

IN FESTO

B. BEN. JOSEPHI LABRE

CONF.

Duplex

Omnia de Communi Conf. non Pont., præter sequentia.

ORATIO.

DEUS qui beatum Benedictum Joseph, Confessorem tuum, humilitatis studio ac paupertatis amore tibi uni adhærere fecisti : da nobis ejus suffragantibus meritis, terrena cuncta despicere et cœlestia semper inquirere. Per Dominum.

IN I NOCTURNO

In Quadragesima Lectiones Justus si morte, *de eodem communi primo loco.*

Post Pascha, de Scriptura occurrente.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV.

IN oppido Amette Boloniensis diœcesis in Gallia, anno millesimo septingentesimo quadragesimo octavo, ex honestis piissimisque parentibus ortus est Benedictus Josephus. Qui ab ineunte ætate, divina gratia præventus, gravem et a nugis alienam indolem prætulit, minoribusque fratribus exemplo fuit obedientiæ, pietatis, studii in excipiendis sive catechesi, sive traditis litterarum rudimentis. Duodennis ad patruum, sacerdotem, missus, eruditione, simul et pietate profecit, præsertim vero caritate. Nullum enim umquam egenum discedere sivit

Digitized by Google

inanem e patrui domo, eique perpetuum se adjunxit socium in ægrorum solatium, dira grassante lue, cujus ille victima obiit : imo etiam, ut nonnullis pastoribus decumbentibus subveniret, eorum gregis curam suscepit ovibusque consuluit, gramine propriis manibus ex arvis decerpto. Nec diversum se præbuit postea apud avunculum, ubi splendidius etiam caritatis specimen edidit, diu perpessus mira patientia insignem contubernalis cujusdam morositatem, a quo noctu diuque male habebatur.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum : * Et dedit illi claritatem æternam. (*Tempore Pasch.* : Alleluia.)

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

LECTIO V.

JAMDIU ad austerissimum vitæ genus se appellatum sentiens, cujus specimina parentes viderant in tota vitæ ratione, et potissimum in more incubandi per noctem nudis assibus, sternendique cervical ligneis fragmentis, putavit se a Deo vocari ad rigidissimam aliquam cœnobiticam familiam. Hinc primum ad Trappenses, postea ad Carthusianos, demum ad Cistercienses se contulit. Verum Deus, qui ad referendas asceticæ vitæ austeritates in sæculo eum appellabat, præstitit, ut a prioribus rejiceretur ex defectu ætatis, ab alteris eo quod nossent ipsum ad asperiora vocari, a Cisterciensibus demum, quod a scrupulis ita eum vexari comperissent, ut æger inde decubuerit. Itaque spe sua frustratus, cum ferventiori prece divinum lumen implo-

Digitized by Google

rasset, interiori clarissima locutione edoctus novit sibi vestigia sectanda esse Sancti Alexii, durissimamque agenpedam vitam in sacris peregrinationibus. Consulto propterea conscientiæ moderatore, annos natus viginti duos, pia suscepit itinera, rudi amictus veste, sine pecunia, sine victu, unum deferens saccum, quem scrutis oneraret et saxis, ut peregrinationem sibi duriorem præstaret.

R. Amavit eum Dominus, et ornavit eum : stolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. (*Temp. Paschali :* Alleluia.)

v. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad portas.

LECTIO VI.

Sic Italiam, Helvetiam, Germaniam, Galliam et Hispaniam septem annis pluries peragravit, sanctiora loca obeundo, numquam vestes immutans, æstum, brumam, imbres perferens, declinans ut plurimum a militari via et diversoriis, ut pericula vitaret animumque liberius intenderet in Deum, noctu cubans plerumque sub dio, et ubicumque consisteret, mira virtutum exempla relinquens, atque insignem sanctitatis famam, haud raris confirmatam prodigiis. Demum peregrinaturus quotannis ad Lauretanam ædem, vel etiam interdum obiturus aliquot Pontificiæ ditionis aut Tusciæ sanctuaria, sedem Romæ posuit : ubi cœlitem potius quam viatoris vitam agere visus est. Corporis enim pæne oblitus, tecto ut plurimum carens, sordidis, lacerisque pannis indutus, victitans analectis oblatis aut etiam e sterquilinio promptis, erosus insectis, solidos ferme

Digitized by Google

dies in templis ducere consuevit, ac præsertim coram sanctissima Eucharistia publicæ venerationi exhibita, ibique immobilis, ardens, nitenti vultu, oculis in sacram hostiam defixis eum contemplari, quem diligebat. Verum tanta ac tam jugi mentis intentione, tantaque carnis maceratione tandem attritus, anno millesimo septingentesimo octogesimo tertio, ætatis suæ trigesimo quinto, grave passus animi deliquium, post perbrevem decubitum ad superos evolavit. Eum vero celeberrima sanctitatis fama conspicuum Pius nonus, miraculis rite probatis, in Beatorum album retulit anno supra millesimum octingentesimo sexagesimo.

R. Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingredere in requiem meam : Quia te vidi justum coram me ex omnibus Gentibus. (*Tempore Paschali :* Alleluia.)

v. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cœlestia regna. Quia. Gloria Patri. Quia.

IN III NOCTURNO

Lectiones de Homilia in Evangelium Nolite timere, pusillus grex, *de Communi 2° loco.*

In Quadragesima IX *Lectio et commem. Feriæ.*

DIE XVIII

IN FESTO

BEATÆ MARIÆ AB INCARNATIONE

VIDUÆ

Duplex.

Omnia de Comm. nec Virg. nec Mart., præter seq.

ORATIO.

DEUS, qui beatam Mariam ardenti honoris tui zelo et mirabili in adversis fortitudine roborasti : ejus intercessione concede; ut adversa om-

Digitized by Google

nia fortiter tolerare valeamus, et in sanctæ tuæ religionis amore persistere. Per Dominum.

IN I NOCTURNO

Lect. de Scriptura occ.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV.

MARIA ab Incarnatione ortum habuit Lutetiæ Parisiorum, nobilibus piisque parentibus Nicolao Avrillot, domino de Champlatreux, ae Maria Luillier, et in baptismo Barbaræ nomen accepit. Jam a teneris annis, in paterna domo haud dubia futuræ sanctitatis specimina dedit. Postea duodecennis puella in disciplinam tradita est materteræ suæ, quæ, in monasterio Longi Campi prope Parisios, religionis vota emiserat, ibique Maria, inconsultis parentibus, religiosum habitum suscipere decrevit; sed ubi primum agnovit consilium illud matri suæ minus probari, a proposito suo statim recessit, oblatisque nuptiis acquievit; verita scilicet ne paterno repugnans imperio, divinæ resisteret voluntati.

LECTIO V.

PETRO Acarie nupta decimo octavo ætatis anno, in matrimonio ita se gessit, ut, teste sancto Francisco Salesio, omnibus qui in sæculo vivunt tamquam absolutissimum Christianæ virtutis exemplum proponi possit. Etsi enim nihil magis optabat quam orationi aliisque piis actibus vacare, omnia tamen conjugis matrisve munia fideliter adimplevit. Tunc autem potissimum Mariæ virtus enituit, cum inter civilis belli tumultus, viro primum exule, mox in carcerem detruso, ipsa domo ejecta, omnibus bonis spoliata remansit. Ad eam quippe inopiam redacta est, ut vix interdum haberet unde

Digitized by Google

sibi liberisque panem emeret; illud etiam miserrimum accidit quod iter agens, conjugis invisendi consolandique gratia, ex equo delapsa, femur sibi fregerit. Attamen tota spe in Deum erecta animum non despondit, et postquam convaluit, nulli pepercit labori, donec liberorum securitati consuluit, virumque restituit in libertatem. Rebus ita compositis, totam se dedit divino cultui augendo et propagando; atque auctoritate qua apud principes viros plurimum valebat, effecit ut nova religiosorum instituta in Galliis stabilirentur, inprimis Ordo Carmelitarum excalceatarum. Quod ut assequeretur, postquam gravissimos tum doctrina tum pietate viros consuluisset, ex Hispania accersivit aliquot sanctæ Theresiæ alumnas, quæ germanam regulæ formam afferrent. Tu autem.

LECTIO VI.

PLURA, Deo favente, hujus Instituti cœnobia brevi temporis spatio, condita fuerunt, eidemque ordini tres ejus filiæ nomen dederunt. Viro autem vita functo, et ipsa in Ambianense monasterium, ejus opere fundatum, se recepit, ibique Carmelitarum excalceatarum regulam professa est. Qua in occasione insigne præbuit humilitatis exemplum; nam etsi omnium facile parens erat ac magistra, id unum in votis habuit, et repetitis precibus consecuta est, ut inter sorores infimum locum teneret, humili monialis, ut vocant, conversæ titulo gaudens ac ministerio. Tanta in ea fuit obedientia, ut suæ filiæ, quæ in eodem cœnobio superiorissæ munere per aliquod tempus fun-

Digitized by Google

cta est, veluti cæteræ moniales demisse obtemperaret. Post triennium, superiorum jussu evocata Pontisarum, ad aliud ejusdem instituti monasterium, ab ipsa pariter fundatum, cum ibi annum totum conversata fuisset, diuturno gravissimoque morbo patientissime tolerato, sacramentis Ecclesiæ munita, inter sodalium preces et lacrymas animam Deo reddidit, die decima octava Aprilis, anno Domini millesimo sexcentesimo octavo decimo, ætatis suæ quinquagesimo tertio. Mortuam Deus mirabilibus signis illustravit; quibus rite probatis, a Pio Papa sexto inter beatos annumerata est, anno millesimo septingentesimo nonagesimo primo. Paucis post annis, cum in Gallia omnia turbarentur, beatæ mulieris reliquiæ, ne sacrilegi homines eas violarent, absconditæ fuerunt. Postquam autem tepescere cœpit impiorum furor, sacrum corpus solemni pompa Pontisaram relatum, in sacello monialium Carmelitarum depositum est, ubi nunc fidelium veneratione colitur. Tu autem.

IN III NOCTURNO

Homil. in Evang. Simile est regnum, *de Comm. 1° loco.*

DIE XX

IN FESTO

S. BONI LATRONIS

Duplex.

IN I VESPERIS

Antiph. et Capitulum de Laudibus. Psalmi ut in I Vesp. de Comm. Apostolorum.

HYMNUS.

JESU corona celsior,
Et veritas sublimior,

Digitized by Google

Qui confitenti servulo
Reddis perenne præmium.
Da supplicanti cœtui,
Hujus rogatu, noxii
Remissionem criminis,
Rumpendo nexum vinculi.
Anni reverso tempore,
Dies refulsit lumine,
Quo Sanctus hic de corpore
Migravit inter sidera.
Ut sis perenne mentibus
Paschale Jesu gaudium,
A morte dira criminum
Vitæ renatos libera.
Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sempiterna sæcula.

Amen.

v. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, alleluia.

r. Stolam gloriæ induit eum, alleluia.

Ad Magn. Ant. Ait latro ad latronem : Nos quidem digna factis recipimus; hic autem quid fecit? Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum, alleluia, alleluia.

Oratio ut ad Laudes.

AD MATUTINUM

Invitat. Christum Regem crucifixum, qui Latroni in Cruce paradisum donat, * Venite adoremus, alleluia.

Ps. Venite, exsultemus.

Hymn. Jesu corona celsior, *ut supra.*

IN I NOCTURNO

Ant. Beatus iste Sanctus, qui confisus est in Domino, et exau-

Digitized by Google

ditus est de monte sancto ejus, alleluia.

Psalmi de Comm. Conf. non Pontificis.

v. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, alleluia.

R. Stolam gloriæ induit eum, alleluia.

Lectiones de Scriptura occurrente.

R. I. Posui adjutorium super potentem : * Manus enim mea auxiliabatur ei, et brachium meum confortabit eum, alleluia.

v. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. Manus enim.

R. II. Iste cognovit justitiam, et vidit mirabilia, et exoravit Altissimum :* Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum, alleluia.

v. Iste inventus est in numero sanctorum. Ipse.

R. III. Amavit eum Dominus, et ornavit eum : stolam gloriæ induit eum :* Et ad portas paradisi coronavit eum, alleluia.

v. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et. Gloria Patri. Et.

IN II NOCTURNO

Ant. Invocantem exaudivit Dominus Sanctum : Dominus exaudivit eum in pace, alleluia.

v. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum, alleluia.

R. Et ad portas paradisi coronavit eum, alleluia.

Sermo sancti Joannis Chrysostomi.

Hom. 2 de Cruce et Latrone.

LECTIO IV.

Scio et ante me dixisse de Latrone, sed habet diversas intelligentias Dei sermo. Iste Latro de ligno mercatur salutem : hic Latro furatur cœleste imperium. Vim facit Majestati, non virtute propria, sed fide vincens. Ipsius Domini

Digitized by Google

vox est : Regnum cœlorum vim patitur, et violenti diripiunt illud. In cruce duo latrones, imago Judæorum et Gentilium. Latro qui pœnitet, imaginem obtinet populi ex Gentibus congregati ; qui prius in errore ambulaverat, et post hoc veritatem agnovit. Imaginem vero latro ille obtinet Judæorum, qui usque in finem perseverat latro. Et usque ad tempus quidem crucis, viam malignitatis ierunt; crux autem divisit utrumque.

v. Velum templi scissum est :* Et omnis terra tremuit. Latro clamabat de cruce, dicens : Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum, alleluia.

v. Petræ scissæ sunt; et monumenta aperta sunt; et multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et.

LECTIO V.

Viam namque cæcitatis et perditionis, qui non credidit, ingressus est; viam autem salutis, qui credidit, ingressus est : viam salutis, qui credidit, adeptus est. In cruce didicit latro differentiam viarum, quoniam novit Dominus viam justorum : via autem impiorum peribit. Et vide Dei justum judicium; ut dicas et tu cum propheta : Justus es, Domine, et rectum judicium tuum. Propter unum peccatum damnatur Adam; et propter unam fidei vocem Latro salvatur. Unum peccatum ejecit illum, et una justitia introduxit istum : et Latro habitator factus est paradisi. O admiranda rerum materies! nec Abrahæ data est per vocem repromissio paradisi. Hæreditatur quidem per fidem; repromissionem autem para-

Digitized by Google

disi nemo ante Latronem accepit.

R. Nemo promissionem paradisi ante Latronem accepit, cui Dominus in cruce dixit : * Hodie mecum eris in paradiso, alleluia.

V. Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. Hodie.

LECTIO VI.

Iste ergo vidit Salvatorem, non super throno regali, non adorari in templo, non loquentem de cœlis, non per angelos disponentem, sed in pœna sociatum Latroni : vidit in tormentis, et tamquam in gloriam adorat : videt in cruce, et rogat quasi in cœlis sedentem : videt condemnatum, et regem invocat, dicens : Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. Crucifixum vides, et Regem prædicas? In ligno pendere cernis, et cœlorum regna meditaris? O admiranda Latronis conversio !

R. O admiranda Latronis conversio ! * Crucifixum videt, et Regem prædicat, alleluia.

V. In ligno pendere cernit, et cœlorum regna meditatur. Crucifixum. Gloria Patri. Crucifixum.

IN III NOCTURNO

Ant. Domine, iste Sanctus habitabit in tabernaculo tuo, requiescet in monte sancto tuo, alleluia.

V. Hic accipiet benedictionem a Domino, alleluia.

R. Et misericordiam a Deo salutari suo, alleluia.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO VII. *Cap.* 23.

In illo tempore : Unus de his qui pendebant latronibus, blasphemabat Dominum, dicens : Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, et nos. Et reliqua.

Digitized by Google

Homilia sancti Ambrosii Episcopi.

Sermo 59 *de S. Latrone.*

QUONIAM hodie evangelii lectio de latrone fecit mentionem, videamus, quis iste Latro sit, qui, in cruce Domino constituto, non solum peccatorum suorum veniam consequitur, sed etiam paradisi amœnitate donatur : ut qui propter scelera damnatus fuerat ad pœnam, propter fidem transferatur ad gloriam; fueritque illi crux, quam pertulit, non tam supplicii damnatio, quam salutis occasio. In cruce enim positus, in Christum Dominum nostrum credidit crucifixum. Et ideo, qui consortio passionis utitur, consortio paradisi condonatur. Beatus enim Latro dum supplicium patitur, regnum cœleste consequitur. Ecce reus dicitur, sicut cui damnari illud tempus expetivit. Non enim perveniret ad gloriam, si non contraditus esset ad pœnam. Videamus, inquam, cur tantorum criminum reus tam cito a Salvatore paradisum promeretur; cum alii multorum temporum lacrymis, frequentibusque jejuniis vix delictorum suorum veniam consequantur.

R. Iste est beatus Latro, qui, in cruce positus, Christum Dominum nostrum credidit crucifixum :* Et dum supplicium patitur, regnum cœleste consequitur, alleluia.

v. Quem Judas Iscariotes in hortulo paradisi distraxerat, iste in patibulo confitetur. Et.

LECTIO VIII.

MAGNA, fratres, et multiplex causa est. Primum, quod iste Latro devotione fidei tam repente mutatus est, ut præsentem pœnam despiceret, ac de futura veniam precaretur; et

Digitized by Google

magis crederet utile sibi esse de æterno judicio petere, quam de temporali supplicio postulare. Reminiscens enim scelerum suorum, et pœnitudinem gerens, plus incipit dolere quod sperat, quam sentire quod patitur. Potuit enim, nisi de futuris amplius cogitasset, qui in Christum semel crediderat, de præsenti magis supplicio deprecari. Deinde illud ad gratiam ejus majoris est meriti, quod in Christum in cruce positum credidit, et passio quæ aliis scandalum fecit, illi ad fidem profecit. Crucis enim passio multis scandalum fuit, sicut dicit Apostolus : Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam. Recte ergo meretur paradisum, qui crucem Christi non putavit esse scandalum, sed virtutem; dicit enim idem Apostolus : Ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.

R. Iste est, qui crucem Christi non putavit esse scandalum, sed virtutem; ideoque paradisum meretur :* Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum, alleluia.

v. Iste est, qui honorificat patientem, quem Judas prodidit osculantem. Ipse intercedat. Gloria Patri. Ipse intercedat.

LECTIO IX.

RECTE plane, et Dominus huic donat paradisum : quia quem Judas Iscariotes in hortulo paradisi distraxerat, hic in crucis patibulo confitetur Latro, quem discipulus abnegavit. Mira, inquam, res ; Latro honorificat patientem, quem Judas prodidit osculantem. Ab hoc

Digitized by Google

pacis blandimenta venduntur; ab illo crucis vulnera prædicantur. Ait enim : Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum. Hæc est fidei plena devotio, ut cum vulneribus Domini profluens sanguis cernitur, tunc de potestate ejus venia postuletur. Cum videtur ejus humilitas, tunc magis timeatur ejus divinitas : cum morti addictus putatur, tunc Regis illi honorificentia deferatur. Iste enim fidelis Latro non credidit moriturum, quem annuntiat regnaturum; non putat subdendum inferis, quem dominaturum confitetur in cœlo; non arbitratur eum apud tartarum detineri, a quo se etiam postulat liberari. Cernat licet ejus hiantia vulnera, spectet ipsius sanguinem profluentem, Deum tamen credit, quem reum nescit : justum fatetur, quem non meminit peccatorem. Te Deum.

AD LAUDES.
ET PER HORAS

Ant. 1. Latro Christum crucifixum videbat, et Regem invocabat, dicens : Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum, alleluia.

Psalmi de Dominica.

2. Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, alleluia.

3. Cum conturbata fuerit anima mea, Domine, misericordiæ memor eris, alleluia.

4. Salvum me fecit Christus Redemptor, quia dixit : Hodie mecum eris in paradiso, alleluia, alleluia, alleluia.

5. Ille qui talis ad crucem venit ex culpa : ecce qualis a cruce recedit ex gratia, alleluia, alleluia, alleluia.

CAPITULUM. *Isaiæ* 59.

ECCE non est abbreviata manus Domini, ut

Digitized by Google

salvare nequeat, neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat.

HYMNUS.

Jesu Redemptor omnium,
Corona confitentium,
In hac die clementius
Indulgeas precantibus.
Tui sacri qua nominis
Confessor almus claruit :
Hujus celebrat annua
Devota plebs solemnia.
Hujus benignus annue
Confessionem nos sequi :
Hujus precatu servulis
Dimitte noxam criminis.
Ut sis perenne mentibus
Paschale, Jesu, gaudium,
A morte dira criminum
Vitæ renatos libera.
Deo Patri sit gloria
Et Filio, qui a mortuis
Surexit, ac Paraclito,
In sempiterna sæcula.
Amen.

v. Vitam petiit a te, et tribuisti ei, Domine, alleluia.

r. Gloriam, et magnum decorem imposuisti super eum, alleluia.

Ad Bened. Ant. Ait Latro ad latronem : Nos quidem digna factis recipimus ; hic autem quid fecit? Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum, alleluia, alleluia.

Digitized by Google

ORATIO.

OMNIPOTENS et misericors Deus, qui justificas impios, te supplices exoramus, ut nos benigno intuitu, quo Unigenitus tuus beatum traxit Latronem, ad dignam pœnitentiam provoces; et illam, quam ei promisit, tribuas nobis gloriam sempiternam. Per eumdem Christum.

AD TERTIAM

Ant. Qui me confessus.

Capitulum. Ecce non, *ut supra.*

R. *br.* Amávit eum Dominus, et ornavit eum. Alleluia, alleluia. Amavit. v. Stolam gloriæ induit eum. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. Amavit.

v. Induit ei Dominus loricam fidei, et ornavit eum, alleluia. R. Et ad portas paradisi coronavit eum, alleluia.

AD SEXTAM.

Ant. Cum conturbata.

CAPITULUM. *Isaiæ* 58.

TUNC invocabis, et Dominus exaudiet; clamabis, et dicet: Ecce adsum.

R. *br.* Induit ei Dominus loricam fidei, et ornavit eum.* Alleluia, alleluia. Induit. v. Et ad portas paradisi coronavit eum. Alleluia, alleluia, alleluia. Gloria Patri. Induit.

v. Hic accipiet benedictionem a Domino, alleluia. R. Et misericordiam a Deo salutari suo, allel.

AD NONAM

Ant. Ille qui talis venit.

CAPITULUM. *Isaiæ* 58.

TU autem, Domine, eruisti animam meam, ut non periret: projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

R. *br.* Hic accipiet benedictionem a Domino.* Alleluia, alleluia. Hic.

Digitized by Google

v. Et misericordiam a Deo salutari suo. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. Hic.

v. Vitam petiit a te, et tribuisti ei, alleluia. R. Gloriam, et magnum decorem imposuisti super eum, alleluia.

IN II VESPERIS

Omnia ut in primis, excepta:

Ad Magn. Ant. Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua, alleluia, alleluia.

DIE XXVI

TRANSL. RELIQUIARUM S. VINCENTII A PAULO

Duplex.

Omnia ut in Festo, præter orationem sequentem:

Deus, qui beatum Vincentium, Confessorem tuum, ut tam multis hominum miseriis subveniret, admirabilis misericordiæ munere decorasti: concede propitius; ut in Translationis ejus solemniis charitatem illam, quam ejus sacri cineres adhuc spirant, felici æmulatione appetere, ac de illius fructibus uberius participare mereamur. Per Dominum.

FESTA MAII

DIE XVI

IN FESTO

S. JOAN. NEPOMUCENI MART.

Duplex.

Pro aliquibus 1° loco.

DIE XXIV

IN FESTO

B. MARIÆ V. SUB TITULO AUXILIUM CHRISTIANO.

Duplex majus.

Pro aliquibus.

Digitized by Google

DIE XXVI

IN FESTO
S. PHILIPPI NERII CONFESSORIS

TERTII PATRONI CONGREGATIONIS NOSTRÆ

DUPLEX 2 CLASSIS CUM OCTAVA

IN I VESPERIS

Antiphona De excelso, etc., *cum reliquis de Laudibus.*

Psalm. Dixit Dominus, etc., *cum reliquis de Dominica, et loco ultimi Psalmi* Laudate Dominum omnes gentes, etc.

CAPITULUM. *Rom.* 5.

CHARITAS Dei diffusa est in cordibus nostris per inhabitantem Spiritum ejus in nobis.

HYMNUS.

PANGAMUS Nerio debita cantica,
Quem supra nitidi sidera verticis
Virtus et meritum sustulit inclytum
Carpturum pia gaudia.
Hic uri subitis dum videt ignibus
Ædes, quas habitat, fletibus abstinet,
Flammas cum penitus quiverit horridas
Paucis vincere lacrymis.
Oblatum patrui munus, et aureos
Nummos magnanimus calcat, et impiger
Romam digreditur, quam magis omnibus
Illustrem facit urbibus.
Noctes sub specubus, corpora Martyrum
Quas implent, vigilat sedulus integras;
Ex ipsis satagens discere mortuis
Normam, qua bene viveret.

Digitized by Google

Almæ sit Triadi gloria perpetim,
Quam cœlum, barathrum, terraque suscipit :
Quæ nobis Nerii det prece jugia
Dulcis gaudia Patriæ. Amen,

v. Deus virtutum, respice de cœlo, et visita vineam istam.

R. Et perfice eam, quam plantavit dextera tua.

Ad Magnif. Ant. Domus mea, domus orationis vocabitur, dicit Dominus.

ORATIO.

DEUS, qui beatum Philippum Confessorem tuum Sanctorum tuorum gloria sublimasti : concede propitius, ut cujus solemnitate lætamur, ejus virtutum proficiamus exemplo. Per Dominum, etc.

AD MATUTINUM

Invit. Venite, adoremus Regem regum,* Qui in domum orationis nos congregavit.

Psalm. Venite exultemus, etc.

HYMNUS.

NOCTU dum Nerius fercula pauperi
Gestans præcipitat, penniger Angelus
Tecto significat, qualiter excidat
Numquam fervida charitas.

Orantis penetrans cordis in intimum,
Laxavit spatium spiritus impete
De cœlo veniens, esset ut hospiti
Immenso locus amplior.

Ponti de medio gurgite naufragum
Tracturus vetulum, sub pede vortices

Digitized by Google

Duravit fluidos, et prope turbidum
Convertit mare in aridam.

Tractans exanimis membra puelluli,
In lucem revocat, mox jubet emori,
Donatus Domini munere clavibus
Vitæ, mortis et inferi.

Almæ sit Triadi gloria perpetim,
Quam cœlum, barathrum, terraque suscipit;
Quæ nobis Nerii det prece jugia
Dulcis gaudia Patriæ. Amen.

IN I NOCTURNO

Ant. Quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram, Deus meus?

Psalmi ut in Comm. Conf. non Pont.

2. Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.

3. Mandata tua, Domine, desiderabam: meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

v. Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea.

R. Faciem tuam, Domine, requiram.

De libro Ecclesiastici.

LECTIO I. *Cap.* 41.

LAUDABO nomen tuum assidue, et collaudabo illud in confessione, et exaudita est oratio mea. Et liberasti me de perditione, et eripuisti me de tempore iniquo, Propterea confitebor, et laudem dicam tibi, et benedicam nomini Domini. Cum adhuc junior essem, priusquam oberrarem, quæsivi sapientiam palam in oratione mea. Ante templum postulabam pro illa, et usque in novissimis inquiram eam. Et effloruit tanquam præcox uva. Lætatum est cor meum in ea. Ambulavit pes

Digitized by Google

meus iter rectum, a juventute mea investigabam eam. Inclinavi modice aurem meam, et excepi illam. Multam inveni in meipso sapientiam, et multum profeci in ea.

R. Repletus Spiritu sancto, beatus Philippus acensiones suas disposuit in corde suo : * Et totis visceribus diligebat Deum.

v. Dedit ei Spiritus Domini sapientiam, et prudentiam multam nimis, et latitudinem cordis. Et totis.

LECTIO II.

DANTI mihi sapientiam, dabo gloriam. Consiliatus sum enim, ut facerem illam : zelatus sum bonum, et non confundar. Colluctata est anima mea in illa, et in faciendo eam confirmatus sum. Manus meas extendi in altum, et insipientiam ejus luxi. Animam meam direxi ad illam, et in agnitione inveni eam. Possedi cum ipsa cor ab initio : propter hoc non derelinquar. Venter meus conturbatus est quærendo illam : propterea bonam possidebo possessionem. Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam, et in ipsa laudabo eum.

R. Spiritus sanctus, a throno procedens, illius cor penetravit, * Novo sanctificationis signo.

v. Advenit ignis divinus, confringens, urens, et illuminans ; et tribuit ei chrismatum dona Novo.

LECTIO III.

APPROPIATE ad me indocti, et congregate vos in domum disciplinæ. Quid adhuc retardatis? et quid dicitis in his? Animæ vestræ sitiunt vehementer. Aperui os meum, et locutus sum : Comparate vobis sine argento, et collum vestrum subjicite jugo, et suscipiat anima vestra disciplinam : in proximo

Digitized by Google

est enim invenire eam. Videte oculis vestris, quia modicum laboravi, et inveni mihi multam requiem. Assumite disciplinam in multo numero argenti, et copiosum aurum possidete in ea. Lætetur anima vestra in misericorda ejus, et non confundemini in laude ipsius. Operamini opus vestrum ante tempus, et dabit vobis mercedem vestram in tempore suo.

R. Amore vulneratus languebat jugiter, dicens : * Quis me separabit a charitate?

v. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita poterit me separare a charitate Dei, quoniam ipse in me manet, et ego in eo. Quis me. Gloria Patri. Quis me.

IN II NOCTURNO

Ant. 1. Quam dilecta tabernacula tua, Domine! concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.

2. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.

3. Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum; quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?

v. Unam petii a Domino, hanc requiram.

R. Ut inhabitem in domo Domini.

Lectiones ut in Breviario (26 *Maii*), *cum* RR. *sequentibus.*

R. IV. Oculis, et manibus in cœlum semper intentus * Invictum ab oratione spiritum non relaxabat. v. Clamans clamabat ad Dominum : quando veniam, et apparebo ante faciem Dei? Invictum.

R. v. Obitum suum longe ante præscivit, dixitque fratribus : Cupio dissolvi, et esse cum Christo. v. Interiora mea intra me efferbuerunt absque ulla requie. Cupio.

R. VI. Hodie Philippus migravit a sæculo, gem-

Digitized by Google

ma Sacerdotum, * Per quem in Cœlo viventem tanta miracula coruscant. R. O Virum ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum! Per quem. Gloria Patri. Per quem.

IN III NOCTURNO

Ant. 1. Congregate illi Sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.

2. Benedictionem dabit Legislator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.

3. Qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.

V. Memento Congregationis tuæ.

R. Quam possedisti ab initio.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO VII. *Cap.* 12.

IN illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi

Lib. 8 *in Luc.*

BEATI servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes. In superioribus vigilare nos voluit, per omnia expectantes momenta Domini Salvatoris adventum ; ne dum aliquis remittit, et negligit, et de die in diem opera sua differt, judicii futuri die, vel propria morte præventus meritum suæ commendationis amittat. Et illa quidem in omnes præcepti forma generalis (quod si dixerit servus ille in corde suo : Moram facit Dominus meus venire) ; verum series sequentis exempli dispensatoribus, hoc est Sacerdotibus videtur esse proposita, quo sciant sibi gravem in futurum pœnam esse subeundam, si, sæcularibus intenti deliciis, familiam Domini,

Digitized by Google

plebemque commissam sibi gubernare neglexerint. Ille autem servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, et non præparavit, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis.

R. Domus mea domus orationis vocabitur : * In ea omnis, qui petit, accipit; et qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur.

V. Lætificabo eos in domo orationis. In ea omnis.

LECTIO VIII.

SED quia exiguus est profectus, et parva meritorum gratia supplicii metu ab errore revocari, majorque prærogativa charitatis et amoris est; Dominus ad promerendam sui gratiam studia nostra acuit, et acquirendæ cupiditate divinitatis inflammat, dicens: Ignem veni mittere in terram; non utique illum ignem consumptorem bonorum, sed bonæ voluntatis auctorem, qui aurea Dominicæ domus vasa meliorat, fœnum verò consumit, et stipulam, ac sæcularia omnia mundi voluptate concreta, periturœque opus carnis exurit; ille ignis divinus, qui flammigerabat in ossibus Prophetarum, sicut Sanctus dixit : quia factus est sicut ignis ardens flammigerans in ossibus meis. Est enim ignis Domini, de quo dictum est : Ignis ante eum ardebit.

R. Obsecro itaque filii, orationes fieri, postulationes, et gratiarum actiones pro omnibus : * Et diligite decorem domus Dei.

V. Manete in vocatione, attendite lectioni, exhortationi, et doctrinæ; conversationem inter gentes habete bonam. Et diligite. Gloria Patri. Et diligite.

LECTIO IX.

SINT autem lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes, et ideo quia nox est dies hujus vitæ, lucerna est necessaria.

Digitized by Google

Hunc etiam in se et Amaon, et Cleophas a Domino missum esse testantur, dicentes : Nonne cor nostrum ardens erat in via, cum aperiret nobis Scripturas ? Evidenter itaque docuerunt, qualis istius ignis sit operatio, qui secreta cordis illuminat. Et ideo fortasse Dominus in igne venturus est, ut resurrectionis tempore vitia universa consumat, suoque conspectu desideria compleat singulorum, meritorumque, et mysteriorum lumen accendat.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES,
ET PER HORAS.

Ant. 1. De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudivit me.

Psalm. Dominus regnavit, etc., *cum reliquis de Laudibus Dominicæ.*

2. Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis.

3. Cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum.

4. Factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, et defeci ferre non sustinens.

5. Defecit caro mea, et cor meum, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.

CAPITULUM. *Rom.* 5.

CHARITAS Dei diffusa est in cordibus nostris per inhabitantem Spiritum ejus in nobis.

HYMNUS.

CŒLORUM Domino dum sacra munera
Libabat Nerius, sæpius advolans
Tellurem rapido corpore deserit
Christo fiat ut obvius.
Illi non rutilans purpura Principum
Sacrorum tegumen, non rubra pilei

Digitized by Google

Majestas placuit, cui placet unica
Vestis candida Virginum.
Ægrotus Mariæ dans pia brachia
Collo Virgineo, fertur in aera
Intro ceu cuperet posse cubiculum
Duci Matris in arduum.
Corpus deseruit, cum Deus hostiæ
Fertur sub niveæ tegmine conditus,
Prudens in Patriam pergere splendido
Nolens absque Viatico.
Almæ sit Triadi gloria perpetim,
Quam cœlum, barathum, terraque suscipit;
Quæ nobis Nerii det prece jugia
Dulcis gaudia Patriæ. Amen.

v. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.
R. Per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

Ad Bened. Ant. Hæc est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus, et mandata ejus gravia non sunt.

ORATIO.

DEUS, qui beatum Philippum Confessorem tuum Sanctorum tuorum gloria sublimasti : concede propitius, ut cujus solemnitate lætamur, ejus virtutum proficiamus exemplo. Per Dominum, etc.

AD TERTIAM

Capit. Charitas Dei, etc., *ut supra in Laud.*

R. *br.* Nunc manent tria hæc. * Fides, spes, charitas. Nunc manent. v. Major autem horum est charitas. Fides. Gloria Patri. Nunc manent.

v. Sectamini charitatem. R. Æmulamini spiritualia.

Digitized by Google

AD SEXTAM

CAPITULUM. *I Joan.* 3.

QUI viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?

R. *br.* Filioli mei, * Non diligamus verbo, neque lingua. Filioli mei. v. Sed opere, et veritate. Non diligamus. Gloria Patri. Filioli.

v. In hoc cognoscimus. R. Quoniam ex veritate sumus.

AD NONAM

CAPITULUM. *I Cor.* 13.

CHARITAS patiens est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi.

R. *br.* In hoc scimus, quoniam cognovimus eum. * Si mandata ejus observemus. In hoc scimus. v. Qui dicit se nosse eum, et mandata ejus non custodit, mendax est. Si mandata. Gloria Patri. In hoc scimus.

v. Qui autem servat verbum ejus. R. Vere in hoc charitas Dei perfecta est.

IN II VESPERIS

Omnia ut in primis.

v. Memento Congregationis tuæ.

R. Quam possedisti ab initio.

Ad Magnif. Ant. Venite, Filii, audite me, timorem docebo vos.

Temp. Pasch. *ad Invit., Ant.*, vv. *et* RR. *Lect. addit. unum* Allel. *In* R. *brev. Horar. vero addunt. duo* Allel. *Et in quolib. Noct. tres Psalmi dicunt. sub unic. prim. Ant. illius Noct.*

Infra Oct. S. P. N. Philippi Nerii fit commemor. ejusd. in Laud. et Miss. ac in Vesp., nisi alit. notet. in Ord. Congregat.

Si dies Oct. ejusd. Sancti occurrat cum Vigil. Pentec., tunc in Vesp. Fer. VI præc. fit comm. S. Philippi

Digitized by Google

Nerii ut in II Vesp. Offic. ejusd. Sancti; nec in Martyrol. annuntiat. dies Oct. S. Philippi Nerii.

OCTAVA S. P. N. PHILIPPI NERII.

Omnia ut in die, præter Lectiones I Nocturni de Scriptura occurrente; Secundi vero, et Tertii ex Octavario Romano, ut sequitur.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV.

De Sermone S. Bernardi Abbatis.

Serm. 2 de S. Victore.

GAUDETE in Domino, dilectissimi, qui inter continua suæ pietatis beneficia indulsit hominem mundo, cujus multi salvarentur exemplo. Iterum dico, gaudete, quod factus de medio appropiavit Deo, ut multo plures ejus intercessione salventur. In terris visus est, ut esset exemplo : in cœlum levatus est, ut sit patrocinio. Hic informat ad vitam, illic invitat ad gloriam. Factus est mediator ad regnum, qui fuit incitator ad opus. Bonus mediator, qui sibi jam postulans nihil, totum in nos transferre desiderat, et supplicantis affectum, et supplicationis fructum. Quid enim quærat sibi, qui nullius eget?

R. Oculis, et manibus in cœlum semper intentus * Invictum ab oratione spiritum non relaxabat.

V. Clamans clamabat ad Dominum : Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei? Invictum.

LECTIO V.

HÆC dies gloriosæ migrationis ejus, dies lætitiæ cordis ejus : exultemus, et lætemur in ea. Introivit in potentias Domini : gaudeamus, quia nunc potentior est ad salvandum. Hodie

Digitized by Google

Philippus, posito corpore, tanto alacrior, quanto expeditior penetravit in sancta, similis factus in gloria Sanctorum. Hodie despecto mundo, et mundi principe triumphato, supra mundum victor ascendit, accipiens de manu Domini coronam victoriæ. Ascendit autem cum immensa supellectili meritorum, clarus triumphis, miraculis gloriosus. Sedet veteranus miles, debita jam suavitate, et securitate quietus : securus quidem sibi, sed nostri sollicitus. O venerandam etiam ipsis Angelis sanctitatem, quam pari studio, etsi dispari voluntate, et mali fugitant, et frequentant boni! Nec facile dixerim, quid virum adstruat sanctiorem, horum favor, aut pavor illorum.

R. Obitum suum longe ante præscivit, dixitque fratribus: * Cupio dissolvi, et esse cum Christo.

v. Interiora mea mtra me efferbuerunt absque ulla requie. Cupio.

LECTIO VI.

O MILES emerite, qui Christianæ militiæ duris laboribus Angelicæ felicitatis requiem commutasti! respice ad imbelles et imbecilles commilitones tuos, qui inter hostiles gladios, et spiritales nequitias tuis laudibus occupamur. Quam pium, quam dulce, quam suave, o Philippe, in hoc loco afflictionis, et in hoc corpore mortis, te canere, te colere, te precari! Nomen tuum, et memoriale tuum, favus distillans in labiis captivorum; mel et lac sub lingua eorum, qui tui memoria delectantur. Eia ergo, fortis athleta, dulcis patrone, advocate fidelis, exsurge in adjutorium nobis, ut nos de nostra ereptione gaudeamus, et tu de plena victoria glorieris.

R. Hodie Philippus

Digitized by Google

migravit a sæculo, gemma Sacerdotum : * Per quem in cœlo viventem tanta miracula coruscant.

v. O virum ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum ! Per quem. Gloria Patri. Per quem.

IN III NOCTURNO

LECTIO VII.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris. Et reliqua.

Homilia S. Fulgentii Episcopi.

Ex Serm. de Confess.

Si istum Domini sermonem secundum litteram velimus accipere, nihil in eo commodi spiritalis possumus invenire. Quid enim proficit ad animæ salutem, si aliquis corporaliter, aut lumbos præcingat, aut lucernam accendat ? In lumbis itaque concupiscentia carnalis ostenditur, in lucernis vero fides, et charitas christiana monstratur. Jubens igitur Dominus lumbos nostros præcingi, concupiscentias carnis sine dubio præcipit refrænari. Imperans autem, ut lucernas ardentes habeamus, hoc utique jubet, ut et lumine veræ fidei splendeamus, et sanctæ charitatis operibus ferveamus.

R. Domus mea, domus orationis vocabitur. * In ea omnis, qui petit, accipit, et qui quærit, invenit, et pulsanti aperietur.

v. Lætificabo eos in domo orationis. In ea omnis

LECTIO VIII.

Ista quæ de Evangelio proposuimus, cum Propheticis sermonibus conferamus. Utrumque enim testamentum Deus instituit, unus Dominus dedit ; et si sunt utrius-

Digitized by Google

que testamenti diversa pro temporibus sacramenta, concordat tamen in utroque salutis humanæ sententia, qua præcipitur, ut non peccemus, et jubetur, ut bonis operibus insistamus. Per Isaiam Dominus omnes his admonet verbis : Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite perverse agere, discite benefacere. Quid est enim : Sint lumbi vestri præcincti, nisi quiescite agere perverse ? Quid est : Sint lucernæ ardentes, nisi discite benefacere ?

R. Obsecro itaque, Filii, orationes fieri, postulationes, et gratiarum actiones pro omnibus : * Et diligite decorem domus Dei.

V. Manete in vocatione, attendite lectioni, exhortationi et doctrinæ ; conversationem inter gentes habete bonam. Et diligite. Gloria Patri. Et diligite.

LECTIO IX

Pro Ss. Mm. Marcellino, Petro et Erasmo.

DIE XXXI

IN FESTO

S. ANGELÆ MERICIÆ

Duplex.

Pro aliquibus.

Digitized by Google

Ego infrascriptus Congregationis Oratorii Jesu Christi D. N. et Mariæ Imm. Præpositus generalis, post accuratam ac diligentem revisionem, testor et fidem facio hæc omnia Officia propria Congr. Oratorii concessa, et in præsenti exemplari impressa, omnino concordare cum indultis S. R. C., necnon cum emendatioribus approbatisque eorumdem Officiorum editionibus.

Parisiis, in fest. SS. Nominis Jesu, 20 Januar. 1878.

Ludovicus P. PÉTÉTOT
Presb. Congr. Orat.

IMPRIMATUR

† J. H. *Card.* Guibert, *Archiep. Paris.*

Digitized by Google

Digitized by Google

OFFICIA PROPRIA

CONGREGATIONIS

ORATORII

DOMINI JESU

ET

MARIÆ IMMACULATÆ

PARS ÆSTIVA

AUTOLII PARISIORUM

EX TYPIS OPERARIORUM ORPHANORUM. — ROUSSEL

Via dicta La Fontaine, 40

1878

Digitized by Google

Digitized by Google

OFFICIA PROPRIA

CONGREGATIONIS

ORATORII JESU ET MARIÆ IMMACULATÆ

A S. R. C. CONCESSA

PARS ÆSTIVA

FESTA JUNII

DIE III

IN FESTO

S. CLOTILDIS

REGINÆ ET VIDUÆ

Duplex.

Omnia de Communi non Virg., præter seq.

IN I VESPERIS

v. Timebunt reges terræ gloriam tuam, Domine.

R. Et populus qui creabitur laudabit Dominum.

Ad Magnif. Ant. Tu honorificentia populi nostri; quia fecisti viriliter, et confortatum est cor tuum.

ORATIO.

RESPICE, quæsumus, Domine, ad Francorum benignus imperium; et quibus per devotam sanctæ Clotildis instantiam donum fidei contulisti, iisdem nunc per ejus intercessionem tribue sincerum Christianæ pietatis affectum. Per Dominum.

IN I NOCTURNO

Lect. de Script. occurrente.

IN II NOCTURNO

LECTIO IV.

CLOTILDIS, Chilperici Burgundionum Regis filia, post parentum necem, a patruo Gundobaldo Rege educata, Clodovæo adhuc ethnico in conjugem tradita est. Cum primogenitum pe-

Digitized by Google

perisset, eum, tolerante magis quam approbante Clodovæo, baptizari jussit. Quo infante in albis defuncto, id ægre admodum tulit Clodovæus, ac baptismo imputavit. Alterum filium Regina cum genuisset, hunc quoque baptizari voluit. Qui cum ægrotare cœpisset, affirmante Rege fore ut idem ei quod fratri contingeret, matris precibus convaluit.

LECTIO V.

At Regina non cessabat hortari virum ut, abjecta idolatria, Deum verum coleret; sed ille, superstitioni Francorum adhærere non destitit, donec, in expeditione Alamannica, inclinatam cernens suam aciem, monitorum conjugis memor, auxilio Christi implorato, de hostibus triumphavit? Cui apud Remos læta uxor occurrens, ubi ordinem rei gestæ cognovit, advocavit sanctum Remigium, a quo Rex, fidem edoctus, baptizatus est et chrismate sacro inunctus.

LECTIO VI.

Post mortem Clodovæi, Turones adiit Clotildis, ibique, ad sepulchrum sancti Martini, summa pietate reliquum vitæ exegit, pernox in vigiliis, eleemosynis aliisque piis operibus intenta, munifica erga Ecclesias et monasteria. Tandem, plena dierum, Turonis migravit ad Dominum; et Parisios, inter psallentium choros translata, sepulta est a filiis suis Childeberto et Clotario Regibus, ad latus Clodovæi, in sacrario Basilicæ beatorum Petri et Pauli, ubi corpus sanctæ Genovefæ diu quievit.

IN III NOCTURNO

Homilia in Evangel. Simile est... thesauro.

AD LAUDES

v. Tu es Deus qui facis mirabilia.

Digitized by Google

R. Notum fecisti in populis virtutem tuam.

Ad Bened. Ant. Cum invocasset Clotildis omnium rectorem et salvatorem Deum, convertit Deus spiritum Clodovæi regis.

IN II VESPERIS

V. Anima mea Domino vivet.

R. Et semen meum serviet ipsi.

Ad Magnif. Ant. Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem. Alleluia.

DIE XV
IN FESTO
S. GERMANÆ COUSIN
VIRG.
Duplex.
Omnia de Comm. Virg., præter sequentia.

ORATIO

DEUS, humilium celsitudo, qui beatam Germanam Virginem tuam charitatis et patientiæ decore excellere disposuisti : ejus meritis et intercessione concede, ut, crucem jugiter ferentes, te semper diligere valeamus. Per Dominum nostrum.

IN I NOCTURNO

Lect. de Scriptura occurrente.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

GERMANA Cousin Pibraci, quod Oppidum est Tolosanæ Diœcesis, humili loco nata, ab ipsa penè infantia gravibus ærumnis fuit obnoxia. Cum enim manca esset, et strumis infecta, statim post obitum matris in novercæ odium incidit, ejusque opera de paterna domo ejecta et custodiendis gregibus addicta, solo pane et aqua victitans, et super stramen aut aridos palmites in ipsa pecudum caula somnum carpens, vitam in summa egestate rerumque omnium inopia toleravit. Hæc et alia, quibus quotidie premebatur, frigoris, æstus et imbrium incommoda, quin etiam do-

Digitized by Google

mesticorum convicia et insectationes, forti semper animo, et ore ad hilaritatem composito, non solum patientissime tulit; sed majora pati excogitavit, ut conformis fieret imagini Filii Dei, quem unice toto cordis affectu dilexit.

R. Propter veritat.

LECTIO V.

Sive enim gregem ad pascua, sive in arvis stamina e colo duceret, mente et cogitatione in Deum defixa, assiduas fundebat preces, et positis humi genibus ante crucis signum, ardentissimi amoris æstus rerum cœlestium contemplatione temperabat. Quotidie templum adire, sacrificio Missæ interesse, et singulis diebus festis se divinæ mensæ pabulo reficere in more habuit. Deiparam Virginem singulari religione coluit, eique frequentia exhibuit obsequii et pietatis officia. Caritate erga omnes affecta, pueros et puellas christianæ fidei mysteriis erudire, eorumque animos ad virtutem et rectam vivendi rationem informare, egentium inopiæ subvenire consuevit, detracto etiam sibi panis frustulo, quo unice vescebatur. Castitatis vero et innocentiæ laudem tantam promeruit, ut ad mortem usque illibatam servaverit.

R. Dilexisti justitiam.

LECTIO VI.

Hanc famulæ suæ occultam sanctitatem Deus editis e cœlo signis mirabiliter declaravit. Nam et fluvium aquis exundantem, dum Pibracense templum peteret, Germana fixo gradu sæpius transivit, et panem pauperibus erogandum, ut novercam lateret, hiberno tempore in flores convertit. Virtutibus et prodigiis illustrata, ad Cœlestis Agni nuptias tandem inopinato exitu

Digitized by Google

emigravit, annum agens secundum supra vigesimum. Mortales Virginis exuviæ, anno quadragesimo et ultra postquam e vita discesserat, incorruptæ et integræ, recentibusque conspersæ floribus repretæ sunt. Huic prodigio alia multa, per annos ferme ducentos, divina virtute ad tumulum jugiter patrata, miracula accesserunt, quæ innocentis puellæ famam et nomen longe lateque propagarunt. Quibus permotus Pius nonus Pontifex maximus, virtutibus et miraculis rite probatis, eamdem beatarum Virginum fastis primum adscripsit. Subinde vero, novis fulgentem prodigiis, idem Pontifex, anno millesimo octingentesimo sexagesimo septimo ea ipsa die qua sæcularia Apostolorum principum Solemnia agebantur, Sanctorum albo accensuit.

IN III NOCTURNO.

Homil. in Evangelium Simile est regnum cœlorum.

DIE XVI
IN FESTO
S. FRANCISCI REGIS
CONF.
Duplex.
Pro aliquibus.

FESTA JULII

DOMINICA PRIMA NON IMPEDITA POST OCTAVAM SS. PETRI ET PAULI

COMMEMORATIO OMNIUM SANCTORUM PONTIFICUM
Duplex.

IN I VESPERIS

Ant. 1. Sancti tui, Domine, *cum reliquis de Laudibus.*

Psalmus Dixit Dominus, *cum reliquis de Comm. Apostolorum.*

CAPITULUM. *Hebr.* 13.

FRATRES, Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti

Digitized by Google

sunt verbum Dei : quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.

HYMNUS.

Rex gloriose Præsulum,
Corona confitentium,
Qui respuentes terrea
Perducis ad cœlestia :
Aurem benignam protinus
Appone nostris vocibus ;
Trophæa sacra pangimus,
Ignosce quod deliquimus.
Tu vincis in Martyribus,
Parcendo Confessoribus :
Tu vince nostra crimina,
Donando indulgentiam.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Et nunc, et in perpetuum. Amen.

v. Exaltent eos in Ecclesia plebis.

R. Et in Cathedra seniorum laudent eos.

Ad Magnif. Ant. Sacerdotes Dei, benedicite Dominum ; servi Domini, hymnum dicite Deo, alleluia.

ORATIO.

Deus, qui populis tuis indulgentia consulis, et amore dominaris : da spiritum sapientiæ, suffragantibus meritis Antistitum Ecclesiæ tuæ, quibus dedisti regimen disciplinæ, ut de profectu sanctarum ovium, fiant gaudia æterna Pastorum. Per Dominum.

Digitized by Google

AD MATUTINUM *Invitatorium.* Christum Principem Pastorum, * Venite, adoremus.

HYMNUS.

ÆTERNA Christi munera,
Et gloriam Pontificum,
Laudes canentes debitas,
Lætis canamus mentibus.

Ecclesiarum Principes,
Belli triumphales duces;
Cœlestis aulæ milites,
Et vera mundi lumina.

Devota Sanctorum fides,
Invicta spes credentium,
Perfecta Christi caritas,
Mundi triumphat principem.

In his Paterna gloria,
In his voluntas Spiritus,
Exultat in his Filius,
Cœlum repletur gaudio.

Te nunc, Redemptor, quæsumus,
Ut ipsorum consortio
Jungas precantes servulos,
In sempiterna sæcula. Amen.

AD MATUTINUM *Antiphonæ, Psalmi et* vv. *Nocturnorum dicuntur de Comm. Apostolorum.*

IN I NOCTURNO De libro Ecclesiastici.

LECTIO I. *Cap.* 44.

LAUDEMUS viros gloriosos et parentes nostros in generatione sua. Multam gloriam fecit Dominus, magnificentia sua a sæculo. Dominan-

Digitized by Google

tes in potestatibus suis, homines magni virtute, et prudentia sua præditi, nuntiantes in Prophetis dignitatem Prophetarum, et imperantes in præsenti populo, et virtute prudentiæ populis sanctissima verba. In peritia sua requirentes modos musicos, et narrantes carmina scripturarum.

R. Ecce ego mitto, *de Comm. Apostol.*

LECTIO II.

HOMINES divites in virtute, pulchritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis, Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, in diebus suis habentur in laudibus. Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum : et sunt quorum non est memoria ; perierunt quasi qui non fuerint, et nati sunt quasi non nati, et filii ipsorum cum ipsis.

R. Tollite jugum.

LECTIO III.

SED illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt : cum semine eorum permanent bona, hæreditas sancta nepotes eorum : et in testamentis stetit semen eorum, et filii eorum propter illos usque in æternum manent ; semen eorum et gloria eorum non derelinquetur. Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, et nomen eorum vivit in generationem et generationem. Sapientiam ipsorum narrent populi, et laudem eorum nuntiet Ecclesia.

R. Dum steteritis.

IN II NOCTURNO

Sermo sancti Bernardi Abbatis.

In Festo S. Malachiæ Episc.

LECTIO IV.

CONGRATULEMUR, fratres, congratulemur, ut dignum est, Pontificibus nostris : quia et pium est defunctos plangere,

Digitized by Google

et pium magis congaudere viventibus. Numquid non vivunt? Et beate. Nimirum visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace. Denique jam concives sanctorum, et domestici Dei psallunt pariter, et gratias agunt, dicentes : Transivimus per ignem et aquam, et induxisti nos in refrigerium. Transiverunt plane viriliter, et feliciter pertransierunt. Transiverunt per ignem et aquam, quos neque tristia frangere, nec detinere mollia potuerunt.

R. Vidi conjunctos.

LECTIO V.

LÆTEMUR, quod Pontifices nostri ascenderunt ad cives suos, pro filiis captivitatis legatione fungentes, corda nobis conciliantes Beatorum, vota illis intimantes miserorum. Lætemur, inquam, et exultemus, quia cœlestis illa curia ex nobis habet, quibus sit cura nostri, qui suis nos protegant meritis, quos informaverunt exemplis, miraculis confirmaverunt. Sancti Pontifices, qui in spiritu humilitatis hostias pacificas cœlis frequenter invexerant, per semetipsos introiverunt ad altare Dei, ipsi Hostiæ et Sacerdotes.

R. Beati estis.

LECTIO VI.

BENEDICTUS Dominus Deus, qui tantorum Pontificum ministerio visitavit plebem suam. Et nunc assumptis iis in sanctam civitatem, tantæ recordatione suavitatis nostram non desinunt consolari captivitatem. Exsultent in Domino eorum spiritus, quod levati pondere corporeæ molis, nulla jam fæculenta, vel terrena materia prægravantur, quo minus tota alacritate, ac vivacitate corpoream omnem, et incorpoream transeuntes creaturam,

Digitized by Google

pergant toti in Deum, et adhærentes illi, unus sint cum eo spiritus in æternum. Domum istam decet sanctitudo, in qua tantæ frequentatur memoria sanctitatis.

R. Isti sunt.

IN III NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO VII. *Cap.* 16.

IN illo tempore : Venit Jesus in partes Cæsareæ Philippi, et interrogabat discipulos suos, dicens : Quem dicunt homines esse Filium hominis? Et reliqua.

Homilia sancti Leonis Papæ.

Serm. 2 *in Annio. Assumpt. suæ, ante medium.*

CUM, sicut Evangelica lectione reseratum est, interrogasset Dominus discipulos, quem ipsum (multis diversa opinantibus) crederent; respondissetque beatus Petrus, dicens : Tu es Christus Filius Dei vivi : Dominus ait : Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro, et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est : et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis : et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis. Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine petræ perseverans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit.

R. Amavit eos Dominus, et ornavit eos : stolam gloriæ induit eos, * Et ad portas paradisi coronavit eos.

v. Induit eos Dominus loricam fidei, et ornavit eos. Et ad portas.

Digitized by Google

LECTIO VIII.

In universa namque Ecclesia, tu es Christus Filius Dei vivi, quotidie Petrus dicit : et omnis lingua, quæ confitetur Dominum, magisterio hujus vocis imbuitur. Hæc fides diabolum vincit, et captivorum ejus vincula dissolvit. Hæc erutos mundo inserit cœlo, et portæ inferi adversus eam prævalere non possunt. Tanta enim divinitus soliditate munita est, ut eam neque hæretica umquam corrumpere pravitas, nec pagana potuerit superare perfidia. His itaque modis, dilectissimi, rationabili obsequio celebratur hodierna festivitas, ut in persona humilitatis meæ, ille intelligatur, ille honoretur, in quo et omnium Pastorum sollicitudo, cum commendatarum sibi ovium custodia perseverat, et cujus etiam dignitas in indigno hærede non deficit.

R. Isti sunt, qui ante Deum magnas virtutes operati sunt, et omnis terra doctrina eorum repleta est : * Ipsi intercedant pro peccatis omnium populorum.

V. Isti sunt, qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad cœlestia regna. Ipsi. Gloria Patri. Ipsi.

Lectio nona de Homilia Dominicæ occurrentis.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES
ET PER HORAS

Ant. 1. Sancti tui, Domine, florebunt sicut lilium, et sicut odor balsami erunt ante te.

Psalmus Dominus regnavit, *cum reliquis de Dominica.*

2. In cœlestibus regnis sanctorum habitatio est, et in æternum requies eorum

3. Corpora sanctorum in pace sepulta sunt, et

Digitized by Google

nomina eorum vivent in æternum.

4. Spiritus, et animæ justorum, hymnum dicite Deo nostro, alleluia.

5. Fulgebunt justi sicut sol in conspectu Dei.

CAPITULUM. *Hebr.* 13.

FRATRES, Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei : quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.

HYMNUS.

REX gloriose Præsulum,
Corona confitentium,
Qui respuentes terrea
Perducis ad cœlestia :

Aurem benignam protinus
Appone nostris vocibus ;
Trophæa sacra pangimus,
Ignosce quod deliquimus.

Tu vincis in Martyribus,
Parcendo Confessoribus :
Tu vince nostra crimina,
Donando indulgentiam.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Et nunc, et in perpetuum.
Amen.

v. Justos deduxit Dominus per vias rectas.

R. Et ostendit illis regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Vos estis lux mundi : non potest civitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam, et ponunt eam

Digitized by Google

sub modio, sed super candelabrum ut luceat omnibus, qui in domo sunt.

ORATIO.

DEUS, qui populis tuis indulgentia consulis, et amore dominaris : da spiritum sapientiæ, suffragantibus meritis Antistitum Ecclesiæ tuæ, quibus dedisti regimen disciplinæ, ut de profectu sanctarum ovium fiant gaudia æterna pastorum. Per Dominum.

Et fit commemoratio Dominicæ occurrentis.

AD TERTIAM

Ant. In cœlestibus regnis.

Capitulum Fratres, mementote, *ut supra.*

R. *br.* Lætamini in Domino : * Et exsultate, justi. Lætamini.

v. Et gloriamini, omnes recti corde. Et exsultate. Gloria Patri. Lætamini.

v. Exsultent justi in conspectu Dei.

R. Et delectantur in lætitia.

AD SEXTAM

Ant. Corpora Sanctorum.

CAPITULUM. *Act.* 20.

ATTENDITE vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.

R. *br.* Exsultent justi : * In conspectu Dei. Exsultent.

v. Et delectentur in lætitia. In conspectu. Gloria Patri. Exsultent.

v. Justi autem in perpetuum vivent.

R. Et apud Dominum est merces eorum.

AD NONAM

Ant. Fulgebunt justi.

CAPITULUM. *Hebr.* 13.

OBEDITE Præpositis vestris, et subjacete eis : ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.

R. *br.* Justi autem *

Digitized by Google

In perpetuum vivent. Justi.

v. Et apud Dominum est merces eorum. In perpetuum. Gloria Patri Justi.

v. Exsultabunt Sancti in gloria.

R. Lætabuntur in cubilibus suis.

IN II VESPERIS

Antiphonæ, Psalmi, Capitulum et Hymnus, ut in primis Vesperis et loco ultimi Psalm. Memento, Domine, David.

v. Elegit eos Dominus Sacerdotes sibi.

R. Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

Ad Magnif. Ant. Dum essent Summi Pontifices, terrena non metuerunt, sed ad cœlestia regna gloriosi migrarunt.

Et fit commemoratio Dominicæ occurrentis.

DIE III
IN FESTO
S. MARTIALIS
EP. ET C.
Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont., præter seq.

ORATIO.

DEUS, cujus ineffabili misericordia beatus Pontifex Martialis in gentibus evangelizavit investigabiles divitias Christi : da nobis ejus intercessione ; ut in scientia progredientes et in omni opere bono fructificantes, secundum Evangelii veritatem coram te ambulemus. Per.

IN I NOCTURNO
De Scriptura occ.
IN II NOCTURNO
LECTIO IV.

MARTIALIS, ut antiqua fert traditio, natione Judæus, Christi Domini ab adolescentia discipulus, a beato Petro apostolo baptizatus et cum eo Romam profectus, ibique ab eo Episco-

Digitized by Google

pus ordinatus, una cum Alpiano et Austricliano presbyteris in Gallias ad prædicandum Evangelium mittitur. Primo vero itineris die cum Austriclinianus ex inopinato morbo repente obiisset, Martialem admoto baculo quem Romæ a beato Petro acceperat, eum ad vitam revocasse narratur. Aquitaniam appulsus, a Susanna, nobilissima æque ac ditissima femina, hospitio receptum fuisse traditur, cujus vir, qui per baptismum Stephani nomen inde obtinuit, et opes et auctoritatem qua maxima apud concives suos pollebat, in Evangelicæ prædicationis favorem disposuit. Sic favente Deo, Martialis apostolatum suum Lemovici iniit, ubi post verbera et carceres, miraculorum copia et magnitudine pene innumeros infideles ad Christi fidem adduxit, inter quos referunt Valeriam, Leocadii senatoris filiam, quæ virginitatem suam Deo vovit, et prima in Aquitania martyrii, capitis obtruncatione, meruit obtinere triumphum.

LECTIO V.

ETSI Lemovicensium constitutus esset Episcopus, non suis tantum ovibus, sed et Cardurcis, et Burdigalensibus, et Aginnensibus, et Tolosanis, aliisque populis qui a Rhodano flumine ad Oceanum vergunt, Evangelium prædicasse testantur historici. Unde a variis Conciliis, Summorum Pontificum oraculo, atque et non interrupta Galliarum Ecclesiæ traditione, nomen Apostoli per Aquitaniam assecutus est. Varias illic dedicavit ecclesias, inter quas aliquibus a prædicto Stephano, familiari et assectatori suo, cujus opibus eas cons-

Digitized by Google

truxisse videtur, titulum indixit, quem postea in Protomartyris ejusdem nominis cultum dignoscitur fuisse translatum. Apostolicam Romanam sedem singulari observantia ad mortem usque prosecutus, cum beati Petri martyrii notitiam accepisset, eum non modo summis laudibus commendavit, sed adeo in populis erga tam præcellentem institutorem suum venerationem invexit, ut de sua circa ipsum et pontificiam cathedram filiali dilectione perenne remaneret monumentum.

LECTIO VI.

APOSTOLICIS virtutibus apprime exornatus et forma facti gregis ex animo, vitam in humanis agebat angelicam, in omnibus seipsum præbens exemplum bonorum operum. Assidue corpus suum exercebat vigiliis, nudis incedebat pedibus, vitam pane et aqua sustentabat, beatum Petrum æmulatus. Totum se in prædicationis ministerium effundens, vix credibile est quot labores exantlavit, quot curas impendit, quot patravit miracula, ut animas Christo lucrifaceret. Tandem laboribus magis quam senio confectus, videns per Aquitaniam, quod continuo in votis habuerat, eversos profanos ritus et Christi nomen late diffusum, dives meritis et illustris exemplis, apud Lemovicas inter suos pretiosa morte in Domino obdormivit. Ejus sacrum corpus conditum fuit in crypta quam plurimis ad suum usque ævum miraculis inclaruisse refert beatus Gregorius Turonensis. Ibi etiam duo sancti presbyteri, qui ei comites perpetuo adhæserunt, conjuncti sarcophagis sepulti sunt.

Digitized by Google

IN III NOCTURNO

Homil. in Evangel. Designavit Dominus, *de Comm. Evang.*

DIE IX
IN FESTO
B. M. V.
SUB TITULO
DE PACE
Duplex majus.
Omnia de Communi.

DIE XIX
IN FESTO
S. VINCENTII A PAULO
CONF.
Congreg. Miss.
Fundatoris.
Duplex majus.
IN I VESPERIS

Ant. 1. Egeni et pauperes quærunt aquas, et non sunt : Ego Dominus exaudiam eos. Deus Israel non derelinquam eos.

Psalmi de Dominica et loco ultimi Ps. Laudate Dominum, omnes gentes.

2. Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum et animam meam faciet : et ædificabo ei domum fidelem, et ambulabit coram Christo meo.

3. Dabo vobis pastores juxta cor meum. et pascent vos scientia et doctrina.

4. Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus.

5. Inebriabo animam Sacerdotum pinguedine, et populus meus bonis meis adimplebitur.

Capitulum Laudum.

HYMNUS.

Qui mutare solet grandibus infima,
Omnes exsuperans, maximus omnium.
Vincenti, tenuem te Deus extulit,
Cœli cœtibus inserens.
Vilis sub tuguri tegmine nasceris :
At splendor tenebras excipiet breves,

Digitized by Google

Te complexa sinu præsidium sibi
Nutrix pauperies parat.
Ut promptam miseris ferre scias opem,
Duras, heu! pateris servitii vices :
Sed te, dum fidei subdit herum jugo,
Solvit compede veritas.
Quantus nunc operum luce pates! tuis
Christi sponsa nitet culta laboribus :
Clero priscus honos, vivaque languidis
Exsurgit populis fides.
Te montanus, inops, æger et orphanus,
Te plebs tota suum jure vocat patrem :
Cunctis lætus ades, corpora sublevas,
Mentes concilias Deo.
Regum consiliis jussus ades sacris,
Mentis certa tuæ lumina consulunt :
Te nil tangit honos; at miseros ope,
Et regnum monitis juvas.
Quem flectunt inopes, maxima laus Patri :
Ægris unde salus, maxima Filio :
Blando qui recreas pectora flamine,
Par sit laus tibi, Spiritus. Amen.

v. Justus tota die misereretur et commodat.
R. Et semen ejus in benedictione erit.
Ad Magnif. Ant. Dispersit, dedit pauperibus: ustitia ejus manet in sæculum sæculi.

Oratio ut ad Laudes.

AD MATUTINUM

Invitat. Evangelizantem pauperibus Dominum, * Venite, adoremus. *Ps.* Venite.

HYMNUS.

O QUI supernæ gaudia patriæ
Haustus perenni plenius ebibis,

Digitized by Google

Ne sperne, Vincenti, tuorum
Vota, preces, gemitus clientum.

Futurus olim pauperibus pater,
Discis vel infans pauperiem pati :
Præstantiores transituris
Divitias tibi Christus offert.

Primis sub annis se tibi mutuo
Intacta junxit fœdere castitas :
In corde puro charitatem
Relligio pietasque fovit.

Christum fidei reddis imagine,
Sermone, gressu, moribus exprimis,
Christique Matris dulce nomen
Obsequiis et amore laudas.

Vinclis onustus, tartareis herum
Solvis catenis; hinc tibi redditus,
Noxis ligatos quot saluti
Restituis, subigisque Christo !

Austeriorem dum sapientiam
Castigat oris blanda serenitas,
Se corda subdunt, seque gaudent,
Eloquio dominante, vinci.

Latere gestis : splendida non sinit
Latere virtus. Regia te vocat :
Arcana tractas sacra regum,
Consilio, monitisque prodes.

Doctrina puris edita fontibus
Perversa constans dogmata respuit :
Scuto retundis veritatis
Mille malas novitatis artes.

Laus summa Patri, summaque Filio;
Compar sit tibi gloria, Spiritus :

Digitized by Google

A se vocatos roboranti
Summus honor Domino per ævum.
Amen.

IN I NOCTURNO

Ant. 1. Puer proficiebat atque crescebat, et placebat tam Domino, quam hominibus.

Psalmi de Comm.

2. Erat vir ille simplex, et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo.

3. Dominus erat cum illo et omnia opera ejus dirigebat.

v. Servavi mandata tua, et testimonia tua.

R. Quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

De Epistola prima beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

LECTIO I. *Cap.* 1.

Misit me Christus evangelizare, non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi. Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est, iis autem qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim : Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo. Ubi sapiens? Ubi scriba? Ubi conquisitor hujus sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Quoniam et Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt : nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis Judæis, atque Græcis, Christum Dei virtutem et Dei sapientam. Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus : et quod infirmum est Dei,

Digitized by Google

fortius est hominibus.

R. Paravit cor suum, * Ut investigaret legem Domini, et faceret, et doceret in Israel præceptum et judicium.

v. Devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ. Ut.

LECTIO II.

VIDETE enim vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles : sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret: ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio; ut quemadmodum scriptum est : Qui gloriatur, in Domino glorietur.

R. Sapientia venditum justum non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eum, * Descenditque cum illo in foveam, et in vinculis non dereliquit illum.

v. Oppressum a nefandorum injuria ac luxuriosa conversatione eripuit : aspectu enim et auditu justus erat. Descenditque.

LECTIO III.

ET ego cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi. Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. Et ego in infirmitate et tremore multo fui apud vos : et sermo meus, et prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et

Digitized by Google

virtutis; ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Sapientiam autem loquimur inter perfectos : sapientiam vero non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi qui destruuntur; sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram.

R. Sapientia humiliati exaltabit caput illius, * Et in medio magnatorum consedere illum faciet.

v. Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria. Et. Gloria Patri. Et.

IN II NOCTURNO

Ant. 1. Tulit me Dominus, quum sequerer gregem, et dixit Dominus ad me : Vade, prophetа ad populum meum Israel.

2. Annuntiabam ut pœnitentiam agerent, et reverterentur ad eum, digna pœnitentiæ opera facientes.

3. Multi credentium veniebant, confitentes, et annuntiantes actus suos.

v. Posui verba mea in ore tuo.

R. Ut plantes cœlos, et fundes terram.

Lectiones IV, V *et* VI *ut in Brev. in eodem Festo.*

R. IV. Sustulit eum de gregibus ovium * Pascere Jacob servum suum, et Israel hæreditatem suam. v. Et pavit eos in innocentia cordis sui, et in intellectibus manuum suarum deduxit eos, Pascere.

R. V. Evangelii factus sum minister secundum donum gratiæ Dei, quæ data est mihi secundum operationem virtutis ejus. * Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc. v. Ego novissimus evigilavi, et quasi qui colligit acinos post vin-

Digitized by Google

demíatores, in benedictione Dei et ipse speravi, et quasi qui vindemiat, replevi torcular. Mihi.

R. VI. Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem : * Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos, alleluia. v. Oculus fui cæco, et pes claudo : pater eram pauperum. Omnibus. Gloria Patri. Omnibus.

IN III NOCTURNO

Ant. 1. Adduxit sacerdotes atque levitas, et congregavit eos.

2. Dixitque ad eos : Audite me, levitæ, et sanctificamini ; mundate domum Domini, et auferte omnem immunditiam de sanctuario.

3. Egressi autem circuibant per castella evangelizantes.

v. Dominus dabit voci suæ vocem virtutis.

R. Date gloriam Deo super Israel.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO VII. *Cap.* 9.

IN illo tempore : Circuibat Jesus omnes civitates et castella, docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni. Et reliqua.

Homilia sancti Hieronymi Presbyteri.

In Matth. 9.

CERNIS quod æqualiter et villis, et urbibus, et castellis, id est, et magnis et parvis, Evangelium prædicaverit ; ut non consideraret nobilium potentiam, sed salutem credentium. Circumibat civitates, hoc habens operis, quod mandaverat Pater, et hanc esuriem, ut doctrina sua salvos faceret infideles. Docebat autem in synagogis et villis Evangelium regni, et post prædicationem atque doctrinam, curabat omnem languorem, et omnem infirmitatem ; ut quibus sermo non suaserat, opera persuaderent.

Digitized by Google

R. Venerunt ad eum in hospitium plurimi, quibus exponebat testificans regnum Dei: * Suadensque eis de Jesu ex lege Moysi et Prophetis, a mane usque ad vesperam.

V. Et circuibat omnes civitates et castella, docens. Suadensque.

LECTIO VIII.

VIDENS autem turbas, misertus est eis, quia erant vexati et jacentes sicut oves non habentes pastorem. Vexatio gregis et ovium, atque turbarum, pastorum culpa et vitium magistrorum est. Unde sequitur: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Messis multa populorum significat multitudinem; operarii pauci, penuriam magistrorum.

R. Messis quidem multa, operarii autem pauci; * Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

V. Levate oculos vestros, et videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem. Rogate. Gloria Patri. Rogate.

LECTIO IX.

ET imperat ut rogent Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Isti sunt operarii, de quibus loquitur Psalmista dicens: Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua; venientes autem venient cum exsultatione, portantes manipulos suos. Et ut apertius loquar: Messis multa, omnis turba credentium est; operarii autem pauci, et Apostoli et imitatores eorum qui mittuntur ad messem.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES

ET PER HORAS

Ant. 1. Gubernavit ad Dominum cor ipsius, et in diebus peccatorum corroboravit pietatem.

Digitized by Google

Psalmi de Dominica.

2. Vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit.

3. Oculus Dei respexit illum in bono, et erexit eum ab humilitate ipsius, et exaltavit caput ejus : et mirati sunt in illo multi, et honoraverunt Deum.

4. In omni opere dedit confessionem Sancto et Excelso in verbo gloriæ, de omni corde suo laudavit Dominum, et dilexit Deum, qui fecit illum.

5. Dedit in celebrationis decus, et ornavit tempora usque ad consummationem vitæ, ut laudarent nomen sanctum Domini.

CAPITULUM. *Eccli.* 18.

MISERATIO hominis circa proximum suum : misericordia autem Dei super omnem carnem. Qui misericordiam habet, docet et erudit quasi pastor gregem suum.

HYMNUS.

UT nunc ab alto prævia
Nos luce, Vincenti, regis,
Virtutis exemplo tuæ
Signans ad astra tramitem !
Dilecta Sponso Virginum
Corpus sacravit castitas :
Ornare Virtutum chorus
Mentem pudicam gestiit.
Hinc illa, qua te deprimis,
Sibi timens modestia :
Hinc blanda morum lenitas,
Vitæque candor simplicis.
Sed inter omnes emicat
Quo fervet igne charitas :
Quot illa pascit pauperes,
Quot corda Christo subjicit !

Digitized by Google

Ardente zelo percitus,
Late Dei mysteria
Per rura pandis : nec tamen
Curam potentum deseris.
Te sensit error integra
Dolos repulsantem fide :
Te sensit infensum scelus,
Tibique cessit impotens.
Pii laboris æmulam
Prolem sub alis congregas :
Hanc voce, factis, moribus,
Dux et magister edoces.
Qui se perenne præmium
Dat charitate fervidis,
Uni sit, et trino Deo
Laus et perennis gloria.
Amen.

v. Sacerdotes tui, Domine, induantur justitiam.

R. Et Sancti tui exsultent.

Ad Bened. Ant. Operatus est bonum, et rectum, et verum coram Domino Deo suo in universa cultura ministerii domus Domini, juxta legem et cæremonias, volens requirere Dominum Deum suum in toto corde suo.

ORATIO.

DEUS, qui ad salutem pauperum et cleri disciplinam, novam in Ecclesia tua per beatum Vincentium familiam congregasti : da, quæsumus; ut eodem nos quoque spiritu ferventes, et amemus quod amavit, et quod docuit operemur. Per Dominum.

AD TERTIAM.

Ant. Vir justus.

Digitized by Google

CAPITULUM. *Psalm.* 15. PROVIDEBAM Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear.

R. *br.* Ambula * Coram me, Ambula. v. Et esto perfectus. Coram. Gloria Patri. Ambula.

v. Homo videt ea quæ parent.

R. Dominus autem intuetur cor.

AD SEXTAM

Ant. Oculos Dei.

CAPITULUM. *Eccli.* 3. HUMILIA te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam: quoniam magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur.

R. *br.* Excelsus Dominus * Et humilia respicit. Excelsus. v. Et alta a longe cognoscit. Et. Gloria Patri. Excelsus.

v. Suscitans a terra inopem. R. Et de stercore erigens pauperem.

AD NONAM

Ant. Dedit.

CAPITULUM. *Exodi* 18. ESTO tu populo in his quæ ad Deum pertinent, ut referas quæ dicuntur ad eum, ostendasque populo cæremonias et ritum colendi.

R. *br.* Qui statis * In domo Domini. Qui statis. v. Extollite manus vestras in sancta, et benedicite Dominum. In. Gloria Patri. Qui.

v. Date nomini ejus magnificentiam. R. Et confitemini illi in voce labiorum vestrorum

IN II VESPERIS

Antiph. et Psalmi ut in I Vesp. Cap. de Laud.

HYMNUS.

QUIS novus cœlis agitur triumphus?
Cœlitum plausum comitentur hymni:
Ecce lux cleri, pater indigentum
Æthere splendet.

Digitized by Google

Facta, Vincenti, tua te perornant :
Charitas optat capiti coronam :
Teque, quam terris humilis parasti,
Gloria vestit.

Quam rudes olim populos docebas,
Veritas nunc se tibi tota pandit :
Pauperi quidquid pia dextra fudit,
Reddit Olympus.

Te Sacerdotes vel adhuc magistro,
Optimum Christi referunt odorem :
Pullulat per te sacra lætiori
Vinea fœtu.

Sed tibi quantum decus elaborant
Virgines castæ, sociæque matres!
Pauperum gaudent, duce te, fideles
Esse ministræ.

Corde qui puro miseros levabas,
Disce nunc votis hominum rogari;
Te suum clamant inopes, amica
Turba, patronum.

Summus æterno sit honos Parenti;
Par decus Nato miseros levanti;
Sancte, sit compar tibi laus per omne,
Spiritus, ævum. Amen.

v. Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus.
R. Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa.
Ad Magn. Ant. Pauperes Sion saturabo panibus : Sacerdotes ejus induam salutari, et sancti ejus exsultatione exsultabunt.

Digitized by Google

FESTA AUGUSTI

DIE XIII
IN FESTO
SANCTÆ RADEGUNDIS
REGINÆ, VIDUÆ
Duplex.

Omnia de Comm. nec Virg. nec Mart., præter sequentia.

ORATIO.

TUORUM corda fidelium, Deus miserator, illustra : et beatæ Radegundis precibus gloriosis, fac nos prospera mundi despicere et cœlesti semper consolatione gaudere. Per Dominum.

IN I NOCTURNO
Lect. de Script. occ.
IN II NOCTURNO
LECTIO IV.

RADEGUNDIS, filia Bertharii, Thuringorum regis, a Clotario, rege Francorum, capta, Atheias in villa regia apud Veromandenses, ut ibi educaretur, custodibus est deputata. Indicabat adolescens jam tum merita senectutis, dum nihil aliud quam orare, sexui congrua laborare, superflua mensæ parvulis ab ipsa lotis et ordine ad mensam aliam dispositis dispensare, ad oratorium, facta Cruce lignea, psallendo procedere, veste pavimentum oratorii nitidare, altaris pulverem facitergio potius ad conservandum colligere quam verrere, aliaque pietatis opera exercere satagebat. Adultam dum Clotarius matrimonio sibi jungere vellet, vix consecutus est aliquoties etiam clam fugientem.

LECTIO V.

MATRIMONIO juncta, sic terreno nupsit principi, ut non separaretur a cœlesti, quem in pauperibus, mendicis et ægrotis fovebat, complectebatur, recreabat.

Digitized by Google

Domum Atheias excipiendis pauperibus construxit, quibus ipsa serviebat. Caritate, humilitate, patientia et abstinentia fuit admirabili, cilicio semper induta. Religiosæ vitæ desiderio Novium venit, ubi a sancto Medardo Episcopo, venia regis prius obtenta, sacrum velum accepit; indeque Pictavum deveniens, in cœnobio a se exstructo monasticam vitam una cum aliis piis feminis professa, a venerabilibus concilii Parisiensis Patribus ad perseverantiam admonita est. Martyrii desiderio incensa, carnem suam candenti lamina in modum crucis formata comburebat corpusque tribus ferreis catenis strictissime ligatum ita afflictabat, ut sub cute inclusas catenas cum vellet extrahere, carnem per dorsum et pectus incidere oporteret.

LECTIO VI.

Maxima devotione sacrificium Eucharistiæ prosequebatur, panesque in illius usum propriis manibus conficiebat, quos diversis suppeditabat ecclesiis. Sacras reliquias tanta veneratione honorabat, ut harum desiderio Regulum Presbyterum miserit ad Jerosolymitanum Patriarcham, petens ab eo aliquam partem corporis beati Mamantis martyris, qui, beatæ reginæ Radegundis annuens, dexteræ manus digitum prædicti martyris, quo par erat honore, transmisit. Ab imperatore Justino quoque partem ligni sanctæ Crucis expetitam dono accepit, quam summa religione adoravit. Ad cujus receptionem Venantius Fortunatus, Pictaviensis Episcopus, hymnum illum : Vexilla Regis prodeunt, composuit.

Denique cum obitus

Digitized by Google

sui diem sororibus prædixisset, ad Dominum migravit, idibus Augusti, anno Incarnationis quingentesimo octogesimo septimo. Ejus corpus beatus Gregorius Turonensis terræ mandavit, occupato in diœcesi obeunda Merovæo Pictaviensi, cui reservatum est ut reversus missam celebraret ac tumulo operculum imponeret.

IN III NOCTURNO

Homil. in Evang. Simile, *de Communi.*

DIE XVI
IN FESTO
SANCTI ROCHI
CONF.
Duplex.
Pro aliquibus.

DIE XVIII
IN FESTO
SANCTÆ HELENÆ
IMPER. VIDUÆ.
Duplex.
Pro aliquibus.

DOMINICA.
POST OCTAVAM
ASSUMPTIONIS
FESTUM
PURISSIMI CORDIS
B. M. V.
Duplex majus.
(*Officium novum approbatum et concessum ex decreto S. R. C. die 21 Julii 1855.*)

IN I VESPERIS

Antiph. et Capit. de Laud. Psalmi ut in Festis B. M.

Hymn. Ave Maris.

v. Exsulta in omni corde, filia Jerusalem.

R. Rex Israel, Dominus in medio tui.

Ad Magnif. Ant. Exsultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cor meum in Deo meo, quia lætata sum in salutari tuo.

Oratio ut ad Laudes.

AD MATUTINUM.

Invitat. Ave Maria gratia plena : * Dominus tecum. *Ps.* Venite.

Hymn. Quem terra.

Digitized by Google

IN I NOCTURNO

Ant. 1. Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.

Psalmi ut in Festis B. M.

2. Et ait Maria : Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.

3. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ : ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

v. Anima mea liquefacta est.

R. Ut locutus est dilectus.

De Canticis Canticorum.

LECTIO I. *Cap.* 4.

QUAM pulchra es amica mea, quam pulchra es! Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet. Sicut vitta coccinea, labia tua : et eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet. Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis : mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Vulnerasti cor meum, soror mea Sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui. Favus distillans labia tua, Sponsa, mel et lac sub lingua tua. Hortus conclusus, fons signatus.

R. Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua : lætetur cor meum, * Ut timeat nomen tuum.

v. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum. Ut.

LECTIO II. *Cap.* 5.

VENI in hortum meum, soror mea Sponsa : messui myrrham meam cum aromatibus meis : comedi favum cum melle meo. Vox dilecti mei pulsantis : Aperi mihi, soror mea, amica mea,

Digitized by Google

columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium. Surrexi ut aperirem dilecto meo : manus meæ stillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima. Aperui dilecto meo, at ille declinaverat atque transierat. Anima mea liquefacta est, ut locutus est.

R. In Domino gaudebo, et exsultabo in Deo Jesu meo : Deus Dominus fortitudo mea. * Super excelsa deducet me.

v. Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. Super.

LECTIO III. *Cap.* 5 *et* 6.

QUALIS est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum? Qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adjurasti nos? Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus, totus desiderabilis. Talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus, filiæ Jerusalem. Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? Quo declinavit dilectus tuus, et quæremus eum tecum? Pulchra es, amica mea, suavis et decora sicut Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata. Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ, electa genitrici suæ. Viderunt eam filiæ, et beatissimam prædicaverunt : reginæ laudaverunt eam.

R. Inveni gratiam apud oculos tuos, Domine mi, * Qui consolatus es me et locutus es ad cor ancillæ tuæ.

v. In toto corde meo exquisivi te, ne repellas me a mandatis tuis. Qui. Gloria Patri. Qui.

IN II NOCTURNO

Ant. 1. Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi a Domino.

Digitized by Google

2. Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.

3. Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.

v. Fortis est ut mors dilectio.

R. Dura sicut infernus æmulatio.

Sermo sancti Bernardini Senensis.

LECTIO IV.

Ex serm. 9 *de Visitat.*

Quis mortalium. nisi divino fretus oraculo, de vera Dei et hominis Genitrice quidquam modicum, sive grande præsumat pollutis labiis nominare : quam Pater ante sæcula Deus perpetuam prædestinavit in Virginem dignissimam : Filius elegit in Matrem : Spiritus sanctus omnis gratiæ domicilium præparavit? Quibus verbis ego homunculus sensus altissimos Virginei Cordis, sanctissimo ore prolatos, efferam, quibus non sufficit lingua omnium hominum, et etiam Angelorum ? Dominus enim ait : Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona. Quis autem inter puros homines melior homo potest excogitari, quam illa, quæ meruit effici Mater Dei, quæ in Corde et in utero suo ipsum Deum hospitata est? Quis thesaurus melior, quam ipse divinus amor, quo Cor Virginis ardens erat?

R. Ego diligentes me diligo, et qui mane vigilant ad me invenient me. Mecum sunt divitiæ et gloria : * Opes superbæ et justitia.

v. Ut ditem diligentes me, et thesauros eorum repleam. Opes.

LECTIO V.

De hoc igitur Corde quasi fornace divini ardoris Virgo beata protulit verba bona, id est verba ardentissimæ charitatis. Sicut enim a vase

Digitized by Google

optimo vino pleno, non potest exire nisi optimum vinum : aut sicut a fornace summi ardoris non egreditur nisi incendium fervens : sic de Corde Matris Christi exire non potuit verbum, nisi summi, summeque divini amoris atque ardoris. Septem verba tantum miræ sententiæ et virtutis a Christi benedictissima Matre leguntur dicta. Cum angelo bis tantum locuta est. Cum Elisabeth bis etiam. Cum Filio etiam bis. Cum ministris in nuptiis semel. Hæc septem verba secundum septem amoris actus, sub miro gradu et ordine prolata, quasi sunt septem flammæ Cordis ejus.

R. Ego Mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei. In me gratia omnis viæ et veritatis : * In me omnis spes vitæ et virtutis.

v. Transite ad me, omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini. In me.

LECTIO VI.

QUÆ verba considerans mens devota, cum ipso Propheta ait : Quam dulcia faucibus meis, id est omnibus affectionibus, eloquia tua ! Porro dulcedo hæc, quam in verbis beatæ Virginis devota mens, sentit, est ardor piæ devotionis, quam in eis anima experimentaliter probat. Distinguamus igitur per ordinem has septem flammas amoris, verborum Virginis benedictæ. Prima est flamma amoris separantis. Secunda amoris transformantis. Tertia amoris communicantis. Quarta amoris jubilantis. Quinta amoris soporantis. Sexta amoris compatientis. Septima amoris consummantis.

R. Beatus homo, qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie,

Digitized by Google

et observat ad postes ostii mei. * Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.

v. Qui autem in me peccaverit, lædet animam suam : omnes qui me oderunt, diligunt mortem. Qui. Gloria Patri. Qui.

IN III NOCTURNO

Ant. 1. Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?

2. Misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum.

3. Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.

v. Ego dilecto meo.

R. Et ad me conversio ejus.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO VII. *Cap.* 2.

IN illo tempore : Dixit Mater Jesu ad illum : Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus et ego dolentes quærebamus te. Et reliqua.

De Homilia venerabilis Bedæ Presbyteri.

In Homil. Hiem. de temp. Dom. I post Epiph.

MATER ejus, inquit Evangelista, conservabat omnia verba hæc in Corde suo. Omnia quæ de Domino, vel a Domino dicta, sive acta cognoverat Mater Virgo, diligentius in Corde retinebat, sollicite cuncta memoriæ commendabat, ut cum demum tempus prædicandæ, sive scribendæ Incarnationis ejus adveniret, sufficienter universa, prout essent gesta, posset explicare quærentibus. Imitemur et nos, fratres mei, piam Domini Matrem, ipsi quoque omnia verba et facta Domini ac Salvatoris nostri fixa in corde conservando.

R. Aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem : * Neque flumina obruent eam.

v. Si dederit homo

Digitized by Google

omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Neque.

LECTIO VIII.

HORUM Domini verborum et actorum meditatione diurna et nocturna importunos inanium nocentiumque cogitationum repellamus incursus : horum crebra collatione et nos et proximos nostros a fabulis supervacuis, et male dulcoratis detractionum colloquiis castigare, atque ad divinæ frequentiam laudis accendere curemus. * Si enim, fratres charissimi, in futuri beatitudine sæculi habitare in domo Domini, ac perpetuo illum laudare desideramus, oportet nimirum et in hoc sæculo, quod in futuro quæramus, sollicitè præmonstremus : frequentando videlicet Ecclesiæ limina, et non solum in ea laudes Domini canendo, sed et in omni loco dominationis ejus ea, quæ ad laudem gloriamque Conditoris nostri proficiant, verbis pariter ac factis ostendendo.

R. Spiritus meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum. Qui audit me, non confundetur,* Et qui operantur in me, non peccabunt.

V. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Et. Gloria Patri. Et.

Lectio IX *de Hom. Dominicæ occ.; sed si extra Dominicam agi de hoc Festo contingat, tunc Lect.* IX *incipiet ab asterisco posito supra in Lect.* VIII.

AD LAUDES
ET PER HORAS

Ant. 1. Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.

Ps. Dominus regnavit, *cum reliquis.*

2. Dilectus meus loquitur mihi : Surge, propera, amica mea.

Digitized by Google

3. Fulcite me floribus, stipate me malis : quia amore langueo.

4. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, ne suscitetis dilectam quoadusque ipsa velit.

5. Ego dormio, et cor meum vigilat.

CAPITULUM. *Cant.* 8.

PONE me ut signaculum super Cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Lampades ejus lampades ignis, atque flammarum,

Hymn. O gloriosa.

v. Qui me invenerit, inveniet vitam.

R. Et hauriet salutem a Domino.

Ad Bened. Ant. Extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi : Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti.

ORATIO.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui in corde beatæ Mariæ Virginis dignum Spiritus sancti habitaculum præparasti : concede propitius ; ut ejusdem Purissimi Cordis festivitatem devota mente recolentes, secundum Cor tuum vivere valeamus. Per Dominum. In unitate ejusdem.

AD PRIMAM

In R. *br.* v. Qui natus es de Maria Virgine.

AD TERTIAM

Ant. Dilectus meus.

Capit. Pone me, *sup.*

R. *br.* Anima mea Liquefacta est. Anima. v. Ut locutus est dilectus. Liquefacta. Gloria Patri. Anima.

v. Fortis est ut mors dilectio. R. Dura sicut infernus æmulatio.

AD SEXTAM

Ant. Fulcite.

CAPITULUM. *Eccli.* 24.

EGO ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam ; ego feci in cœlis, ut oriretur lumen indeficiens, et sicut nebula texi omnem terram.

Digitized by Google

R. *br.* Fortis est * Ut mors dilectio. Fortis. v. Dura sicut infernus æmulatio. Ut. Gloria Patri. Fortis.

v. Ego dilecto meo. R. Et ad me conversio ejus.

AD NONAM

Ant. Ego dormio.

CAPITULUM. *Eccli.* 24.

IN omni terra steti, et in omni populo, et in omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate Domini morabor.

R. *br.* Ego * Dilecto meo. Ego. v. Et ad me conversio ejus. Dilecto meo. Gloria Patri. Ego.

v. Qui me invenerit, inveniet vitam. R. Et hauriet salutem a Domino.

IN II VESPERIS.

Omnia ut in primis.

v. Viam mandatorum tuorum cucurri.

R. Cum dilatasti Cor meum.

Ad Magn. Ant. Exultavit Cor meum in Deo salutari meo : quia fecit mihi magna qui potens est.

Digitized by Google

Ego infrascriptus Congregationis Oratorii Jesu Christi D. N. et Mariæ Imm. Præpositus generalis, post accuratam ac diligentem revisionem, testor et fidem facio hæc omnia Officia propria Congr. Oratorii concessa, et in præsenti exemplari impressa, omnino concordare cum indultis S. R. C., necnon cum emendatioribus approbatisque eorumdem Officiorum editionibus.

Parisiis, in fest. SS. Nominis Jesu, 20 Januar. 1878.

Ludovicus P. PÉTÉTOT
Presb. Congr. Orat.

IMPRIMATUR

† J. H. *Card.* Guibert, *Archiep. Paris.*

Digitized by Google

DIE XXIX JANUARII

IN FESTO SANCTI FRANCISCI SALESII

EPISC. CONF. ET ECCLES. DOCT.

Duplex.

IN OFFICIO

Omnia ut in Breviario Romano hac die, præter seq.

Ant. ad Magnif. in utrisque Vesperis : O Doctor optime, Ecclesiæ sanctæ lumen, beate Francisce, divinæ legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei.

Lect. I Noct. Sapientiam, *de Comm. Doctorum.*

In II Nocturn. ad VI *Lect. post verba* vigesima nona Januarii, *addantur hæc alia* : et a Summo Pontifice Pio Nono ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, universalis Ecclesiæ Doctor fuit declaratus.

Lect. III Noct. de Comm. Doctorum 1° *loco, Homil. S. Augustini* Ostendit Dominus *in Evang.* Vos estis sal terræ.

R. VIII. In medio.

MISSA

In medio, *de Doctoribus, cum Oratione propria, ut in Missali Romano, hac Die.*

Dicitur Credo.

Autolii Parisiorum. — Ex typis Operariorum orphanorum — Roussel. — Via dicta La Fontaine, 40.

Digitized by Google

Digitized by Google

OFFICIA PROPRIA

CONGREGATIONIS

ORATORII

DOMÌNI JESU

ET

MARIÆ IMMACULATÆ

PARS AUTUMNALIS

AUTOLII PARISIORUM
EX TYPIS OPERARIORUM ORPHANORUM. — ROUSSEL
Via dicta La Fontaine, 40

1878

Digitized by Google

Digitized by Google

OFFICIA PROPRIA

CONGREGATIONIS

ORATORII JESU ET MARIÆ IMMACULATÆ

A S. R. C. CONCESSA

PARS AUTUMNALIS

FESTUM SEPTEMBRIS

DIE XXVII

OBITUS

S. VINCENTII A PAULO

CONF.

Duplex.

Omnia ut in festo.

FESTA OCTOBRIS

DIE XVII

IN FESTO

B. M. MARIÆ ALACOQUE

VIRGINIS

Duplex.

Omn. de Comm. Virg., præter sequentia :

ORATIO.

DOMINE Jesu Christe, qui investigabiles divitias Cordis tui beatæ Margaritæ Virgini mirabilitber revelasti : da nobis ejus meritis et imitatione, ut, te in omnibus et super omnia diligentes, jugem in eodem Corde tuo mansionem habere mereamur. Qui vivis et regnas.

IN I NOCTURNO

Lectiones de Scriptura occurrente.

Digitized by Google

IN II NOCTURNO

LECTIO IV.

MARGARITA Maria Alacoque, in pago diœcesis Augustodunensis honesto genere nata, miro prævenientis gratiæ instinctu a teneris annis viam perfectionis arripuit, ac primos innocentissimi cordis affectus ad eam interioris vitæ formam, ad quam divinitus electa erat, composuit. Puellula, vix dum rationis compos, nihil magis in deliciis habuit, quam genibus positis, junctisque manibus, cœlesti sponso sistere se, ei cor suum dicare, et virginalem devovere castitatem, ipso interius votum supra ætatem inspirante. Studium placendi Jesu, et pietas in Deiparam, cui se ab illo commendatam novit, pariter crevere cum annis. Ex hoc Christi amore, quem producta ad plures horas meditatio alebat, ingens exarsit patiendi amor, ut ei, quem unice diligebat, similem se exhiberet. Hinc corpus jejuniis, vigiliis, aliisque asperitatibus ad morbum usque afflixit; animum vero inter diuturnas vexationes, quas, patre orbata, a famulis pertulit, ad imaginem ejus, qui mitis est et humilis corde, constanter effingens, brevi ad magnam sanctitatem in ipso sæculo pervenit.

R. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua.

V. Specie tua, et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. Et deducet.

LECTIO V.

ORDINEM Visitationis sanctæ Mariæ, quo a propinquis abesset longius, Paredii ingressa, statim in tirocinio cunctis religiosæ vitæ virtutibus indubium sanctitatis specimen præbuit. Interim Christus sublimioris ora-

Digitized by Google

tionis dono, internis locutionibus, aliisque charismatibus sponsam suam illustrare et ad sua consilia propius disponere instituit. Inter varias apparitiones illa maxime celebris fuit, qua ante Eucharistiam oranti Jesus semetipsum conspiciendum obtulit, et divinum Cor suum in aperto pectore flammis incensum et spinis constrictum ostendit, præcepitque, ut, pro tali caritate, et ad reparandas ingratorum hominum injurias, illa publicum Cordi suo cultum, magnis propositis gratiarum præmiis, instituendum curaret, et cunctantem humilitatis causa, sequentantæ rei imparem dictitantem, promisso auxilio et prænuntiato successu confirmavit. Exinde fidissima Christi sponsa hoc unum spirare, verbis, exemplis, scriptis, jugi vitæ suæ sacrificio hoc unum quærere visa est, ut sanctissimo Cordi Jesu interior, exteriorque cultus, qualem ei placere ab ipso didicerat, ab omnibus tribueretur; quod et tunc fieri mirabiliter cœpit, et postea, approbante sancta Sede, quanto fructu sit perfectum, universus orbis catholicus testatur.

R. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : * Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ.

V. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. Propterea.

LECTIO VI.

Quod enixe a Domino petierat, ut illustria ejus dona in sui contemptum verterentur, abunde obtinuit. Numquam enim defuere domi et foris qui, illam misere illusam credantes, aut saltem dubitantes, ejus spiritum dicteriis carperent, vel certe assiduis ac duris subjicerent experimentis : in quibus tamen mitissimæ virgi-

Digitized by Google

nis humilitas, patientia, obedientia et caritas magis semper eluxerunt, Contumelias quoque ac minas ab extraneis ob nobilem alumnam a tirocinio fortiter dimissam invicta constantia toleravit. Accessere morbi graves et diuturni, quibus levandis remedia a medicis oblata nocebant. Inter hæc illa, in divino Christi Corde absorpta, et igne caritatis ejus incensa, plura et graviora pati semper optabat. Extremum morbum patientissime toleranti subito divini judicii cogitatio tantum injecit metum, ut cum tremore ac fletu Crucifixum stringens misericordiam sibi precaretur : sed mox consolationes Dei lætificaverunt animam ejus. Igitur tamquam consummata caritatis victima, die decima septima Octobris ad Sponsum evolavit, annos nata tres et quadraginta. Cœlestem ejus gloriam miracula confirmaverunt, quibus rite probatis, eam Pius nonus Pontifex maximus, magna piorum gratulatione, quartodecimo Kalendas Octobris anni millesimi octingentesimi sexagesimi quarti beatarum Virginum cœtui adscripsit.

R. Afferentur Regi virgines post eam, proximæ ejus.* Afferentur tibi in lætitia et exsultatione.

V. Specie tua, et pulchritudine tua intende, prospere procede et regna. Afferentur. Gloria Patri. Afferentur.

IN III NOCTURNO

De Homilia in Evangelium Simile est regnum cœlorum decem virginibus, 1° *loco.*

DIE XXI

IN FESTO

SS. URSULÆ ET SOCIARUM EJUS

MARTYRUM

Duplex.

Pro aliquibus.

Digitized by Google

DIE XXII

IN FESTO

S. MARIÆ SALOME

Duplex.

Omnia de Com. nec Virg. nec Mart., præter sequentia.

IN I VESPERIS

Ad Magnif. Ant. Accessit ad Jesum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo.

ORATIO.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, ut intercessio beatæ Mariæ Salome nos ubique protegat atque defendat, et quod a te fragilitatis nostræ defectus obtinere non potest, ipsa intercedente tua nobis pietate donetur. Per Dominum.

AD MATUTINUM

IN I NOCTURNO

Lectiones Mulierem fortem, *de Com.*

IN II NOCTURNO

LECTIO IV.

MARIA Salome, uxor Zebedæi, et perillustrium apostolorum Jacobi majoris et Joannis evangelistæ spectabilis mater, una fuit ex primis sanctis mulieribus devotissimis Christi sequacibus, quæ tanta eluxit fide, ut ætate licet longæva, et omni destituta solatio, libenter adhuc pateretur liberos illos, a quibus unicum sperabat auxilium, abesse sibi, ut Christo adhærerent, et tempore prædicationis suæ eidem adstarent. Rogante tamen ipsa Christum Jesum, ut filiis suis primas sedes in regno daret, interrogavit Christus ejus filios, num calicem, quem bibiturus esset, bibere et ipsi potuissent. Illisque paratos sese exhibentibus Christus inquit : Calicem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam vel sinistram non est meum

Digitized by Google

dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.

R. Propter.

LECTIO V.

Fuit etiam beata Salome una ex illis mulieribus, quæ insigne fidei suæ specimen dederunt, cum Jesum Christum ad Calvarium tendentem et in patibulum crucis elatum comitatæ sunt. Una etiam fuit, quæ, comparatis aromatibus ad condiendum corpus Christi, sub auroram dominicæ diei ad ejus monumentum accedens, angelum ibi vidit fulgenti facie et candida veste super lapidem sepulcri sedentem, a quo primum audivit Jesum resurrexisse, et digna insuper fuit, ut ab angelo una cum aliis duabus mulieribus eligeretur in nuntiam mysterii resurrectionis Christi, monitura discipulos, ut in Galilæam pergerent si eum vellent redivivum videre.

R. Dilexisti.

LECTIO VI.

Proficiscenti beatæ Salome una cum sociis suis ad angeli mandatum implendum occurrit Jesus in itinere redivivus, et benignissimum eis Ave dixit. Cujus quidem glorioso aspectu primum perterrita, mox recreata, se humi prosternens eum adoravit, et quem flagrantissimi amoris desiderio paulo ante quæsiverat, sed non invenerat, non solum videre tunc atque audire, verum etiam et propriis manibus pedes ejus tenere meruit. His cœlestibus donis ditata, constans in fide, spe dives, caritate potens, persecutiones invicta superans, usque in finem perseverans, ad cœlestia regna migravit.

R. Fallax gratia.

IN III NOCTURNO

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Digitized by Google

LECTIO VII. *Cap.* 20.

IN illo tempore : Accessit ad Jesum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo. Et reliqua.

Homilia sancti Fulgentii Episcopi.

Serm. de fil. Zebedæi.

QUI sedet super Cherubim, apparet coram Ephraim, et Benjamin, et Manasse. Hoc audierat et legendo didicerat beata mater filiorum Zebedæi, et intellexit Dominum super Cherubim sedentem, quia magnam possidet dignitatem. Accedit illuminanda : adorat ut ancilla. Postulat non dona terrena, sed vota cœlestia. Dominus est enim cœlorum, a quo cœleste flagitat desiderium. Dic, inquit, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et alter ad sinistram tuam in regno tuo. Dic, inquit, in verbo tuo, et effectus proficit voto meo. Dixisti, et factum est cœlum. Dic, et parabitur filiis meis thronus, claritudo thronorum. O mulier conditione! Sed, quia mater es pietate, humanam supergressa es dignitatem. Christus de cruce prædicabat, et illa imperium cognoscebat. Ille dicebat : Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur, ut crucifigatur : et illa interpellatrix accesserat dulcium filiorum. O mulier filiorum beata! Sanctorum meritum præcessisti beatorum, et honorem prætergressa es angelorum : non tibi sufficit, quia filios tuos feci excelsos prædicatores, quos inopes nutrieras piscatores? Post retia cœlum, post hamum evangelium, post navicellam postulas thronum?

R. Os suum aperuit.

LECTIO VIII.

DOMINI etiam vox est monentis; terrentis,

Digitized by Google

idque firmantis. Vigilate, inquit, et orate, ut digni efficiamini effugere omnia, quæ ventura sunt, et stetis ante Filium hominis. Et tu filiis tuis thronos postulas majestatis! Da veniam, mater, admirantes istâ dicimus, non culpantes. Noli, inquit beata mater, noli tamquam impossibilium me cupidam judicare. Dominus mihi tribuit istam avidam voluntatem, qui regni sui diligit violentos; et solos odit, qui potentari cupiunt super egenos. Regnum, inquit, cœlorum vim patitur, et qui vim faciunt diripiunt illud. Quia hoc dignatur amare, hoc ab eo ausa sum postulare. Ab illo audivi : Petite, et accipietis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis. Dum patet, pulso : dum accipere licet, peto : dum tempus est, quæro. Audivi etiam dictum : Quærite Dominum dum inveniri potest, ne tunc quæratis, quando inveniri non potest.

R. Regnum mundi.

LECTIO IX.

Modo, modo, dum in forma apparet servi, dum patiens est usque ad mortem crucis : dum privatum gerit vultum. et necdum incensæ sunt ab illo scintillæ carbonum. Ceterum, cum cœperint præcedere venientem Angelum tubæ, et voce magna quando virtutes cœli commovebuntur, interpellatio ibi quid faciet mulieris? Dum commovebitur ignis in circuitu ejus et tempestas valida, mea quid prævaleant desideria? Potero ad igneum accedere thronum congregatis ad judicium legionibus peccatorum? Ideo, modo videns eum in ista humilitate, istam prærripere cupio sponsionem; sed Dominum meum audiam respondentem : Dic jam, Domine, ut sedeant

Digitized by Google

tecum filii mei in lateribus regni tui.

Te Deum laudamus.

Ad Bened. Ant. Dic, ut sedeant hi duo filii mei unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo.

IN II VESPERIS

Ad Magnif. Ant. O beata Salome, pacifica filiorum tonitrui mater, quorum qui primus omnium apostolorum calicem Domini bibere meruit, fidei propugnator et Hispaniæ patronus colitur; qui supra pectu. Domini in cœna recubuit. ab ipso suæmet virginis matris filius constituitur, alleluia.

DIE XXIII
IN FESTO
S. REDEMPTORIS
Duplex majus.
In Pro aliquibus et pro clero Romano.

DIE XXIVI
IN FESTO
S. RAPHAELI
ARCHANG.
Duplex majus.
Pro aliquibus.

FESTA MOBILIA (PRO ALIQUIBUS)

DOM. II OCTOBRIS
MATERNITAS B. M. V.
Duplex majus.

DOM. III
PURITAS B. M. V.
Duplex majus.

DOM. IV
PATROCINIUM B. M. V.
Duplex majus.

FESTUM NOVEMBRIS

DIE IX
IN FESTO
S. STANISLAI KOSTKÆ
Duplex.
Pro aliquibus.

Digitized by Google

Ego infrascriptus Congregationis Oratorii JESU CHRISTI D. N. et MARIÆ IMM. Præpositus generalis, post accuratam ac diligentem revisionem, testor et fidem facio hæc omnia Officia propria Congr. Oratorii concessa, et in præsenti exemplari impressa, omnino concordare cum indultis S. R. C., necnon cum emendatioribus approbatisque eorumdem Officiorum editionibus.

Parisiis, in fest. SS. Nominis JESU, 20 Januar. 1878.

LUDOVICUS P. PÉTÉTOT
Presb. Congr. Orat.

IMPRIMATUR

† J. H. *Card.* GUIBERT, *Archiep. Paris.*

Digitized by Google

SUPPLEMENTUM

INVENTIO PUERI JESU IN MEDIO DOCTORUM

Duplex majus.

IN I VESPERIS

Ant. et Capit. de Laud. Psalm. de Dom., et loco ult. Ps. Laudate Dominum.

Hymn. ut ad Matutinum.

v. Ecce testem populis dedi eum.

R. Ducem et præceptorem gentibus.

Ad Magnif. Ant. Remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus, existimantes illum esse in comitatu, et requirebant eum inter cognatos et notos.

Orat. ut ad Laudes.

Ad Completorium et Horas.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui te revelas anxiis.....

AD MATUTINUM

Invit. Puerum Jesum in templo sedentem in medio Doctorum : * Venite, adoremus.

HYMNUS

Jesu, Magister cordium,
Servos replens dulcedine,
Qui te laborant quærere,
Et invenire gestiunt :

Memento summi gaudii
Quo recreasti pectora
Castæ Parentis Virginis,
Et ejus almi Conjugis.

Non lingua nostra dicere,
Nec mens valet pernoscere,
Quanto dolore saucii
Natum requirunt unicum.

Digitized by Google

Amissus in templo Puer,
Auges Parentum gaudia,
Inventus in templo sedens,
Interque Doctores docens.

In hoc vagantes sæculo
Si casus error traxerit,
Fac rite nos te quærere,
Et te reperto perfrui.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui te revelas anxiis,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula.

Amen.

IN I NOCTURNO

Ant. 1. Elevata est magnificentia tua, Deus, super cœlos, qui ex ore Filii tui perfecisti laudem.

Palmis. ut in Festis B. M. V.

2. Eloquia Domini justificata in semetipsa : dulciora super mel et favum.

3. Diffua est gratia in labiis pueri Jesu : ideo stupebant omnes, et mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejus.

v. Ecce testem populis dedi eum.

R. Ducem ac præceptorem gentibus.

De libro Exodi.

LECTIO I. *Cap.* 23.

LOCUTUS est Dominus ad Moysen, dicens : Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis. Solemnitatem azymorum custodies. Septem diebus comedes azyma, sicut præcepi tibi tempore mensis novorum, quando egressus es de Ægypto ; non apparebis in cons-

Digitized by Google

pectu meo vacuus. Et solemnitatem messis primitivorum operis tui quæcumque seminaveris in agro : solemnitatem quoque in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro. Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino Deo tuo.

R. Ibant parentes Jesu per omnes annos in Jerusalem in die solemni Paschæ : * Ut adimplerent quod præceperat Dominus in lege Moysis.

V. Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit. * Ut.

LECTIO II. *Cap.* 34.

SOLEMNITATEM azymorum custodies. Septem diebus vesceris azymis, sicut præcepi tibi in tempore mensis novorum, mense enim verni temporis egressus es de Ægypto. Solemnitatem hebdomadarum facies tibi in primitiis frugum messis tuæ triticeæ, et solemnitatem quando redeunte anni tempore cuncta conduntur. Tribus temporibus anni apparebit omne masculinum tuum in conspectu omnipotentis Domini Dei Israel.

R. Remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus : existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei. * Et requirebant eum inter cognatos et notos.

V. Surgam, et circuibo civitatem : per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea. * Et requirebant.

De libro Deuteronomii.

LECTIO III. *Cap.* XVI.

EODEM tempore locutus est Dominus ad Moysen : Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui in loco quem elege-

Digitized by Google

rit : in solemnitate azymorum, in solemnitate hebdomadarum, et in solemnitate tabernaculorum. Non apparebit ante Dominum vacuus, sed offeret unusquisque secundum quod habuerit juxta benedictionem Domini Dei sui, quam dederit ei.

R. Non invenientes Jesum parentes ejus, * Regressi sunt in Jérusalem, Requirentes eum.

V. Quo abiit Dilectus tuus? Et quæremus eum tecum. * Regressi. Gloria. * Requirentes.

IN II NOCTURNO

Ant. 1. Videntes admirati sunt sapientiam et doctrinam Pueri Jesu.

Ps. 47, Magnus Dominus, *in Brev. Matut. Fer. III.*

2. Deus deorum locutus est Dominus, et stupebant omnes qui audiebant eum super prudentia et responsis ejus.

Ps. 49, Deus deorum Dominus. *Ibidem.*

3. Sit nomen Domini benedictum in sæcula, cui a Deo Patre datum est judicium et justitia.

Ps. 71, Deus, judicium tuum. *Matut. Fer. V.*

V. Stupebant omnes qui audiebant eum.

R. Super prudentia et responsis ejus.

Sermo S. Bonaventuræ Episcopi.

LECTIO IV.

Serm. 1 *in Dom. infra Oct. Epiph.*

QUONIAM non sine magno dolore amitittur, quod cum magno amore possidetur, hinc est quod beata Virgo de amissione corporalis præsentiæ dilecti et unici Filii sui, quem tenerrime ac super omnia diligebat, multiplici dolore in animo colaphizabatur. Vix autem dabat somnum oculis, et requiem pedibus, donec inveniret eum in medio Doctorum in Jerusalem. Ut autem vidit ejus faciem gratiosissi-

Digitized by Google

mam, gaudens gaudio magno et lætitia ineffabili, licet breviter locuta fuerit, sicut et virgo, verecundum tamen verbum protulit magnæ prudentiæ et magnæ sapientiæ, dicens : Fili, quid fecisti nobis sic? In quo quidem verbo tamquam virgo prudentissima, primo præmittit dulcedinem benignæ allocutionis in ore, quum dicit : Fili, quid fecisti nobis sic? Secundo exprimit amaritudinem magnæ tribulationis in corde, quum subdit : Ego et pater tuus dolentes. Tertio adjungit sollicitudinem discretæ inquisitionis in opere, quum subinfertur : Quærebamus te. Sic in ipso verbo beata Virgo, tamquam prudentissima, instituitur dedisse Deo cognitionem cordis, locutionem oris, et operationem totius corporis. Primo ergo in verbo proposito notatur dulcedo benignæ locutionis in ore, cum dicit : Fili mi. Merito Jesus bonus filius erat dulciter alloquendus. Nam, sicut quilibet bonus filius, est gaudium et lætitia Matris suæ Virginis.

R. Post triduum invenerunt Jesum parentes ejus, * In templo sedentem in medio Doctorum. v. Inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam. * In.

LECTIO V.

SEQUITUR secundo : Ego et pater tuus dolentes, ubi notatur amaritudo profundæ tribulationis in corde. Certe non miror, Virgo gloriosa, si tribularis in corde, si habes amaritudinem, si habes dolorem : mirarer autem, si non doleres, eo quod amisisti dilecti tui Filii præsentiam corporalem, quæ multis consolationibus replebat animam tuam. Et licet Virgo gloriosa multos dolores, multos tribulationes et

Digitized by Google

amaritudines habuit in hoc mundo de Filio, possumus tamen dicere ad præsens, quod triplicem habuit dolorem. Doluit primo in amissione filialis præsentiæ, secundo in visione Passionis Dominicæ, tertio in compassione obcæcationis Judaicæ.

R. Invenerunt Jesum In medio Doctorum, *Audientem et interrogantem eos. v. Auris audiens beatificabat illum, et oculus videns testimonium reddebat ei. * Audientem.

LECTIO VI.

TERTIO Maria introducit sollicitudinem discretæ inquisitionis in opere, quum dicit : Quærebamus te. Valde enim fuit sollicita beata Virgo in inquirendo, licet non fuerit negligens in amittendo. Nam consuetudo apud Judæos secundum Expositores hæc erat, quod in processionibus et itineribus, dum ascenderent in templum, et etiam dum morarentur in templo, quod et viri et mulieres non simul, sed pergebant seorsum. Pueri autem non tenebantur hac lege, sed quandoque cum patribus pergebant, quandoque cum mulieribus. Unde Maria Mater putavit ipsum esse cum Joseph in comitatu virorum, et Joseph putavit puerum Jesum esse cum Maria in comitatu feminarum. Et hæc consuetudo introducta erat causa honestatis ad custodiam castitatis. Et sic patet quod non fuit negligens in amittendo, sed valde fuit sollicita et diligens in inquirendo, et quæsivit eum primo cum rectitudine conscientiæ in credendo, secundo cum latitudine benevolentiæ in diligendo, tertio cum certitudine confidentiæ in exspectando.

R. Stupebant omnes

Digitized by Google

qui audiebant eum, super prudentia et responsis ejus : * Et videntes admirati sunt.

v. Vox Domini in virtute; vox Domini in magnificentia. Et. Gloria. Et.

IN III NOCTURNO

Ant. 1. Quasi nescientes, neque intelligentes, et quasi in tenebris ambulantes, confundebantur Doctores in templo, dum audiebant sapientiam ex ore Jesu prodeuntem.

Ps. 81, Deus stetit in synagoga, *in Brev. Matut. Fer. VI.*

2. Notum fecit Dominus salutare suum, et in conspectu gentium revelavit per Filium suum justitiam suam.

Ps. 97, Cantate... quia mirabilia. *Brev. Matut. Sabb.*

3. Dominus regnavit in medio templi sui, confiteantur populi nomini suo magno, quoniam terribile et sanctum est.

Ps. 98, Dominus regnavit, irascantur. *Ibidem.*

v. Proficiebat Jesus sapientia et ætate.

R. Et gratia apud Deum et homines.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO VII. *Cap.* 2.

CUM factus esset Jesus annorum duodecim, ascendentibus illis Jerosolymam secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrosii Episcopi.

Lib. II in cap. 2 *Luc.*

A DUODECIMO anno, ut legimus, dominicæ sumitur disputationis exordium. Hic enim prædicandæ fidei evangelizantium numerus debebatur. Nec otiose immemor suorum secundum carnem parentum, qui secundum carnem utique sapientia Dei implebatur

Digitized by Google

et gratia, post triduum reperitur in templo, ut esset indicio, quia post triduum triumphalis illius Passionis, in sede cœlesti et honore divino fidei nostræ se suscitatus offerret, qui mortuus credebatur.

R. Dixit ad Jesum Mater ejus : Fili, quid fecisti nobis sic? * Ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te.

v. Fili mi, lumen oculorum nostrorum, solatium vitæ nostræ. * Ecce.

LECTIO VIII.

QUID est, quod me quærebatis? Duæ sunt in Christo generationes : una est paterna, materna altera : paterna illa divinior, materna vero, quæ in nostrum laborem usumque descendit. Et ideo quæ supra naturam, supra ætatem, supra consuetudinem fiunt, non humanis assignanda virtutibus : sed divinis referenda sunt potestatibus. Alibi eum ad ministerium mater impellit, hic mater arguitur, quia adhuc quæ humana sunt, exigat.

R. Quid est quod me quærebatis? dixit Jesus ad parentes suos : * Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?

v. Servite Domino in veritate, et inquirite ut faciatis quæ placita sunt illi. * Nesciebatis. Gloria Patri. * Nesciebatis.

LECTIO IX.

SED cum hic duodecim describatur annorum, illic discipulos habere dicatur, vides, Matrem didicisse a Filio, ne exigeret a validiore ministerium, quæ stupebat in juniore miraculum. Et venit Nazareth, et erat subditus illis. Quid enim magister virtutis, nisi officium pietatis impleret? Et miramur, si Patri defert, qui subditur Matri? Non utique infir-

Digitized by Google

mitatis, sed pietatis ista subjectio est.

Te Deum.

AD LAUDES
ET PER HORAS

Ant. 1. Ibant parentes Jesu per omnes annos in Jerusalem, in die solemni Paschæ.

Psalmi de Dom.

2. Cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus.

3. Non invenientes Jesum, regressi sunt in Jerusalem, requirentes eum; et post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum, audientem et interrogantem eos.

4. Dixit Mater ejus ad illum : Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te.

5. Descendit Jesus cum eis, et venit Nazareth, et erat subditus illis.

CAPITULUM. *Is.* 55.

OMNES sitientes, venite ad aquas, et qui non habetis argentum, properate, emite, et comedite; venite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac.

HYMNUS.

FECUNDE fons scientiæ,
Qua corda, Jesu, dirigis,
Doctor superno lumine
Doctum superbum judicans.
Solemne carmen pangimus,
Opus Patris, quod exequens,
Docturus in templo Puer
Inter Magistros assides.
Genus scholæ mirabile!
Jesus modestus audiens,
Interrogansque prædocet:
Senes stupent prudentiam.

Digitized by Google

Hoc, tu Magister, perfice,
Infirmus ut non audeat
Docere, ni tu cœlitus
Dones prius scientiam.
Tunc omnis error excidit,
Tunc sponsa, tunc et servuli,
Secura per vestigia
Viam sequentur regiam.
Gentem repellent perfidam
Credentium de finibus :
Verax et omnes unica
Doctrina nos enutriet.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui te revelas anxiis,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula.
Amen.

v. Exultate, filii Sion, in Domino Deo vestro.

R. Quia dedit vobis Doctorem justitiæ.

Ad Bened. Ant. Fili, quid fecisti nobis sic? Ego et pater tuus dolentes quærebamus te. Quid est, quod me quærebatis? Nesciebatis quia in iis quæ Patris mei sunt, oportet me esse? alleluia.

ORATIO.

DEUS, qui humilem Filii tui pueritiam cœlesti clarere sapientia voluisti : præsta, ut, spiritu prudentiæ repleti, sincera tibi humilitate placeamus. Per eumdem Dominum.

AD PRIMAM

In R. *br.* v. Qui inventus es in templo.

AD TERTIAM.

Capit. Omnes sitientes, *ut supra.*

R. *br.* Ecce testem in populis dedi eum. * Alleluia, alleluia. Ecce

Digitized by Google

testem. v. Ducem ac præceptorem gentibus. Alleluia, alleluia. Gloria. Ecce testem.

v. Stupebant omnes qui audiebant eum, alleluia. R. Super prudentia et responsis ejus, alleluia.

AD SEXTAM

CAPITULUM. *Act.* 3.

MOYSES dixit : Quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris, tamquam me, ipsum audietis juxta omnia quæcumque locutus fuerit vobis.

R. *br.* Stupebant omnes qui audiebant eum.* Alleluia, alleluia. Stupebant. v. Super prudentia et responsis ejus. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. Stupebant.

v. Proficiebat Jesus sapientia et ætate, alleluia. R. Et gratia apud Deum et homines, alleluia.

AD NONAM

CAPITULUM. *Sap.* 8.

HABEBO propter sapientiam claritatem ad turbas, et honorem apud seniores juvenis, et acutus inveniar in judicio, et in conspectu potentium admirabilis ero.

R. *br.* Proficiebat Jesus sapientia et ætate. * Alleluia, alleluia. Proficiebat. v. Et gratia apud Deum et homines. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. Proficiebat.

v. Exsultate, filii Sion, in Domino Deo vestro, alleluia. R. Quia dedit vobis Doctorem justitiæ, alleluia.

IN II VESPERIS

Omnia ut in primis.

Ad Magnif. Ant. Puer Jesus proficiebat sapientia et ætate coram Deo et hominibus.

Autolii Parisiorum. — Ex typis Operariorum orphanorum. — ROUSSEL. — Via dicta La Fontaine, 40.

Digitized by Google

Digitized by Google

SUPPLEMENTUM

FER. VI
POST DOM. IN ALBIS
SS. SEPULCRI D. N. J. C.
Duplex majus.
IN I VESPERIS

Ant. 1. Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est, alleluia.

Psalmi de Dom., et loco ult. Ps. Laudate Dominum, omnes gentes:

2. Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus, alleluia.

3. Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? alleluia.

4. O quam metuendus est locus iste! Vere non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta cœli, alleluia.

5. Ne appropies huc: solve calceamenta de pedibus tuis; locus enim in quo stas, terra sancta est, alleluia.

Capit. de Laud.

Hymn. ut ad Matut.

v. Tuum Sepulcrum adoramus, Domine, alleluia.

R. Et recolimus tuam gloriosam Resurrectionem, alleluia.

Ad Magnif. Ant. ut ad Bened.

Oratio ut ad Laudes.

AD MATUTINUM

Invitat. Surrexit Dominus de Sepulcro, * Alleluia.

HYMNUS.

SACRI Sepulcri gloriam,
Christi triumphis inditam,
Dulci repleti gaudio,
Lætis canamus vocibus.

Digitized by Google

Hujus vetustis sæculis
Dedit cisterna symbolum,
Quo missus olim, carcerem
Joseph habebat innocens.

Hoc primitus in Canticis
Expressit olim lectulus,
Quem sibi fecit Salomon
Cinctus caterva militum.

Hoc et tuus, Daniel, lacus,
Et quæ sopore languidum
Jonam ratis portaverat,
Hoc in figura nuntiat.

O petra gemmis carior!
Thesaure, cunctis ditior!
Qualem nec aula principum,
Nec gaza claudit divitum.

Nam tu nec auri munera,
Nec principum fluxas opes;
Sed illud immensum sacri
Pretium tulisti Corporis.

O Christe, ditas qui tuum
Caro Sepulcrum Sanguine,
Tuos, rogamus, servulos
Donis tuis fac divites!

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sempiterna sæcula.

Amen.

IN I NOCTURNO

Ant. En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi, alleluia.

Psalmi Nocturnorum

Digitized by Google

ut in Com. Dedicat. Ecclesiæ.

v. Ipsum gentes deprecabuntur, alleluia.

R. Et erit Sepulcrum ejus gloriosum, alleluia.

De Actibus Apostolorum.

LECTIO I. *Cap.* 13.

VIRI fratres, filii generis Abraham, et qui in vobis timent Deum, vobis verbum salutis hujus missum est. Qui enim habitabant Jerusalem, et principes ejus, hunc ignorantes, et voces Prophetarum, quæ per omne Sabbatum leguntur, judicantes impleverunt, et nullam causam mortis invenientes in eo, petierunt a Pilato, ut interficerent eum. Cumque consumassent omnia quæ de ipso scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento. Deus vero suscitavit eum a mortuis tertia die : qui visus est per dies multos his qui simul cum eo ascenderant de Galilæa in Jerusalem : qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem.

R. Deponentes Dominum de cruce, posuerunt eum in monumento quod erat excisum de petra, alleluia : * Signantes illud cum custodibus, alleluia.

v. Abeuntes Judæi munierunt Sepulcrum, advolventes lapidem ad ostium monumenti. * Signantes.

LECTIO II.

ET nos vobis annuntiamus eam quæ ad patres nostros repromissio facta est : quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans Jesum, sicut et in Psalmo secundo scriptum est : Filius meus es tu; ego hodie genui te. Quod autem suscitavit eum a mortuis, amplius jam non reversurum in corruptionem ita dixit : Quia dabo

Digitized by Google

vobis sancta David fidelia. Ideoque et alias dicit : Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. David enim in sua generatione cum administrasset voluntati Dei, dormivit, et appositus est ad patres suos, et vidit corruptionem. Quem vero Deus suscitavit a mortuis, non vidit corruptionem.

R. Sepulto Domino, signatum est monumentum, volventes lapidem ad ostium monumenti, alleluia : * Ponentes milites qui custodirent illud, alleluia.

v. Accedentes principes sacerdotum ad Pilatum, petierunt illum. * Ponentes.

LECTIO III.

NOTUM igitur sit vobis, viri fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur, et ab omnibus quibus non potuistis in lege Moysi justificari, in hoc omnis qui credit, justificatur. Videte ergo, ne superveniat vobis quod dictum est in Prophetis : Videte, contemptores, et admiramini, et disperdimini ; quia opus operor ego in diebus vestris, opus quod non credetis, si quis enarraverit vobis. Exeuntibus autem illis, rogabant ut sequenti sabbato loquerentur sibi verba hæc. Quumque dimissa esset synagoga, secuti sunt multi Judæorum et colentium advenarum Paulum et Barnabam, qui loquentes suadebant eis, ut permanerent in gratia Dei. Sequenti vero sabbato pene universa civitas convenit audire verbum Dei.

R. Acceperunt corpus Jesu, et involverunt illud linteis cum aromatibus, et sepelierunt illud in monumento novo. * In quo nondum quisquam positus fuerat, alleluia.

v. Venit Joseph cum Nicodemo, et tulerunt

Digitized by Google

corpus Jesu, et sepelierunt illud in monumento novo. * In quo nondum quisquam. Gloria Patri. * In quo nondum quisquam.

IN II NOCTURNO

Ant. Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes : tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt laudare nomen Domini, alleluia.

v. Factus est in pace locus ejus, alleluia.

R. Et habitatio ejus in Sion, alleluia.

Sermo sancti Bernardi Abbatis.

LECTIO IV.

Ad milites custodes templi, c. 11

INTER sancta et desiderabilia loca, Sepulcrum Christi tenet quodammodo principatum; et devotionis plus nescio quid sentitur, ubi mortuus requievit, quam ubi vivens conversatus est; atque amplius movet ad pietatem, mortis quam vitæ recordatio : puto quod illa austerior, hæc dulcior videatur; magisque infirmitati blandiatur humanæ quies dormitionis, quam labor conversationis; mortis securitas, quam vitæ rectitudo. Vita Christi vivendi mihi regula exstitit : mors a morte redemptio. Illa vitam instruxit, mortem ista destruxit; vita quidem laboriosa, sed mors pretiosa : utraque vero admodum necessaria. Quid enim Christi prodesse poterat, sive mors nequiter viventi, sive vita damnabiliter morienti? Numquid deinde aut mors Christi etiam nunc male usque ad mortem viventes a morte æterna liberat, aut mortuos ante Christum sanctos patres vitæ sanctitas liberavit? Sicut scriptum est : Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem. eruet animam suam de

Digitized by Google

manu inferi? Hunc ergo, quia utrumque nobis pariter necessarium erat et pie vivere, et secure mori, et vivendo vivere docuit, et mortem moriendo securam reddidit: quoniam quidem resurrecturus occubuit, et spem fecit morientibus resurgendo.

R. Mulieres venerunt ad monumentum, portantes quæ paraverant, aromata: * Et invenerunt lapidem revolutum a monumento, alleluia.

v. Et factum est, dum mente consternatæ essent, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. * Et.

LECTIO V.

Sive itaque hæc, sive alia quæcumque in hunc modum (prout in talibus in suo quisque abundat sensu) ex occasione Sepulcri christianis sensibus suggerantur, puto quod non mediocris dulcedo devotionis infundatur comi-

nus intuenti, nec parum proficitur cernendo etiam corporalibus oculis corporalem locum Dominicæ quietis, etsi quippe jam vacuum sacris membris, plenum tamen nostris et jucundis admodum Sacramentis. Nostris, inquam, si tamen tam ardenter amplectimur, quam indubitanter tenemus, quod Apostolus ait: Consepulti enim sumus per baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus.

R. Angelus Domini locutus est mulieribus, dicens: Quem quæritis? An Jesum quæritis? jam surrexit: * Venite, et videte locum, alleluia.

v. Jesum quæritis Nazarenum crucifixum?

Digitized by Google

Surrexit, non est hic. * Venite et videte.

LECTIO VI.

QUAM dulce est peregrinis post multam longi itineris fatigationem, post plurima terræ marisque pericula, ibi tandem quiescere, ubi et agnoscitur suum Dominum quievisse? Puto jam, quod præ gaudio non sentiunt vitæ laborem, nec gravamen reputant expensarum, sed tamquam laboris præmium, cursusque bravium assecuti juxta Scripturæ sententiam, gaudent vehementer quum invenerint Sepulcrum. Nec casu, vel subito, aut veluti lubrica popularis favoris opinione, id tam celebre nomen Christi Sepulcrum sortitum esse putatur, cum hoc ipsum tantis retro temporibus Isaias tam aperte prædixit: Et erit, inquit, in die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum; ipsum gentes deprecabuntur, et erit Sepulcrum ejus gloriosum. Revera ergo impletum cernimus, quod legimus prophetatum: novum quidem intuenti, sed legenti antiquum: ut sic adsit de novitate jucunditas, et de vetustate non desit auctoritas.

R. Dum transiret Sabbatum, Maria Magdalena, Maria Jacobi et Salome emerunt aromata, * Ut venientes ungerent Jesum, alleluia.

v. Et valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum, orto jam sole. * Ut. Gloria Patri.* Ut.

IN III NOCTURNO

Ant. Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum; et testis in cœlo fidelis, alleluia.

v. Erit mihi Dominus in Deum, alleluia.

R. Et lapis iste vocabitur domus Dei, alleluia.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Digitized by Google

LECTIO VII. *Cap.* 24.

IN illo tempore : Una Sabbati valde diluculo venerunt mulieres ad monumentum, portantes quæ paraverant, aromata. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Sabb. in Vigil. Pasch. Serm. 50.

CUM Maria Magdalena venisset ad monumentum, quam memorem Salvatoris, admissa fides ac devotio in lacrymas compellebat, videns revolutum a foribus lapidem, cum non invenisset in Sepulcro Dominum, cœpit acrius dolere quod perdiderit defunctum; mox autem ad Petrum ejus discipulum pervolat, quem pro meriti qualitate vel fidei, major de ejus obitu cura tangebat, nuntiat inane Sepulcrum, queritur de corpore ablato. Petrus vero resurrectionis Filii Dei, et ante crucem conscius, quam prædixerat ipse passurus, sub tali nuntio non flevit, aut doluit, sed morem suum in divinis virtutibus servans, properat experiri quod credidit.

R. Tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum. Dicunt ei Angeli : Mulier, quid ploras? Surrexit sicut dixit : * Præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis, alleluia.

v. Cum ergo fleret, inclinavit se, et prospexit in monumentum, et vidit duos Angelos in albis sedentes, qui dixerunt ei. * Præcedet.

LECTIO VIII.

AD Sepulcrum itaque Domini celeri cursu festinat, lætior redituras, si non inveniret quod quærebat. Beatus autem Evangelista, et ex consequentibus probat potentiam resurgentis. Venit, inquit, Simon Petrus, et introivit in monumentum : et cum

Digitized by Google

non invenisset Dominum, vidit linteamina posita, et sudarium quod fuerat super caput ejus. Nam manifestius Deus perlaturus quem vivificaverat, in cœlum, et mortem evacuat, et Sepulcrum. Nam linteamine, quo funus tegebatur, exposito, reliquit terræ exuvias vitali jam corpore induta majestas.

R. Congratulamini mihi, omnes qui diligitis Dominum, quia quem quærebam, apparuit mihi : * Et dum flerem ad monumentum, vidi Dominum, alleluia.

v. Recedentibus discipulis, non recedebam, et, amoris ejus igne succensa, ardebam desiderio. * Et. Gloria Patri. * Et.

LECTIO IX.

PETRUS igitur, videns resurrectionem, quam Dei Filius prænuntiaverat impletam, qui sollicitus venerat, securus abscessit. Maria tamen, resurrectionis ignara, non cessat lacrymas fundere, nesciens hanc esse Dominici corporis gratiam, quam putabat injuriam. Cujus inanes mœrores Angelus magis prohibet, quam consolatur, ut Evangelista testatur : Maria, inquit, quid ploras? Si spirituali prudentia intentionem divini sermonis intelligis, lacrymarum causam non tamquam ignarus interrogat, sed importunos fletus dolenti objurgat.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES
ET PER HORAS

Ant. 1. Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus, in atriis domus Domini, in medio tui, Jerusalem, alleluia.

Psalmi de Dom.

2. Ingredierĭs in abundantia Sepulcrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo, alleluia.

3. Qui expectant mortem, et non venit, quasi

Digitized by Google

effodientes thesaurum, gaudentque vehementer, quum invenerint Sepulcrum, alleluia,

4. Tollite hostias, et introite in atria ejus, adorate Dominum in atrio sancto ejus, alleluia.

5. In sole posuit tabernaculum suum, et ipse, tamquam sponsus, procedens de thalamo suo, alleluia.

CAPITULUM. *Act.* 13.

CUM consummassent omnia quæ de ipso scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento.

HYMNUS.

AUDITE, tristes inferi,
Turbæ frementes hostium,
Vestræ ruinæ nuntium,
Sacri Sepulcri gloriam.

En jam futuri conscius
Illam Propheta præcinit,
Et gloriosum posteris
Narrat Sepulcrum sæculis.

Hic ille Rex fortissimus,
Fractis averni viribus,
Et mortis excluso jugo,
Primum trophæa suscitat.

Candore tectus vestium,
Novoque lucis fulgure,
Delapsus astris nuntius,
Hic excubavit Angelus.

Jam temperandum lacrymis,
Satis datum suspiriis :
Gravi dolore sauciæ
Hic audierunt feminæ.

Digitized by Google

Et vos Magistri funere
Plane simul commortui ;
Vestro dolori gaudium
Tulistis hic, Apostoli.

Tu vero, Christe, maxima
Tui Sepulcri gloria,
Mortem resurgens viceras :
Nos morte culpæ libera.

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sempiterna sæcula.
Amen.

v. Dum esset Rex in accubitu suo, alleluia.

R. Nardus mea dedit odorem suavitatis, alleluia.

Ad Bened. Ant. Deponentes Dominum de Cruce, posuerunt eum in monumento, quod erat excisum in petra, in quo nondum quisquam positus fuerat, alleluia.

ORATIO.

DOMINE Jesu Christe, qui pro nobis mortem subire, et, in Sepulcro depositus, tertia die resurgere voluisti : concede nobis famulis tuis, ut qui Sepulcri tui memoriam recolimus, resurrectionis quoque gloriæ participes esse mereamur. Qui vivis.

AD TERTIAM

Capit. Cum consummassent, *ut supra.*

R. *br.* Tuum Sepulcrum adoramus, Domine, * Alleluia, alleluia. Tuum Sepulcrum. v. Et recolimus tuam gloriosam Resurrectionem. Alleluia. Gloria Patri. Tuum Sepulcrum.

v. Vere locus iste sanctus est, alleluia.

Digitized by Google

R. Et ego nesciebam, alleluia.

AD NONAM

CAPITULUM. *Matth.* 27.

ET accepto corpore, Joseph involvit illud in sindone munda, et posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra.

R. *br.* Vere locus iste sanctus est, * Alleluia, alleluia. Vere locus.

v. Et ego nesciebam. Alleluia. Gloria Patri. Vere locus.

v. Te decet hymnus in Sion, alleluia. R. Et tibi redditur votum in Jerusalem, alleluia.

AD NONAM

CAPITULUM. *Luc.* 24.

UNA Sabbati, valde diluculo venerunt mulieres ad monumentum, portantes, quæ paraverant, aromata : et invenerunt lapidem revolutum a monumento.

R. *br.* Te decet hymnus, Deus, in Sion, * Alleluia, alleluia. Te decet.

v. Et tibi reddetur votum in Jerusalem. Alleluia. Gloria Patri. Te decet.

v. Lapidem quem reprobraverunt, alleluia. R. Hic factus est in caput anguli, alleluia.

IN II VESPERIS

Omnia ut in primis, et loco ult. Ps. Super flumina, *ut in Vesp. Feriæ V.*

v. Ipsum gentes deprecabuntur, alleluia.

R. Et erit Sepulcrum ejus gloriosum, alleluia.

Ad Magnif. Ant. Introeuntes in monumentum, viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, et obstupuerunt, alleluia.

Autolii Parisiorum. — Ex typis Operariorum orphanorum. — [redacted] Roussel. — Via dicta La Fontaine, 40.

Digitized by Google

Appendix

AD USUM

Fratrum Minorum S. Francisci

CAPUCCINORUM.

FESTA NOVEMBRIS.

—

DIE XXVII. NOVEMBRIS.

S. GREGORII THAUMATURGI, EPISC. ET CONF.

Missa ut in Missali, die xvij. Novembris.

DIE XXVIII. NOVEMBR.

S. JACOBI DE MARCHIA, CONF. I. ORD.

Missa. **Justus ut palma,** de Comm. Conf. non Pont. præter Orationem.

Oratio.

Deus, qui ad animárum salútem, et peccatóres e vitiórum cœno ad viam virtútis revocándos, beátum Jacóbum Confessórem tuum Evangélii præcónem exímium effecísti : concéde propítius ; ut ejus intercessióne, a peccátis ómnibus expiáti, vitam consequámur ætérnam. Per Dóminum.

Et dicitur **Credo.** Si celebretur in Adventu, fit commem. Feriæ.

DIE XXIX. NOVEMBRIS.

OMNIUM SANCTORUM ORDINIS MINORUM.

Introitus.

Gaudeamus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre Sanctórum ómnium Ordinis Minórum : de quorum solemnitáte gaudent Angeli et colláudant Fílium Dei.

Ps. 32. **Exsultáte, justi, in Dómino, rectos decet collaudátio.**

℣. **Glória Patri.**

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum Ordinis Minórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári : quæsumus ; ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris. Per Dóminum.

Si fuerit ante Adventum, fit comm. Vigiliæ S. Andreæ Apostoli, deinde S. Saturnini Martyris, et in fine legitur Evangelium Vigiliæ.

Si autem venerit in Adventu, primo fit comm. Feriæ, postea Vigiliæ S. Andreæ Apostoli, de qua etiam legitur Evangelium in fine Missæ : postremo S. Saturnini.

Pro Vigilia S. Andreæ Apostoli.

Oratio.

Quæsumus, omnípotens Deus : ut beátus Andréas Apóstolus, cujus prævenímus festivitátem, tuum pro nobis implóret auxílium; ut a nostris reátibus absolúti,

Digitized by Google

a cunctis étiam perículis eruámur. Per Dóminum.

In Missis privatis tantum fit comm. S. Saturnini Mart.

Oratio.

DEUS, qui nos beáti Saturníni Mártyris tui concédis natalítio pérfrui : ejus nos tríbue méritis adjuvári. Per Dóminum.

Léctio libri Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli. c. 7.

IN diébus illis : Ecce ego Joánnes vidi álterum Angelum ascendéntem ab ortu solis, habéntem signum Dei vivi : et clamávit voce magna quátuor Angelis, quibus datum est nocére terræ et mari, dicens : Nolíte nocére terræ et mari, neque arbóribus, quoadúsque signémus servos Dei nostri in fróntibus eórum. Et audívi númerum signatórum, centum quadragínta quátuor míllia signáti, ex omni tribu filiórum Israel. Ex tribu Juda duódecim míllia signáti. Ex tribu Ruben duódecim míllia signáti. Ex tribu Gad duódecim míllia signáti. Ex tribu Aser duódecim míllia signáti. Ex tribu Néphtali duódecim míllia signáti. Ex tribu Manásse duódecim míllia signáti. Ex tribu Símeon duódecim míllia signáti. Ex tribu Levi duódecim míllia signáti. Ex tribu Issachar duódecim míllia signáti. Ex tribu Zábulon duódecim míllia signáti. Ex tribu Joseph duódecim míllia signáti. Ex tribu Bénjamin duódecim míllia signáti. Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumeráre nemo póterat, ex ómnibus géntibus et tríbubus, et pópulis et linguis, stantes ante thronum et in conspéctu Agni, amícti stolis albis, et palmæ in mánibus eórum : et clamábant voce magna, dicéntes : Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno. Et omnes Angeli stabant in circúitu throni, et seniórum, et quátuor animálium : et cecidérunt in conspéctu throni in fácies suas, et adoravérunt Deum, dicéntes : Amen. Benedíctio et cláritas, et sapiéntia et gratiárum áctio, honor et vírtus, et fortitúdo Deo nostro, in sæcula sæculórum. Amen.

Graduale. Ps. 33. Timéte Dóminum omnes Sancti ejus : quóniam nihil deest timéntibus eum.

℣. Inquiréntes autem Dóminum, non defícient omni bono.

Allelúia, allelúia.

℣. Matth. 11. Veníte ad me omnes qui laborátis, et oneráti estis : et ego refíciam vos. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. c. 5.

IN illo témpore : Videns Jesus turbas, ascéndit in montem, et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus, et apériens os suum, docébat eos, dicens : Beáti páuperes spíritu : quóniam ipsórum est regnum cœlórum. Beáti mites : quóniam ipsi possidébunt terram. Beáti qui lugent : quóniam ipsi consolabúntur. Beáti qui esúriunt et sítiunt justítiam : quóniam ipsi saturabúntur.

Digitized by Google

Beáti misericórdes: quóniam ipsi misericórdiam consequéntur. Beáti mundo corde: quóniam ipsi Deum vidébunt. Beáti pacífici: quóniam fílii Dei vocabúntur. Beáti qui persecutiónem patiúntur propter justítiam: quóniam ipsórum est regnum cœlórum. Beáti estis, cum maledíxerint vobis, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos mentiéntes, propter me: gaudéte, et exsultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cœlis.

Et dicitur **Credo.**

Offertorium. Sap. 3. **Justórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum malítiæ: visi sunt óculis insipiéntium mori, illi autem sunt in pace.**

Secreta.

MUNERA tibi, Dómine nostræ devotiónis offérimus: quæ et pro cunctórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Pro Vigilia. Secreta.

SACRANDUM tibi, Dómine, munus offérimus: quo beáti Andréæ Apóstoli solémnia recoléntes, purificatiónem quoque nostris méntibus implorámus. Per Dñum.

Pro S. Saturnino. Secreta.

MUNERA tibi, Dómine, dicáta sanctífica: et, intercedénte beáto Saturníno Mártyre tuo, per hæc éadem nos placátus inténde. Per Dóminum.

Præfatio. **Qui venerándum Confessórem,** ut infra in Festo S. P. N. Francisci, die 4. Octobris.

Communio. Matth. 5. **Beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt: beáti pacífici, quóniam fílii Dei vocabúntur: beáti qui persecutiónem patiúntur propter justítiam, quóniam ipsórum est regnum cœlórum.**

Postcommunio.

DA, quæsumus, Dómine, fidélibus pópulis ómnium Sanctórum Ordinis Minórum semper veneratióne lætári: et eórum perpétua supplicatióne muníri. Per Dóminum.

Pro Vigilia.

Postcommunio.

PERCEPTIS, Dómine, sacraméntis supplíciter exorámus: ut, intercedénte beáto Andréa Apóstolo tuo, quæ pro illíus veneránda gérimus passióne, nobis proficiant ad medélam. Per Dóminum.

Pro S. Saturnino.

Postcommunio.

SANCTIFICET nos, quæsumus Dómine, tui percéptio sacraménti: et intercessióne Sanctórum tuórum tibi reddat accéptos. Per Dóminum.

In fine legitur Evangelium Vigiliæ, ut in Missali.

DIE XXX. NOVEMBRIS.

S. ANDREÆ, APOSTOLI.

Missa ut in Missali Romano, hac die.

Digitized by Google

FESTA DECEMBRIS.

—

DIE I. DECEMBRIS.

S. JOSAPHAT, EPISC. ET MART.

Missa ut in Missali, die xiv. Novembris.

DIE II. DECEMBRIS.

S. BIBIANÆ, VIRG. ET MART.

Missa **Me exspectavérunt,** de Communi Virg. et Mart. cum Oratione ut in Missali, hac die.

DIE III. DECEMBRIS.

S. FRANCISCI XAVERII, CONF.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE IV. DECEMBRIS.

S. BARBARÆ, VIRG. ET MART.

Missa **Loquébar,** de Comm. Virg. et Mart. Et fit commem. Feriæ.

DIE V. DECEMBRIS.

S. PETRI CHRYSOLOGI, EPISC. CONF. ET ECCL. DOCT.

Missa ut in Missali, die iv. Decembris. Et fit comm. Feriæ, et S. Sabbæ, Abbatis, ut in Missali, hac die.

DIE VI. DECEMBRIS.

S. NICOLAI, EPISC. ET CONF.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE VII. DECEMBRIS.

S. AMBROSII, EPISC. CONF. ET DOCTORIS.

Missa ut in Missali, hac die.

Et fit comm. Feriæ, et Vigiliæ, ut in Missa sequenti.

EAD. DIE VII. DECEMBR.

IN VIGILIA IMMAC. CONCEPT. B. M. V.

Introitus. *Psalm.* 65.

VENITE, audíte, et narrábo, omnes qui timétis Deum, quanta fecit Dóminus ánimæ meæ.

Ps. ibid. **Jubiláte Deo omnis terra : psalmum dícite nómini ejus, date glóriam laudi ejus.**

℣. **Glória Patri.**

Non dicitur **Glória in excélsis.**

Oratio.

DEUS, qui Unigéniti tui Matrem ab originali culpa in sua Conceptióne mirabíliter præservásti: da, quæsumus ; ut sua nos intercessióne munítos, corde mundos fácias suæ interésse festivitáti. Per eúmdem Dóminum.

Et fit commem. Feriæ.

Tertia Oratio de Spiritu Sancto.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 24.

EGO quasi vitis fructificávi suavitátem odóris : et flores mei, fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini : spíritus enim meus super mel dulcis, et hæréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me,

Digitized by Google

adhuc esúrient : et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur : et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Graduale. Prov. 9. Sapiéntia ædificávit sibi domum, excídit colúmnas septem.

℣. Ps. 86. Fundaménta ejus in móntibus sanctis : díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

✠ Initium sancti Evangélii secúndum Matthæum. C. 1.

LIBER generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Jacob autem génuit Judam, et fratres ejus. Judas autem génuit Phares et Zaram de Thamar. Phares autem génuit Esron. Esron autem génuit Aram. Aram autem génuit Amínadab. Amínadab autem génuit Naásson. Naásson autem génuit Salmon. Salmon autem génuit Booz de Rahab. Booz autem génuit Obed ex Ruth. Obed autem génuit Jesse. Jesse autem génuit David regem. David autem rex génuit Salomónem ex ea, quæ fuit Uríæ. Sálomon autem génuit Róboam. Róboam autem génuit Abíam. Abías autem génuit Asa. Asa autem génuit Jósaphat. Jósaphat autem génuit Joram. Joram autem génuit Ozíam. Ozías autem génuit Jóatham. Jóatham autem génuit Achaz. Achaz autem génuit Ezechíam. Ezechías autem génuit Manássen. Manásses autem génuit Amon. Amon autem génuit Josíam. Josías autem génuit Jechoníam, et fratres ejus in transmigratióne Babylónis. Et post transmigratiónem Babylónis : Jechonías génuit Saláthiel. Saláthiel autem génuit Zoróbabel. Zoróbabel autem génuit Abiud. Abiud autem génuit Elíacim. Elíacim autem génuit Azor. Azor autem génuit Sadoc. Sadoc autem génuit Achim. Achim autem génuit Eliud. Eliud autem génuit Eleázar. Eleázar autem génuit Mathan. Mathan autem génuit Jacob. Jacob autem génuit Joseph virum Maríæ, de qua natus est Jesus, qui vocátur Christus.

Offertorium. Cant. 6. Ego dilécto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília.

Secreta.

DUNERA nostra, Dómine, apud tuam cleméntiam Immaculátæ Dei Genitrícis comméndet orátio : quam ab omni originali labe præservásti, ut dignum Fílii tui habitáculum éffici mererétur : Qui tecum vivit.

Præfatio communis.

Communio. Cant. 6. Quæ est ista, quæ progréditur quasi auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta ?

Postcommunio.

CONCEDE, misericors Deus, fragilitáti nostræ præsídium : ut, qui Immaculátæ Conceptiónis Genitrícis unigéniti Fílii tui festivitátem prævenímus ; intercessiónis ejus auxílio a nostris iniqui-

Digitized by Google

tátibus resurgámus. Per eúmdem Dóminum.

DIE VIII. DECEMBRIS.

IN FESTO IMMAC. CONCEPT. B. MARIÆ V., PRINCIPALIS ORDINIS NOSTRI PROTECTRICIS ET PATRONÆ.

Missa ut in Missali, hac die.

In Missis Votivis, in Secreta, loco: In Solemnitáte, dicatur: In Commemoratióne.

DIE IX. DECEMBRIS.

S. SILVESTRI, ABBATIS.

Missa Os justi, de Comm. Abbatum. Et fit comm. Octavæ Immac. Concept. et Feriæ, et dicitur Credo. ratione Oct. et Præf. de eádem Oct.

DIE X. DECEMBRIS.

IN FESTO TRANSLAT. ALMÆ DOMUS B. M.V.

Introitus. *Gen.* 28.

TERRIBILIS est locus iste: hic domus Dei est, et porta cœli: et vocábitur aula Dei.

Ps. 83. Quam dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum: concupíscit et déficit ánima mea in átria Dómini.

℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui beátæ Maríæ Vírginis domum per incarnáti Verbi mystérium misericórditer consecrásti, eámque in sinu Ecclésiæ tuæ mirabíliter collocásti: concéde; ut segregáti a tabernáculis peccatórum, digni efficiámur habitatóres domus sanctæ tuæ. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Et fit comm. Feriæ, et postea S. Melchiadis, Papæ et Mart.

Oratio.

INFIRMITATEM nostram réspice, omnípotens Deus: et quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Melchíadis, Mártyris tui atque Pontíficis, intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 24.

IN ómnibus réquiem quæsívi, et in hæreditáte Dómini morábor. Tunc præcépit, et dixit mihi Creátor ómnium: et qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhábita, et in Israel hæreditáre, et in eléctis meis mitte radíces. Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei hæréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea. Quasi cedrus exaltáta sum in Líbano, et quasi cypréssus in monte Sion. Quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantátio rosæ in Jéricho. Quasi olíva speciósa in campis, et quasi plátanus exaltáta sum juxta aquam in platéis. Sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

Graduale. Ps. 26. Unam pétii a Dómino, hanc requíram, ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ.

℣. Ut vídeam voluptátem

Dómini, et vísitem templum ejus.

Allelúia, allelúia.

℣. Ps. 83. Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine: in sæcula sæculórum laudábunt te. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 1.

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et ingréssus Angelus ad eam, dixit: Ave grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. Quæ cum audísset, turbáta est in sermóne ejus, et cogitábat qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei: Ne tímeas, María, invenísti enim grátiam apud Deum: ecce concípies in útero, et páries fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus: et regnábit in domo Jacob in ætérnum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem María ad Angelum: Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens Angelus, dixit ei: Spíritus sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. Ideóque et quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. Et ecce Elísabeth cognáta tua, et ipsa concépit fílium in senectúte sua: et hic mensis sextus est illi, quæ vocátur stérilis: quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum. Dixit autem María: Ecce ancílla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Ps. 5. Introíbo in domum tuam, adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Secreta.

Accipe, quæsumus, Dómine, múnera in hac sacra domo dignánter oblàta: et, beátæ Maríæ Vírginis suffragántibus méritis, ad nostræ salútis auxílium provenire concéde. Per Dóminum.

Pro S. Melchiade. Secreta.

Hostias tibi, Dómine, beáti Melchíadis, Mártyris tui atque Pontíficis, dicátas méritis, benígnus assúme: et ad perpétuum nobis tríbue provenire subsídium. Per Dóminum.

Præfatio de B. M. V. Et te in Festivitáte.

Communio. Prov. 8. Beátus qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino.

Postcommunio.

Quæsumus, Dómine Deus noster: ut sacrosáncta mystéria, quæ pro reparatiónis nostræ munímine contulísti, intercedénte beáta María semper Vírgine, et præsens nobis remédium esse fácias, et futúrum. Per Dóminum.

Digitized by Google

Pro S. Melchiade.
Postcommunio.

REFECTI participatióne múneris sacri, quæsumus, Dómine Deus noster : ut, cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Melchíade, Mártyre tuo atque Pontífice, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

DIE XI. DECEMBRIS.

S. DAMASI, PAPÆ ET CONF.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XII. DECEMBRIS.

IN FESTO INVENTIONIS CORPORIS S. P. N. FRANCISCI, CONFESSORIS.

Introitus. *Psalm.* 9.

MISERERE mei, Dómine : vide humilitátem meam, qui exáltas me de portis mortis, ut annúntiem omnes laudatiónes tuas : in portis fíliæ Sion.

Ps. ibid. Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo : narrábo ómnia mirabília tua.

℣. Gló a Patri.

Oratio.

DEUS, qui pretiósum beáti Patris nostri Francísci Confessóris tui corpus e ténebris in lucem proférri fecísti ; da nobis, quæsumus ; ut ejus intercessióne, e nocte peccatórum edúcti, gressus nostros in viam pacis et justítiæ dirigámus. Per Dóminum.

Et fit comm. Octavæ Immac. Concept., et Feriæ.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas. c. 6.

FRATRES : Mihi autem absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo. In Christo enim Jesu neque circumcísio áliquid valet, neque præpútium, sed nova creatúra. Et quicúmque hanc régulam secúti fúerint, pax super illos et misericórdia, et super Israel Dei. De cétero nemo mihi moléstus sit : ego enim stígmata Dómini Jesu in córpore meo porto. Grátia Dómini nostri Jesu Christi cum spíritu vestro, fratres. Amen.

Graduale. Sap. 3. Justórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum mortis.

℣. Visi sunt óculis insipiéntium mori : illi autem sunt in pace.

Allelúia, allelúia.

℣. Ps. 33. Custódit Dóminus ómnia ossa eórum : unum ex his non conterétur. Allelúia.

✠S equéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. c. 11.

IN illo témpore : Respóndens Jesus, dixit : Confíteor tibi, Pater, Dómine cœli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Ita Pater : quóniam sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo. Et nemo novit Fílium, nisi Pater : neque Patrem quis novit, nisi Fílius, et cui volúerit Fílius reveláre. Veníte ad me omnes, qui laborátis et onerati estis, et ego refíciam vos. Tóllite jugum meum super vos, et díscite a

Digitized by Google

me, quia mitis sum et húmilis corde : et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve.

Et dicitur **Credo.**

Offertorium. 4. Reg. 23. **Dimíttite eum, nemo commóveat ossa ejus : et intácta mansérunt ossa illíus.**

Secreta.

TUA, Dómine, munéribus altária cumulámus, illíus córporis Inventiónem honóre débito recoléntes, in quo, prærogatíva mirábili, passiónis tuæ sacra stígmata renovásti : Qui vivis.

Præfatio. **Qui venerándum Confessórem,** ut infra die 4. Octobris.

Communio. Job 11. **Defóssus, secúrus dórmies : requiésces, et non erit qui te extérreat.**

Postcommunio.

CELESTIBUS, Dómine, refécti mystériis, te suppliciter exorámus : ut beáti Patris nostri Francísci méritis et intercessióne, per ejus vestígia gradiéntes, ætérna gáudia cónsequi mereámur. Per Dóminum.

DIE XIII. DECEMBRIS.

S. LUCIÆ, VIRG. ET MART.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XIV. DECEMBRIS.

B. DELPHINÆ, VIRG. III. ORD.

Introitus. Psalm. 44.

DILEXISTI justítiam, et odísti iniquitátem : propterea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Ps. ibid. **Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea regi.**

℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui beátam Delphínam fámulam tuam, inter cétera virtútum insígnia, virgináli pudicítia in conjúgio decorásti : concéde propítius ; ut, cujus sacra solémnia celébriter venerámur in terris, ejus beáta consórtia felíciter consequámur in cœlis. Per Dóminum.

Et fit comm. Octavæ Im mac. Concept., et Feriæ.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

2. Cor. 10 et 11.

FRATRES : Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seípsum comméndat, ille probátus est ; sed quem Deus comméndat. Utinam sustinerétis módicum quid insipiéntiæ meæ, sed et supportáte me : æmulor enim vos Dei æmulatióne. Despóndi enim vos uni viro, vírginem castam exhibére Christo.

Graduale. Ps. 44. **Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.**

℣. **Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.**

Allelúia, allelúia.

℣. **Adducéntur regi vírgines post eam : próximæ ejus aferéntur tibi in lætítia. Allelúia.**

Digitized by Google

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. c. 19.

In illo témpore: Accessérunt ad Jesum pharisæi tentántes eum, et dicéntes: Si licet hómini dimíttere uxórem suam quacúmque ex causa? Qui respóndens, ait eis: Non legístis, quia qui fecit hóminem ab inítio, másculum et féminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc dimíttet homo patrem et matrem, et adhærébit uxóri suæ, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjúnxit, homo non séparet. Dicunt illi: Quid ergo Móyses mandávit dare libéllum repúdii et dimíttere? Ait illis: Quóniam Móyses ad durítiam cordis vestri permísit vobis dimíttere uxóres vestras: ab inítio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicúmque dimíserit uxórem suam, nisi ob fornicatiónem, et áliam dúxerit, mœchátur: et qui dimíssam dúxerit, mœchátur. Dicunt ei discípuli ejus: Si ita est causa hóminis cum uxóre, non éxpedit núbere. Qui dixit: Non omnes cápiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunúchi, qui de matris útero sic nati sunt: et sunt eunúchi, qui facti sunt ab homínibus: et sunt eunúchi, qui seípsos castravérunt propter regnum cœlórum. Qui potest cápere, cápiat.

Et dicitur Credo, ratione Octavæ.

Offertorium. Ps. 44. Fíliæ regum in honóre tuo: ástitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte.

Secreta.

Accepta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio, pro tuórum honóre Sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dñum.

Communio. Matth. 25. Quinque prudéntes vírgines accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus: média autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit: exíte óbviam Christo Dómino.

Postcommunio.

Satiasti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quæsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

DIE XV. DECEMBRIS.

IN OCTAVA IMMAC. CONCEPT. B. MARIÆ V.

Missa ut notatur in Missali, die 8 Decembris.

DIE XVI. DECEMBRIS.

S. EUSEBII, EPISC. ET MART.

Missa Sacerdótes, de Communi unius Martyris Pontificis.

Commem. Feriæ et 3 Oratio de B. M. V.

DIE XVIII. DECEMBRIS.

IN FESTO EXSPECTATIONIS PARTUS B. M. V.

Introitus. *Isaiæ* 45.

Rorate cœli désuper, et nubes pluant justum: aperiátur terra, et gérminet Salvatórem. Ps. 18. Cœli enárrant gló-

Digitized by Google

riam Dei, et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti: præsta supplícibus tuis; ut, qui vere eam genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúmdem Dóminum.

Et fit commem. Feriæ.

Léctio Isaíæ Prophétæ. c. 7.

IN diébus illis: Locútus est Dóminus ad Achaz, dicens: Pete tibi signum a Dómino Deo tuo in profúndum inférni, sive in excélsum supra. Et dixit Achaz: Non petam, et non tentábo Dóminum. Et dixit: Audíte ergo, domus David: Numquid parum vobis est, moléstos esse homínibus, quia molésti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum. Ecce Virgo concípiet, et páriet fílium, et vocábitur nomen ejus Emmánuel. Butyrum et mel cómedet, ut sciat reprobáre malum, et elígere bonum.

Graduale. Ps. 23. Tóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles: et introíbit rex glóriæ.

℣. Quis ascéndet in montem Dómini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens mánibus, et mundo corde.

Allelúia, allelúia.

℣. Luc. 1. Ecce concípiet, et páriet fílium Jesum Christum. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 1.

IN illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et ingréssus Angelus ad eam, dixit: Ave grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. Quæ cum audísset, turbáta est in sermóne ejus, et cogitábat, qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei: Ne tímeas, María, invenísti enim grátiam apud Deum: ecce concípies in útero, et páries fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus: et regnábit in domo Jacob in ætérnum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem María ad Angelum: Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens Angelus, dixit ei: Spíritus sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. Ideóque et quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. Et ecce Elísabeth cognáta tua, et ipsa concépit fílium in senectúte sua: et hic mensis sextus est illi, quæ vocátur stérilis: quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum. Dixit autem María: Ecce ancílla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Luc. 1. Ave

Digitized by Google

María, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui.

Secreta.

IN méntibus nostris, quæsumus Dómine, veræ fídei sacraménta confírma: ut, qui concéptum de Vírgine Deum verum et hóminem confitémur; per ejus salutíferæ resurrectiónis poténtiam, ad ætérnam mereámur pervenire lætítiam. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de B. M. V. Et te in Exspectatióne.

Communio. Isai. 7. Ecce Virgo concípiet, et páriet fílium, et vocábitur nomen ejus Emmánuel.

Postcommunio.

GRATIAM tuam, quæsumus Dómine, méntibus nostris infúnde: ut, qui Angelo nuntiánte Christi Fílii tui incarnatiónem cognóvimus; per passiónem ejus et crucem ad resurrectiónis glóriam perducámur. Per eúmdem Dóminum.

¶ Quando hoc Festum occurrit Feria iv. Quatuor Temporum, in fine Missæ legitur Evang. S. Joannis. In princípio erat Verbum.

DIE XX. DECEMBRIS.

VIGILIA S. THOMÆ, APOSTOLI.

Ut in Missali, hac die.

DIE XXI. DECEMBRIS.

S. THOMÆ, APOSTOLI.

Missa ut in Missali, hac die.

A die 24 Decembris, ad diem 13 Januarii inclusive, omnia ut in Proprio de Tempore Missalis Romani, præter ea quæ sequuntur.

DIE XXVI. DECEMBRIS.

S. STEPHANI, PROTOMART.

Fit commemoratio, ubi est concessa vel injuncta, omnium Sanctorum Martyrum, per Orationes sequentes.

Oratio.

DEUS, qui nos ánnua Sanctórum Mártyrum tuórum commemoratióne lætíficas: concéde propítius; ut quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

Secreta.

OBLATIS, quæsumus, Dómine, placáre munéribus: et intercedéntibus sanctis Martyribus tuis, a cunctis nos defénde perículis. Per Dóminum.

Postcommunio.

HÆC nos Commúnio, Dómine, purget a crímine: et intercedéntibus sanctis Martyribus tuis, cœléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

DIE XXIX. DECEMBRIS.

S. THOMÆ, EPISC. ET MART.

Si occurrat in Dominica, tunc Missa dicitur de eo, cum commem. Dominicæ et Octavarum, et Evangelio Dominicæ in fine.

Feria vero II. sequenti, Missa dicitur de die infra Octavam Nativitatis, ut notatur in Proprio de Tempore ante Missam Dominicæ.

Digitized by Google

FESTA JANUARII.

DIE XI. JANUARII.

COMM. S. HYGINI, PAPÆ MART.

Ut in Missali, hac die.

DOM. II. POST EPIPH.

IN FESTO SS. NOMINIS JESU.

Introitus. *Phil.* 2.

IN nómine Jesu omne genu flectátur: cœléstium, terréstrium et infernórum, et omnis lingua confiteátur quia Dóminus Jesus Christus in glória est Dei Patris.

Ps. 8. Dómine, Dóminus noster, quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra.

℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui unigénitum Fílium tuum constituísti humáni géneris Salvatórem, et Jesum vocári jussísti: concéde propítius; ut, cujus sanctum nomen venerámur in terris, ejus quoque adspéctu perfruámur in cœlis. Per eúmdem Dóminum.

Deinde fit commemoratio Dominicæ II. post Epiphaniam.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui cœléstia simul et terréna moderáris: supplicatiónes pópuli tui cleménter exáudi, et pacem tuam nostris concéde tempóribus. Per Dóminum.

¶ Si occurrerit aliquod Festum Simplex, fit de eo commemoratio in Missis privatis tantum. De Duplici vero ac Semiduplici, cujus facta est commemoratio per modum Simplicis in officio, etiam in Missa solemni fit commem.

Lectio Actuum Apostolórum. c. 4.

IN diébus illis: Petrus replétus Spíritu sancto, dixit: Príncipes pópuli et senióres, audíte. Si nos hódie dijudicámur in benefácto hóminis infírmi, in quo iste salvus factus est, notum sit ómnibus vobis, et omni plebi Israel: quia in nómine Dómini nostri Jesu Christi Nazaréni, quem vos crucifixístis, quem Deus suscitávit a mórtuis, in hoc iste adstat coram vobis sanus. Hic est lapis, qui reprobátus est a vobis ædificántibus: qui factus est in caput ánguli: et non est in álio áliquo salus. Nec enim áliud nomen est sub cœlo datum homínibus, in quo opórteat nos salvos fíeri.

Graduale. Ps. 105. Salvos fac nos, Dómine Deus noster, et cóngrega nos de natiónibus: ut confiteámur nómini sancto tuo, et gloriémur in glória tua.

℣. Isaiæ 63. Tu, Dómine, pater noster et redémptor noster, a sæculo nomen tuum.

Allelúia, allelúia.

℣. Ps. 144. Laudem Dómini loquétur os meum, et benedícat omnis caro nomen sanctum ejus. (Allelúia.)

Sequentia.

in Missis votivis omittenda.

LAUDA, Sion, Salvatóris Jesu nomen, et amóris, Toto cordis júbilo.

Digitized by Google

Nomen sanctum nos amáre
Decet semper, et laudáre
Absque mentis núbilo.

Jesu nomen potestátis,
Atque ætérnæ majestátis,
Summi Patris bráchium.

Cœlos fecit, terræ molem
Jesu nomen, atque solem,
Et cœléste gáudium.

Angelórum ingens cœtus,
Protoplastésque perféctus
Fuit Jesu nómine.

Ut aquárum magni fontes
Sunt immíssi super montes,
Justo rerum órdine.

In Ægypto fecit signa
Jesu nomen, et malígna
Pérdidit prodígia.

Scisso pélago transvéxit
Israélem, et demérsit
Hóstium insígnia.

Hujus nóminis virtúte
Superbórum sunt destrúctæ
Dæmonum poténtiæ.

Simulácra idolórum
Sunt evérsa, tyrannórum
Fractæ violéntiæ.

Jesu nomen figurátum,
Veheménter exspectátum
Patrum desidério.

Revelátum nobis quidem
Dedit spem, amórem, fidem,
Máximo mystério.

Nomen ergo hoc amándum
Toto corde, et adorándum
Omni reveréntia.

In advérsis nomen sanctum
Invocétur : Jesu tantum
Aderit præséntia.

Præséntia Deitátis
Et totíus bonitátis,
Dulcis Jesus áderit.

Fugat morbos et livóres,
Sed et ánimi languóres,
Jesus ubi vénerit.

Veni ergo, Jesu bone,
Et te cordi nostro pone
Nóbile signáculum. Amen.
Allelúia.

Post Septuagesimam, omissis **Allelúia**, et Versu sequenti, dicitur :

Tractus. Ps. 79. et Cant. 2. **Dómine, Deus virtútum, convérte nos : et osténde fáciem tuam, et salvi érimus : sonet vox tua in áuribus meis.**

℣. Cant. 2. **Vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra nimis.**

℣. Cant. 1. **Oleum effúsum nomen tuum, Jesu : ídeo adolescéntulæ dilexérunt te.**

Sequentia. **Lauda Sion**, ut supra, sine **Allelúia** in fine.

Tempore Paschali in Missis votivis :

Allelúia, allelúia.

℣. Ps. 144. **Laudem Dómini loquétur os meum, et benedícat omnis caro nomen sanctum ejus Allelúia.**

℣. ibid. **Exaltábo te, Deus meus Rex, et benedícam nómini sancto tuo, Jesu, in sæculum. et in sæculum sæculi. Allelúia.**

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 2.

In illo témpore : Postquam consummáti sunt dies octo, ut circumciderétur puer, vocátum est nomen ejus Jesus, quod vocátum est ab Angelo, priúsquam in útero conciperétur.

Et dicitur **Credo.**

Offertorium. Ps. 85. **Confitébor tibi, Dómine Deus meus, in toto corde meo, et glorificábo nomen tuum in**

Digitized by Google

ætérnum : quóniam tu, Dómine, suávis et mitis es : et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te. Allelúia.

Secreta.

BENEDICTIO tua, clementíssime Deus, qua omnis viget creatúra, sanctíficet, quæsumus, hoc sacrifícium nostrum, quod ad glóriam nóminis Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi offérimus tibi : ut majestáti tuæ placére possit ad laudem, et nobis profícere ad salútem. Per eúmdem Dóminum.

Pro Dom. II. post Epiph.

Secreta.

OBLATA, Dómine, múnera sanctífica : nosque a peccatórum nostrórum máculis emúnda. Per Dóminum.

Præfatio de Nativitate.

Communio. ibid. Omnes gentes, quascúmque fecísti, vénient et adorábunt coram te, Dómine, et glorificábunt nomen tuum : quóniam magnus es tu, et fáciens mirabília : tu es Deus solus. Allelúia.

Postcommunio.

OMNIPOTENS ætérne Deus, qui creásti et redemísti nos, réspice propítius vota nostra : et sacrifícium salutáris héstiæ, quod in honórem nóminis Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi majestáti tuæ obtúlimus, plácido et benígno vultu suscípere dignéris ; ut grátia tua nobis infúsa, sub glorióso nómine Jesu, ætérnæ prædestinatiónis título gaudeámus nómina nostra scripta esse in cœlis. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Pro Dom. II. post Epiph.

Postcommunio.

AUGEATUR in nobis, quæsumus, Dómine, tuæ virtútis operátio : ut divínis vegetáti sacraméntis, ad eórum promíssa capiénda, tuo múnere præparémur. Per Dóminum.

¶ In fine Missæ legitur Evangelium Dominicæ secundæ post Epiphaniam. Núptiæ factæ sunt.

DIE XIV. JANUARII.

B. BERNARDI A CORLEONE, CONF. ORDINIS NOSTRI.

Missa Os justi, de Communi Conf. non Pont. præter Orationem.

Oratio.

DEUS, qui beátum Bernárdum Confessórem tuum heróicacharitáte et admirábili pœniténtia clarére fecísti : ejus nobis intercessióne concéde, te super ómnia toto cordis affectu dilígere, et dignos pœniténtiæ fructus fácere. Per Dóminum.

Et fit commem. S. Felicis Presb. et Mart., ut in Missali, hac die.

DIE XV. JANUARII.

S. PAULI I. EREMITÆ, CONF.

Missa cum commem. S. Mauri, Abbatis, ut in Missali, hac die.

DIE XVI. JANUARII.

SS. BERARDI ET SOCIORUM, PROTOMARTYRUM ORD. MIN.

Introitus. *Ps.* 33.

QULTÆ tribulatiónes justórum, et de his ómnibus liberávit eos Dóminus. Dóminus cu-

Digitized by Google

stódit ómnia ossa eórum, unum ex his non conterétur.

Ps. ibid. Benedícam Dóminum in omni témpore : semper laus ejus in ore meo.

℣. Glória Patri.

Oratio.

LARGIRE nobis, quæsumus, Dómine, beátis Martyribus tuis Berárdo, Petro, Áccúrsio, Adjúto et Othóne intercedéntibus, cœléstia semper et Christum amáre : quorum glorióso martyrio Ordinis Minórum inítia consecrásti. Per eúmdem Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

1. Cor. 4.

FRATRES : Spectáculum facti sumus mundo, et Angelis, et homínibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudéntes in Christo : nos infírmi, vos autem fortes : vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam et esurímus, et sitímus, et nudi sumus, et cólaphis cædimur, et instábiles sumus, et laborámus operántes mánibus nostris : maledícimur, et benedícimus : persecutiónem pátimur, et sustinémus : blasphemámur, et obsecrámus : tamquam purgaménta hujus mundi facti sumus, ómnium peripséma usque adhuc. Non ut confúndam vos, hæc scribo, sed ut fílios meos caríssimos mónco : in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale. Ps. 78. Víndica, Dómine sánguinem Sanctórum tuórum, qui effúsus est.

℣. Posuérunt morticína servórum tuórum, Dómine, escas volatílibus cœli : carnes Sanctórum tuórum béstiis terræ.

Allelúia, allelúia.

℣. Hæc est vera fratérnitas, quæ vicit mundi crímina : Christum secúta est, ínclyta tenens regna cœléstia. Allelúia.

Post Septuagesimam omissis et Versu sequenti, dicitur :

Tractus. Ps. 125. Qui séminant in lácrymis, in gáudio metent.

℣. Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua.

℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. c. 10.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum. Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbæ. Cavéte autem ab homínibus. Tradent enim vos in concíliis, et in synagógis suis flagellábunt vos ; et ad præsides et ad reges ducémini propter me in testimónium illis, et géntibus. Cum autem tradent vos, nolíte cogitáre, quómodo aut quid loquámini : dábitur enim vobis in illa hora, quid loquámini. Non enim vos estis, qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater fílium : et insúrgent fílii in paréntes, et morte eos affícient : et éritis ódio óm-

Digitized by Google

nibus propter nomen meum: qui autem perseveráverit usque in finem hic salvus erit.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Sap. 3. Justórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum malítiæ: visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace. Allelúia.

Secreta.

PRO pretiósa, Dómine, tuórum morte Sanctórum sacrifícium istud offérimus: quo opem tuam nostris tempóribus cleménter impéndas, et grátiam nobis veræ devotiónis exhíbeas. Per Dóminum.

Communio. Luc. 12. Dico autem vobis amícis meis. Ne terreámini ab his, qui vos persequúntur.

Postcommunio.

CŒLESTIA, Dómine, dona, quæ súmpsimus, vitam nobis tríbuant sempitérnam: quam cum beatórum Mártyrum tuórum Berárdi, Petri, Accúrsii, Adjúti atque Othónis gloriósis méritis implorámus. Per Dóminum.

DIE XVII. JANUARII.

S. ANTONII, ABBATIS.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XVIII. JANUARII.

IN CATHEDRA S. PETRI, QUA PRIMUM ROMÆ SEDIT.

Missa cum commemor. S. Pauli et S. Priscæ, Virg. Mart. ut in Missali, hac die.

DIE XIX. JANUARII.

S. CANUTI, REGIS ET MART.

Missa ut notatur in Missali, hac die. Et fit commem. SS. Marii, et Soc. Mart. ut ibi.

DIE XX. JANUARII.

SS. FABIANI ET SEBASTIANI, MM.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XXI. JANUARII.

S. AGNETIS, VIRG. ET MART.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XXII. JANUARII.

SS. VINCENTII ET ANASTASII, MM.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XXIII. JANUARII.

IN FESTO DESPONSATIONIS B. MARIÆ V. CUM S. JOSEPH.

Introitus. *Sedulius.*

SALVE, sancta parens, enixa puérpera regem: qui cœlum terrámque regit in sæcula sæculórum.

Ps. 44. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi.

℣. Glória Patri.

Oratio.

FAMULIS tuis, quæsumus, Dómine, cœléstis grátiæ munus impertíre: ut, quibus beátæ Vírginis partus éxstitit salútis exórdium, Desponsatiónis ejus votíva solémnitas pacis tríbuat incremèntum. Per Dóminum nostrum.

Pro commem. S. Joseph.

Oratio.

SANCTISSIMÆ genitrícis tuæ Sponsi, quæsumus, Dómine, méritis adjuvémur: ut quod possibílitas nostra non

Digitized by Google

óbtinet, ejus nobis intercessióne donétur : Qui vivis.

Et fit commem. S. Emerentianæ Virg. et Mart.

Oratio.

INDULGENTIAM nobis, quæsumus Dómine, beáta Emerentiána Virgo et Martyr implóret : quæ tibi grata semper éxstitit et mérito castitátis, et tuæ professióne virtútis. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Prov. 8.

DOMINUS possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum, et ex antíquis, ántequam terra fíeret. Nondum erant abyssi, et ego jam concépta eram : necdum fontes aquárum erúperant : necdum montes gravi mole constíterant : ante colles ego parturiébar : adhuc terram non fécerat, et flúmina, et cárdines orbis terræ. Quando præparábat cœlos, áderam : quando certa lege, et gyro vallábat abyssos : quando æthera firmábat sursum, et librábat fontes aquárum : quando circúmdabat mari términum suum, et legem ponébat aquis, ne transírent fines suos : quando appendébat fundaménta terræ. Cum eo eram cuncta compónens : et delectábar per síngulos dies, ludens coram eo omni témpore ; ludens in orbe terrárum : et delíciæ meæ esse cum fíliis hóminum. Nunc ergo, fílii, audíte me : beáti qui custódiunt vias meas. Audíte disciplínam, et estóte sapiéntes, et nolíte abjícere eam. Beátus homo, qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino.

Graduale. Benedícta et venerábilis es, Virgo María : quæ sine tactu pudóris, invénta es mater Salvatóris.

℣. Virgo Dei génitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit víscera factus homo.

Allelúia, allelúia.

℣. Felix es, sacra Virgo María, et omni laude dignissima : quia ex te ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster. Allelúia.

Post Septuagesimam, omissis Allelúia, et Versu sequenti, dicitur :

Tractus. Gaude, María Virgo, cunctas hæreses sola interemísti.

℣. Quæ Gabriélis Archángeli dictis credidísti.

℣. Dum Virgo Deum et hóminem genuísti, et post partum Virgo invioláta permansísti.

℣. Dei génitrix, intercéde pro nobis.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. c. 1.

CUM esset desponsáta mater Jesu María Joseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu sancto. Joseph autem vir ejus, cum esset justus, et nollet eam tradúcere, vóluit occúlte dimíttere eam. Hæc autem eo cogitánte, ecce Angelus Dómini appáruit in so-

Digitized by Google

mnis ei, dicens : Joseph, fili David, noli timére accípere Maríam cónjugem tuam : quod enim in ea natum est, de Spíritu sancto est. Páriet autem fílium, et vocábis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum fáciet pópulum suum a peccátis eórum.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Beáta es, virgo María, quæ ómnium portásti Creatórem : genuísti qui te fecit, et in ætérnum pérmanes Virgo.

Secreta.

UNIGENITI tui, Dómine, nobis succúrrat humánitas : ut, qui natus de Virgíne matris integritátem non mínuit, sed sacrávit : in Desponsatiónis ejus solémniis, nostris nos piáculis éxuens, oblatiónem nostram tibi fáciat accéptam Jesus Christus Dóminus noster : Qui tecum vivit.

Pro S. Joseph. Secreta.

DEBITUM tibi, Dómine, nostræ réddimus servitútis, supplíciter exorántes : ut suffrágiis beáti Joseph Sponsi genitrícis Fílii tui Jesu Christi Dómini nostri, in nobis tua múnera tueáris, ob cujus venerándam commemoratiónem, laudis tibi hóstias immolámus. Per eúmdem Dóminum.

Pro S. Emerentiana. Secreta.

HOSTIAS tibi, Dómine, beátæ Emerentiánæ Vírginis et Mártyris tuæ dicátas méritis, benígnus assúme : et ad perpétuum nobis tríbue provenire subsídium. Per Dóminum.

Præfatio de B. Maria. Et te in Desponsatióne.

Communio. Beáta víscera Maríæ Vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium.

Postcommunio.

SUMPSIMUS, Dómine, celebritátis ánnuæ votíva sacraménta : præsta, quæsumus ; ut et temporális vitæ nobis remédia præbeant, et ætérnæ. Per Dóminum.

Pro S. Joseph.

Postcommunio.

ADESTO nobis, quæsumus, miséricors Deus : et intercedénte pro nobis beáto Joseph Confessóre, tua circa nos propitiátus dona custódi. Per Dóminum.

Pro S. Emerentiana.

Postcommunio.

DIVINI múneris largitáte satiáti, quæsumus, Dómine Deus noster : ut, intercedénte beáta Emerentiána Vírgine et Mártyre tua, in ejus semper participatióne vivámus. Per Dóminum.

DIE XXIV. JANUARII.

S. TIMOTHEI, EPISC. ET MART.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XXV. JANUARII.

IN CONVERS. S. PAULI, APOST.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XXVI. JANUARII.

S. POLYCARPI, EPISC. ET MART.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XXVII. JANUARII.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI, EPISC. CONF. ET DOCT.

Missa ut in Missali, hac die.

Digitized by Google

DIE XXVIII. JANUARII.

S. AGNETIS, VIRG. ET MART. SECUNDO.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XXIX. JANUARII.

S. FRANCISCI SALESII, EPISC. CONF. ET DOCT.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XXX. JANUARII.

S. HYACINTHÆ, VIRG. III. ORD.

Missa Dilexísti, de Communi Virginum.

Oratio.

DEUS, qui beátam Hyacíntham Vírginem tuam jugis mortificatiónis et charitátis víctimam effecísti : ejus nobis exém lo et intercessióne concéde, ut peccáta nostra deflére, et te semper dilígere valeámus. Per Dóminum.

DIE XXXI. JANUARII.

B. LUDOVICÆ DE ALBERTONIBUS, VIDUÆ III. ORDINIS.

Missa Cognóvi, de Communi nec Virginis nec Martyris, præter Orationem.

Oratio.

DEUS, qui beátæ Ludovícæ inter céteras egrégias dotes, insígnem veréque singulárem erga Christi páuperes charitátis prærogatívam misericórditer contulísti: concéde nobis fámulis tuis, ejus suffragántibus méritis, charitátem, qua te super ómnia toto cordis affectu dilígere valeámus. Per eúmdem Dóminum.

FESTA FEBRUARII.

DIE I. FEBRUARII.

B. ANDREÆ DE COMITIBUS, CONF. I. ORDINIS.

Missa Justus ut palma, de Communi Conf. non Pont., præter Orationem.

Oratio.

MENTES et córpora nostra, clementíssime Deus, beáti Andréæ Confessóris tui suffragántibus méritis ab omni malórum spirítuum incursióne defénde : ne, quos ad pœnam sibi cómites quærunt, eos ad crimen súum fáciant erróre partícipes. Per Dóminum.

DIE II. FEBRUARII.

IN FESTO PURIFICATIONIS B. M. VIRGINIS.

Omnia ut in Missali, hac die.

DIE III. FEBRUARII.

S. PETRI NOLASCO, CONF.

Missa ut in Missali, die 31 Januarii.

Et fit comm. S. Blasii Episcopi et Mart. ut in Missali, hac die.

DIE IV. FEBRUARII.

S. JOSEPHI A LEONISSA, CONF. ORDINIS NOSTRI.

Introitus. *Ps.* 91.

JUSTUS ut palma florébit, sicut cedrus Líbani multiplicábitur : plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri.

Ps. ibid. Bonum est confitéri Dómino : et psállere nómini tuo, Altíssime.

℣. Glória Patri.

Digitized by Google

Oratio.

Deus, fidélium remunerátor servórum, qui beátum Joséphum exímium in evangélica prædicatióne operárium effecísti : ejus, quæsumus, intercessióne concéde ; ut a grato tibi servítio numquam cessémus in terris, et plenam a te mercédem recipiámus in cœlis. Per Dóminum.

In Quadragesima fit comm. Feriæ, quod in sequentibus diebus observatur.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

1. Cor. 4.

Fratres : Spectáculum facti sumus mundo, et Angelis, et homínibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudéntes in Christo : nos infírmi, vos autem fortes : vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam et esurímus, et sitímus, et nudi sumus, et cólaphis cædimur, et instábiles sumus, et laborámus operántes mánibus nostris : maledícimur, et benedícimus : persecutiónem pátimur, et sustinémus : blasphemámur, et obsecrámus : tamquam purgaménta hujus mundi facti sumus, ómnium peripséma usque adhuc. Non ut confúndam vos, hæc scribo, sed ut fílios meos charíssimos móneo : in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale. Ps. 36. Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus : et non supplantabúntur gressus ejus.

Allelúia, allelúia.

℣. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum : in mandátis ejus cupit nimis. Allelúia.

Post Septuagesimam, omissis Allelúia, et Versu sequenti, dicitur :

Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum : in mandátis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen ejus : generátio rectórum benedicétur.

℣. Glória et divítiæ in domo ejus : et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. ℣. 10.

In illo témpore : Designávit Dóminus et álios septuagínta duos : et misit illos binos ante fáciem suam, in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis : Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite : ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum, neque peram, neque calceaménta : et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite : Pax huic dómui : et si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra : sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes, et bibéntes quæ apud illos sunt : dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum.

Digitized by Google

Et in quamcúmque civitátem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte quæ apponúntur vobis: et curáte infírmos, qui in illa sunt, et dícite illis: Appropinquávit in vos regnum Dei.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Ps. 20. In virtúte tua, Dómine, lætábitur justus, et super salutáre tuum exsultábit veheménter: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

Secreta.

Præsta nobis, quæsumus, omnípotens Deus: ut nostræ humilitátis oblátio et pro tuórum tibi grata sit honóre Sanctórum, et nos córpore páriter et mente purífi-cet. Per Dóminum.

Communio. Matth. 19. Amen dico vobis, quod vos, qui reliquístis ómnia, et secúti estis me, céntuplum accipiétis, et vitam ætérnam possidébitis.

Postcommunio.

Quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui cœléstia alimenta percépimus, intercedénte beáto Josépho Confessóre tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

DIE V. FEBRUARII.

SS. XXVI. MART. JAPONENSIUM, I. ET III. ORDINIS.

Introitus. *Eccli.* 44.

Sapientiam sanctórum narrent pópuli: et laudes eórum núntiet ecclésia: nómina autem eórum vivent in sæculum sæculi.

Ps. 32. Exsultáte justi in Dómino: rectos decet collaudátio.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui ad tui imitatiónem per crucis supplícium primítias fídei apud Japóniæ gentes in sanctórum Mártyrum Petri Baptístæ, Pauli et Sociórum sánguine dedicásti: concéde, quæsumus; ut, quorum hódie solémnia cólimus, excitémur exémplis: Qui vivis.

Léctio libri Sapiéntiæ. Sap. 5. Justi autem in perpétuum vivent, et apud Dóminum est merces eórum, et cogitátio illórum apud Altíssimum. Ideo accípient regnum decóris, et diadéma speciéi de manu Dómini: quóniam déxtera sua teget eos, et bráchio sancto suo deféndet illos. Accípiet armatúram zelus illíus, et armábit creatúram ad ultiónem inimicórum. Induet pro thoráce justítiam, et accípiet pro gálea judícium certum. Sumet scutum inexpugnábile, æquitátem.

Graduale. Ps. 123. Anima nostra, sicut passer, erépta est de láqueo venántium.

℣. Láqueus contrítus est, et nos liberáti sumus: adjutórium nostrum in nómine Dómini, qui fecit cœlum et terram.

Allelúia, alleiúia.

℣. Hæc est vera fratérni tas, quæ vicit mundi crímina: Christum secúta est, íncly ta tenens regna cœléstia. Allelúia.

Post Septuagesimam, omis-

Digitized by Google

sis Allelúia et Versu sequenti, dicitur :

Tractus. Ps. 125. Qui séminant in lácrymis, in gáudio metent.

℣. Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua.

℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 6.

In illo témpore : Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campéstri, et turba discipulórum ejus, et multitúdo copiósa plebis ab omni Judæa et Jerúsalem, et marítima, et Tyri et Sidónis, qui vénerant, ut audírent eum, et sanaréntur a languóribus suis. Et qui vexabántur a spirítibus immúndis, curabántur. Et omnis turba quærébat eum tángere : quia virtus de illo exíbat, et sanábat omnes. Et ipse, elevátis óculis in discípulos suos, dicébat : Beáti páuperes : quia vestrum est regnum Dei. Beáti, qui nunc esurítis : quia saturabímini. Beáti, qui nunc fletis : quia ridébitis. Beáti éritis, cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tanquam malum, propter Fílium hóminis. Gaudéte in illa die, et exsultáte : ecce enim merces vestra multa est in cœlo.

Offertorium. Ps. 149. Exsultábunt Sancti in glória, lætabúntur in cubílibus suis : exaltatiónes Dei in fáucibus eórum. Allelúia.

Secreta.

Suscipe, Dómine, múnera, quæ in sanctórum Mártyrum tuórum Petri Baptístæ et Pauli cum Sóciis solemnitáte deférimus : et da nobis fámulis tuis ; ut eórum méritis in confessióne tui nóminis stábiles inveníri mereámur. Per Dóminum.

Communio. Luc. 12. Dico autem vobis amícis meis : Ne terreámini ab his, qui vos persequúntur.

Postcommunio.

Deus, qui crucis mystérium in sanctis Mártyribus tuis Petro Baptísta et Paulo cum Sóciis mirabíliter illustrásti : eórum, quæsumus, méritis et intercessióne, ita nos per grátiam tuam in fide et charitáte confírma ; ut nullis a te tentatiónibus separémur. Per Dóminum.

DIE VI. FEBRUARII.

S. AGATHÆ, VIRG. ET MART.

Missa ut in Missali, die 5. Februarii. Et fit commemoratio Feriæ, si venerit in Quadragesima, et postea S. Dorotheæ Virg. et Mart. ut in Missali, hac die.

DIE VII. FEBRUARII.

B. ANTONII DE STRONCONIO, CONF. I. ORDINIS.

Missa Justus ut palma, de Comm. Conf. non Pont. præter Orationem sequentem.

Oratio.

Famíliam tuam, quæsumus, Dómine, beáti Antónii Confessóris tui intercessióne custódi : ut a cunctis adversitátibus, ipso intercedénte, sit líbera ; et in bonis

Digitized by Google

áctibus tuo nómini sit devóta. Per Dóminum.

DIE VIII. FEBRUARII.

S. JOANNIS DE MATHA, CONF.

Missa **Os justi,** de Communi Conf. non Pont. cum Oratione propria ut in Missali, hac die.

DIE IX. FEBRUARII.

S. APOLLONIÆ, VIRG. ET MART.

Missa **Loquébar,** de Comm. Virg. Mart.

DIE X. FEBRUARII.

S. SCHOLASTICÆ, VIRG.

Missa **Dilexísti,** de Comm. Virg. cum Oratione propria ut in Missali, hac die.

DIE XI. FEBRUARII.

SS. SEPTEM FUNDATORUM ORD. SERV. B. M. V.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XII. FEBRUARII.

S. ROMUALDI, ABBATIS.

Missa **Os justi,** de Comm. Abbatum.

DIE XIII. FEBRUARII.

B. ANGELÆ FULGINATIS, VIDUÆ III. ORDINIS.

Missa **Cognóvi,** de Communi nec Virg. nec Mart. præter Orationem sequentem.

Oratio.

DEUS, dulcédo córdium et lumen Beatórum, qui beátam Angelam fámulam tuam mira rerum cœléstium contemplatióne recreásti: concéde: ut ipsíus méritis et intercessióne ita te cognoscámus in terris, ut in revelatióne sempitérnæ glóriæ tuæ gaudére mereámur in cœlis. Per Dóminum.

DIE XIV. FEBRUARII.

S. ANDREÆ CORSINI, EP. ET CONF.

Missa ut in Missali, die 4 hujus.

Et fit commem. Feriæ in Quadrag., postea S. Valentini Martyris, cum Orationibus ut in Missali, hac die.

DIE XV. FEBRUARII.

IN FESTO TRANSLAT. S. ANTONII DE PADUA, CONF. I. ORDINIS.

Missa **In médio,** ut infra die 13 Junii, præter Orationem sequentem.

Non dicitur **Credo.**

Oratio.

DEUS, qui beátum Antónium Confessórem tuum exímia miraculórum glória decorásti: concéde propítius; ut, qui ánnuam translatiónis ejus memóriam cólimus, ipsíus apud te patrocíniis adjuvémur. Per Dóminum.

Et fit commem. Feriæ in Quadrag., postea SS. Faustini et Jovitæ Mart.

Oratio.

DEUS, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Faustíni et Jovítæ solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut, quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

Pro SS. Mart. Secreta.

OBLATIS, quæsumus, Dómine, placáre munéribus: et intercedéntibus sanctis Martyribus tuis Faustíno et Jovíta, a cunctis nos defénde perículis. Per Dñum.

Pro SS. Mart. Postcommunio.

HÆC nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et intercedéntibus sanctis Martyribus tuis Faustíno et

Digitized by Google

Jovíta, cœléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dñm.

DIE XVI. FEBRUARII.

S. MARCELLI, PAPÆ ET MART.

Missa ut in Missali, die 16 Januarii.

DIE XVII. FEBRUARII.

S. RAYMUNDI DE PENNAFORT, CONFESSORIS.

Missa **Os justi**, de Communi Conf. non Pontif.. cum Oratione propria ut in Missali, die 23 Januarii.

DIE XVIII. FEBRUARII.

S. MARTINÆ, VIRG. ET MART.

Missa **Loquébar**, de Communi Virg. Mart. Et fit commem. Feriæ in Quadrag.. et postea S. Simeonis Episc. et Mart. ut in Missali, hac die.

DIE XIX. FEBRUARII.

S. CONRADI, CONF. III. ORD.

Missa **Justus ut palma**, de Comm. Conf. non Pont., cum Evang.

ut in Comm. Abbatum.

DIE XX. FEBRUARII.

S. IGNATII, EPISCOPI ET MART.

Missa ut in Missali, die 1. Februarii.

DIE XXI. FEBRUARII.

S. HILARII, EPISC., CONF. ET ECCL. DOCT.

Missa **In médio**, de Comm. Doct.

DIE XXII. FEBRUARII.

S. MARGARITÆ DE CORTONA, III. ORDINIS.

Introitus. *Ps.* 76.

Numquid obliviscétur miseréri Deus, aut continébit in ira sua misericórdias suas? Et dixi: Nunc cœpi: hæc mutátio déxteræ Excélsi.

Ps. ibid. Voce mea ad Dóminum clamávi: voce mea ad Deum, et inténdit mihi.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui non vis mortem peccatóris, sed ut magis convertátur et vivat: concéde propítius; ut, sicut beátam Margarítam ad tibi devóte serviéndum a peccatórum láqueis eripuísti; ita nos illíus précibus et imitatióne, culpárum vínculis liberáti, pura mente tibi servíre valeámus. Per Dóminum.

Comm. Feriæ in Quadrag.

Léctio libri Sapiéntiæ. Cant. 3. et 8.

Surgam, et circuíbo civitátem: per vicos et platéas quæram, quem díligit ánima mea: quæsívi illum, et non invéni. Invenérunt me vígiles, qui custódiunt civitátem. Num quem díligit ánima mea, vidístis? Páululum cum pertransíssem eos, invéni quem díligit ánima mea: ténui eum, nec dimíttam, donec introdúcam illum in domum matris meæ, et in cubículum genitrícis meæ. Adjúro vos, fíliæ Jerúsalem, per cápreas cervósque campórum, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam, donec ipsa velit. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum: quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio: lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum. Aquæ multæ non

Digitized by Google

potuerunt exstínguere charitátem, nec flúmina óbruent illam : si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam.

Graduale. Eccli. 51. Liberásti me de perditióne, et eripuísti me de témpore iníquo.

℣. Proptérea confitébor, et laudem dicam tibi, et benedícam nómini Dómini.

Tractus. Cant. 2. Jam hiems tránsiit, imber ábiit et recéssit.

℣. Flores apparuérunt in terra nostra, tempus putatiónis advénit : vox túrturis audíta est in terra nostra.

℣. Jerem. 31. In charitáte perpétua diléxi te : ídeo attráxi te, míserans tui.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur :

Allelúia, allelúia.

℣. Liberásti me de perditióne, et eripuísti me de témpore iníquo. Allelúia.

℣. Proptérea confitébor, et laudem dicam tibi, et benedícam nómini Dómini. Allel.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 15.

In illo témpore : Erant appropinquántes ad Jesum publicáni et peccatóres, ut audírent illum. Et murmurábant pharisæi et scribæ, dicéntes : Quia hic peccatóres récipit, et mandúcat cum illis. Et ait ad illos parábolam istam, dicens : Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, et si perdíderit unam ex illis, nonne dimíttit nonagínta novem in desérto, et vadit ad illam, quæ períerat, donec invéniat eam ? Et cum invénerit eam, impónit in húmeros suos gaudens : et véniens domum, cónvocat amícos et vicínos, dicens illis : Congratulámini mihi, quia invéni ovem meam, quæ períerat ? Dico vobis, quod ita gáudium erit in cœlo super uno peccatóre pœniténtiam agénte, quam super nonagínta novem justis, qui non índigent pœniténtia. Aut quæ múlier habens drachmas decem, si perdíderit drachmam unam, nonne accéndit lucérnam, et evérrit domum, et quærit diligénter, donec invéniat ? Et cum invénerit, cónvocat amícas et vicínas, dicens : Congratulámini mihi, quia invéni drachmam, quam perdíderam ? Ita dico vobis : gáudium erit coram Angelis Dei super uno peccatóre pœniténtiam agénte.

Et dicitur **Credo.**

Offertorium. Rom. 5. **Ubi abundávit delíctum, superabundávit grátia : ut, sicut regnávit peccátum in mortem, ita et grátia regnet per justítiam in vitam ætérnam.**

Secreta.

Placationis hóstia, quam tibi offérimus, Dómine, beátæ Margarítæ interveniénte suffrágio, optátæ nobis indulgéntiæ plenitúdinem elargiátur. Per Dóminum.

Communio. Luc. 15. **Gáudium erit coram Angelis Dei super uno peccatóre pœniténtiam agénte.**

Postcommunio.

Uberes, Dómine, sanctæ tuæ Margarítæ lácrymæ durítiem nostri cordis emól-

Digitized by Google

liant : ut per hujus virtútem sacraménti débitas reátibus flammas incessánti fletu exstinguámus. Per Dóminum.

DIE XXIII. FEBRUARII.

IN CATHEDRA ANTIOCHENA S. PETRI.

Missa ut in Missali, die 18. Januarii, omissa commem. S. Priscæ. Et fit comm. Fer. si venerit in Quadrag., et postea Vigiliæ S. Mathiæ Apost.

DIE XXIII. VEL XXIV. FEB.

IN VIGILIA S. MATHIÆ, APOST.

Missa de Communi in Vigilia unius Apostoli.

DIE XXIV. VEL XXV. FEB.

S. MATHIÆ, APOSTOLI.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XXV. VEL XXVI. FEB.

S. PETRI DAMIANI, EPISC. CONF. ET ECCL. DOCT.

Missa In médio, de Comm. Doctorum.

DIE XXVI. VEL XXVII. FEB.

S. TITI, EPISC. ET CONF.

Missa Státuit, de Communi Conf. Pont. cum Oratione et Evangelio ut in Missali, die 6 Februarii.

DIE XXVII. VEL XXVIII. FEBRUARII.

S. CYRILLI ALEXANDRINI, EPISC. CONF. ET ECCL. DOCT.

Missa ut in Missali, die 9 Februarii.

DIE XXVIII. VEL XXIX. FEBRUARII.

B. VIRIDIANÆ, VIRG. III. ORD.

Missa Dilexísti, de Communi Virg. præter Orationem sequentem.

Oratio.

DEUS, qui in fámula tua Viridiána cum virginitátis flore mirábiles pœniténtiæ fructus conjunxísti : tríbue nobis, quæsumus : ut ejus méritis et précibus pœniténtiæ lácrymis ablúti, mundi in conspéctu tuo præsentári mereámur. Per Dóminum.

FERIA III. POST DOM. SEPTUAG.

ORATIONIS D. N. JESU CHRISTI.

Introitus. *Ps.* 54.

COR meum conturbátum est in me, et formído mortis cécidit super me. Timor et tremor veném runt super me.

Ps. 68. Salvum me fac, Deus : quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam.

℣. Glória Patri.

Oratio.

DOMINE Jesu Christe, qui in horto verbo et exémplo nos oráre docuísti ad tentatiónum perícula superánda : concéde propítius ; ut nos oratióni semper intenti, ejus copiósum fructum cónsequi mereámur : Qui vivis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. c. 5.

CHRISTUS non semetípsum clarificávit, ut póntifex fíeret : sed qui locútus est ad eum : Fílius meus es tu, ego hódie génui te. Quemádmodum et in álio loco dicit : Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Qui in diébus carnis

Digitized by Google

suæ preces supplicatiónesque ad eum, qui possit illum salvum fácere a morte, cum clamóre válido et lácrymis ófferens, exaudítus est pro sua reveréntia : et quidem cum esset Fílius Dei, dídicit ex iis, quæ passus est, obediéntiam : et consummátus, factus est ómnibus obtemperántibus sibi causa salútis ætérnæ, appellátus a Deo póntifex juxta órdinem Melchísedech.

Graduale. Ps. 87. Repléta est malis ánima mea, et vita mea inférno appropinquávit.

℣. Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum : factus sum sicut homo sine adjutório.

Tractus. Ps. 68. Exáudi me, Dómine, quóniam benígna est misericórdia tua.

℣. Et ne avértas fáciem tuam a púero tuo : quóniam tríbulor, velóciter exáudi me.

℣. Ps. 21. Ne discésseris a me, quóniam tribulátio próxima est : quóniam non est qui ádjuvet.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 22.

In illo témpore : Egréssus Jesus ibat secúndum consuetúdinem in montem Olivárum. Secúti sunt autem illum et discípuli. Et cum pervenísset ad locum, dixit illis : Oráte, ne intrétis in tentatiónem. Et ipse avúlsus est ab eis, quantum jactus est lápidis, et pósitis génibus orábat, dicens : Pater, si vis, transfer cálicem istum a me : verúmtamen non mea volúntas, sed tua fiat. Appáruit autem illi Angelus de cœlo, confórtans eum. Et factus in agonía, prolíxius orábat. Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sánguinis decurréntis in terram.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Ps. 68. Salvum me fac, Deus : quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam.

Secreta.

Hujus sancti sacrifícii méritis fac nos, quæsumus, Dómine, divína institutióne formátos curam oratióni tam efficáciter impéndere, ut Jesus Christus Fílius tuus in éxitu nostro vígiles nos, et a culpa solútos invéniat : Qui teçum vivit.

Præfatio de Cruce.

Communio. Matth. 26. Vigiláte et oráte, ut non intrétis in tentatiónem : spíritus quidem promptus est, caro autem infírma.

Postcommunio.

Refecti alimónia cœlésti, súpplices te rogámus, Pater omnípotens : ut per Unigéniti Fílii tui oratiónis virtútem, nos in tantis córporis et ánimæ perículis constitúti, ad cœléstia regna secúre pervenire mereámur. Per eúmdem Dóminum.

FERIA III. POST DOM. SEXAGESIMÆ.

SS. PASSIONIS D.N. JESU CHRISTI.

Missa Humiliávit, votiva de Passione, præter Orationem sequentem.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui humáno géneri, ad imitándum humili-

Digitized by Google

tátis exémplum, Salvatórem nostrum carnem súmere, et crucem subíre fecísti : concéde propítius ; ut, sicut solémnem commemoratiónem passiónis ejus celebrámus, ita et patiéntiæ ipsíus habére documénta, et resurrectiónis consórtia mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Et dicitur Credo, ac Præfatio de Cruce.

FER. VI. POST CINERES.

SS. SPINEÆ CORONÆ D. N. J. C.

Introitus. *Cant.* 3.

EGREDIMINI et vidéte, fíliæ Sion, regem Salomónem in diadémate, quo coronávit eum mater sua, parans crucem Salvatóri suo.

Ps. 8. Glória et honóre coronásti eum, Dómine : et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

℣. Glória Patri.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus : ut, qui in memóriam passiónis Dómini nostri Jesu Christi, Corónam ejus spíneam venerámur in terris, ab ipso glória et honóre coronári mereámur in cœlis : Qui tecum vivit.

Et fit commemoratio Feriæ, et dicitur ejusdem Evang. in fine.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Cant. 3 et 4.

LECTULUM Salomónis sexagínta fortes ámbiunt ex fortíssimis Israel : omnes tenéntes gládios, et ad bella doctíssimi : uniuscujúsque ensis super femur suum propter timóres noctúrnos. Férculum fecit sibi rex Sálomon de lignis Líbani. Colúmnas ejus fecit argénteas, reclinatórium áureum, ascénsum purpúreum : média charitáte constrávit propter fílias Jerúsalem. Egredímini et vidéte, fíliæ Sion, regem Salomónem in diadémate, quo coronávit illum mater sua in die desponsatiónis illíus, et in die lætítiæ cordis ejus. Quam pulchra es, amíca mea, quam pulchra es ! Oculi tui columbárum, absque eo quod intrínsecus latet. Veni de Líbano, sponsa mea, veni de Líbano, veni : coronáberis.

Graduale. Eccli. 45. Coróna áurea super caput ejus : expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis.

℣. Ps. 20. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Tractus. Isai. 61. Indúit eum Dóminus vestiméntis salútis et induménto justítiæ, quasi sponsum decorátum coróna.

℣. Isai. 28. Coróna tribulatiónis efflóruit in corónam glóriæ, et sertum exsultatiónis.

℣. Sap. 5. Accépit regnum decóris, diadéma speciéi.

In Missis votivis a Pascha usque ad Pentecosten :

Allelúia, allelúia.

℣. Eccli. 45. Coróna áurea super caput ejus : expréssa signo sanctitátis, glória ho-

Digitized by Google

nóris, et opus fortitúdinis. Allelúia.

℣. Tibi glória, hosánna: tibi triúmphus et victória: tibi summæ laudis et honóris coróna. Allelúia.

A Pentecoste usque ad Septuag. :

Graduale. Ibid. Coróna áurea super caput ejus : expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis.

℣. Ps. 20. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Allelúia, allelúia.

℣. Isai. 28. Coróna tribulatiónis efflóruit in corónam glóriæ, et sertum exsultatiónis. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. c. 19.

In illo témpore : Apprehéndit Pilátus Jesum, et flagellávit. Et mílites plecténtes corónam de spinis, imposuérunt cápiti ejus, et veste purpúrea circumdedérunt eum. Et veniébant ad eum, et dicébant : Ave rex Judæórum : et dabant ei álapas. Exívit ergo íterum Pilátus foras, et dicit eis : Ecce addúco vobis eum foras, ut cognoscátis, quia nullam invénio in eo causam. Exívit ergo Jesus portans corónam spíneam, et purpúreum vestiméntum.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Tuam corónam adorámus, Dómine : tuam gloriósam recólimus passiónem.

Secreta.

Tuorum mílitum, Rex omnípotens, virtútem róbora : ut, quos in hujus mortalitátis stádio unigéniti Fílii tui Coróna lætíficat, consummáto cursu certáminis, immortalitátis brávium apprehéndant. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de Cruce.

Communio. Prov. 4. Lætáre, mater nostra, quia dabit Dóminus cápiti tuo augménta gratiárum, et coróna ínclyta próteget te.

Postcommunio.

Supplices te rogámus, omnípotens Deus : ut hæc sacraménta, quæ súmpsimus, per sacrosánctæ Fílii tui Corónæ, cujus solémnia recensémus, virtútem, nobis proficiant ad medélam. Per eúmdem Dóminum.

FERIA VI. POST DOM. I. QUADRAG.

SS. LANCEÆ ET CLAVORUM D. N. JESU CHRISTI.

Introitus. *Ps.* 21.

Foderunt manus meas et pedes meos : dinumeravérunt ómnia ossa mea : et sicut aqua effúsus sum.

Ps. ibid. Factum est cor meum tamquam cera liquéscens in médio ventris mei.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui in assúmptæ carnis infirmitáte Clavis affígi, et Láncea vulnerári pro mundi salúte voluísti :

Digitized by Google

concéde propítius ; ut, qui eorúmdem Clavórum et Lánceæ solémnia veneráмur in terris, de glorióso victóriæ tuæ triúmpho gratulémur in cœlis : Qui vivis.

Et fit comm. Feriæ, et legitur ejusdem Evang. in fine.

Léctio Zacharíæ Prophétæ. c. 12 et 13.

Hæc dicit Dóminus : Effúndam super domum David, et super habitatóres Jerúsalem spíritum grátiæ et precum : et adspícient ad me, quem confixérunt, et plangent eum planctu quasi super unigénitum, et dolébunt super eum, ut doléri solet in morte primogéniti. In die illa magnus erit planctus in Jerúsalem, et dicétur : Quid sunt plagæ istæ in médio mánuum tuárum ? Et dicet : His plagátus sum in domo eórum, qui diligébant me. Frámea suscitáre super pastórem meum, et super virum cohæréntem mihi, dicit Dóminus exercítuum : pércute pastórem, et dispergéntur oves : ait Dóminus omnípotens.

Graduale. Ps. 68. Impropérium exspectávit cor meum, et misériam et sustínui, qui simul mecum contristarétur, et non fuit : consoléntem me quæsívi, et non invéni.

℣. Dedérunt in escam meam fel, et in siti mea potavérunt me acéto.

Tractus. Isai. 53. Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit.

℣. Et nos putávimus eum quasi leprósum, et percússum a Deo, et humiliátum.

℣. Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra.

℣. Disciplína pacis nostræ super eum : et livóre ejus sanáti sumus.

In Missis votivis, Graduale per annum, et Tempore Paschali : Allelúia, ut in Missa votiva de Passióne Domini.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. c. 19.

In illo témpore : Sciens Jesus, quia ómnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dixit : Sítio. Vas ergo erat pósitum acéto plenum. Illi autem spóngiam plenam acéto, hyssópo circumponéntes, obtulérunt ori ejus. Cum ergo accepísset Jesus acétum, dixit : Consummátum est. Et inclináto cápite trádidit spíritum. Judæi ergo (quóniam parascéve erat), ut non remanérent in cruce córpora sábbato (erat enim magnus dies ille sábbati), rogavérunt Pilátum, ut frangeréntur eórum crura, et tolleréntur. Venérunt ergo mílites, et primi quidem fregérunt crura, et altérius, qui crucifíxus est cum eo. Ad Jesum autem cum veníssent, ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura : sed unus mílitum láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis et aqua. Et qui vidit, testimónium perhíbuit : et verum est testimónium ejus.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Insurrexérunt in me viri iníqui : absque misericórdia quæsiérunt me

Digitized by Google

interfícere, et non pepercérunt in fáciem meam spúere: lánceis suis vulneravérunt me, et concússa sunt ómnia ossa mea.

Secreta.

SANCTIFICET nos, quæsumus, Dómine, hoc sanctum et immaculátum sacrifícium vespertínum: quod unigénitus Fílius tuus in cruce óbtulit pro salúte mundi: Qui tecum vivit.

Præfatio de Cruce.

Communio. Vidébunt in quem transfixérunt, cum moveréntur fundaménta terræ.

Postcommunio.

DOMINE Jesu Christe, qui temetípsum in cruce holocáustum immaculátum et spontáneum Deo Patri obtulísti: quæsumus; ut ejúsdem sacrifícii oblátio veneránda indulgéntiam nobis obtíneat, et glóriam sempitérnam: Qui vivis.

FERIA VI. POST DOM. II. QUADRAG.

SACRATISSIMÆ SINDONIS D. N. JESU CHRISTI.

Introitus. *Phil.* 2.

HUMILIAVIT semetípsum Dóminus Jesus Christus usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod et Deus exaltávit illum, et donávit illi nomen, quod est super omne nomen.

Ps. 88. Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo: in generatiónem et generatiónem annuntiábo veritátem tuam in ore meo.

℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui nobis in sancta Síndone, qua corpus tuum sacratíssimum e cruce depósitum a Joseph involútum fuit, passiónis tuæ vestígia reliquísti: concéde propítius; ut per mortem et sepultúram tuam ad resurrectiónis glóriam perducámur: Qui vivis et regnas.

Et fit commem. Feriæ, et legitur ejusdem Evang. in fine.

Léctio Isaíæ Prophétæ. c. 62 et 63.

HÆC dicit Dóminus Deus: Dícite fíliæ Sion: Ecce Salvátor tuus venit: ecce merces ejus cum eo. Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis véstibus de Bosra? Iste formósus in stola sua, grádiens in multitúdine fortitúdinis suæ. Ego, qui loquor justítiam, et propugnátor sum ad salvándum. Quare ergo rubrum est induméntum tuum, et vestiménta tua sicut calcántium in torculári? Tórcular calcávi solus, et de géntibus non est vir mecum: calcávi eos in furóre meo, et conculcávi eos in ira mea: et aspérsus est sanguis eórum super vestiménta mea, et ómnia induménta mea inquinávi. Dies enim ultiónis in corde meo, annus redemptiónis meæ venit. Circumspéxi, et non erat auxiliátor: quæsívi, et non fuit qui adjuváret: et salvávit mihi brachium meum, et indignátio mea ipsa auxiliáta est mihi. Et conculcávi pópulos in furóre meo, et inebriávi eos in indigna-

Digitized by Google

tióne mea, et detráxi in terram virtútem eórum. Miseratiónum Dómini recordábor, laudem Dómini super ómnibus, quæ réddidit nobis Dóminus Deus noster.

Graduale. Ps. 68. Impropérium exspectávit cor meum, et misériam : et sustínui, qui simul mecum contristarétur, et non fuit : consolántem me quæsívi, et non invéni.

℣. Dedérunt in escam meam fel, et in siti mea potavérunt me acéto.

Tractus. Isai. 53. Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit.

℣. Et nos putávimus eum quasi leprósum, et percússum a Deo, et humiliátum.

℣. Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra.

℣. Disciplína pacis nostræ super eum, et livóre ejus sanáti sumus.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum. c. 15.

In illo témpore : Cum jam sero esset factum (quia erat parascéve, quod est ante sábbatum), venit Joseph ab Arimathæa, nóbilis decúrio, qui et ipse erat exspéctans regnum Dei, et audácter introívit ad Pilátum, et pétiit corpus Jesu. Pilátus autem mirabátur, si jam obiísset. Et accersíto centuriône, interrogávit eum, si jam mórtuus esset. Et cum cognovísset a centuriône, donávit corpus Joseph. Joseph autem mercátus síndonem, et depónens eum involvit síndone, et pósuit eum in monuménto, quod erat excísum de petra, et advólvit lápidem ad óstium monuménti.

Et dicitur **Credo.**

Offertorium. Ingréssus Aaron tabernáculum, ut holocáustum offérret super altáre pro peccátis filiórum Israel, túnica línea indútus est.

Secreta.

Accepta tibi, Dómine, sint hæc múnera, cui pro mundi salúte grata éxstitit Fílii tui pássio gloriósa. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de Cruce.

Communio. Marc. 15. Joseph autem mercátus síndonem, et depónens eum involvit síndone.

Postcommunio.

Satiasti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris : quæsumus ; ut per temporálem Fílii tui mortem, quam mystéria veneránda testántur, vitam te nobis dedísse perpétuam confidámus. Per eúmdem Dóminum.

FERIA VI. POST DOM. III. QUADRAG.

SS. QUINQUE VULNERUM D. N. JESU CHRISTI.

Introitus. *Phil.* 2.

Humiliavit semetípsum Dóminus Jesus Christus usque ad mortem, mortem autem crucis : propter quod et Deus exaltávit illum, et donávit illi nomen, quod est super omne nomen.

Ps. 88. Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo : in

Digitized by Google

generatiónem et generatiónem.

℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui unigéniti Fílii tui passióne, et per quinque vúlnera ejus sánguinis effusióne humánam natúram peccáto pérditam reparásti: tríbue nobis, quæsumus; ut, qui ab eo suscépta vúlnera venerámur in terris, ejúsdem pretiosíssimi sánguinis fructum cónsequi mereámur in cœlis. Per eúmdem Dóminum.

Et fit commem. Feriæ, et legitur ejusdem Evangelium in fine.

Léctio Zacharíæ Prophétæ. c. 12 et 13.

HÆC dicit Dóminus: Effúndam super domum David, et super habitatóres Jerúsalem spíritum grátiæ et precum: et adspícient ad me, quem confixérunt, et plangent eum planctu quasi super unigénitum, et dolébunt super eum, ut doléri solet in morte primogéniti. In die illa magnus erit planctus in Jerúsalem, et dicétur: Quid sunt plagæ istæ in médio mánuum tuárum? Et dicet: His plagátus sum in domo eórum, qui diligébant me. Frámea suscitáre super pastórem meum, et super virum cohæréntem mihi, dicit Dóminus exercítuum: pércute pastórem, et dispergéntur oves: ait Dóminus omnípotens.

Graduale. Ps. 68. Impropérium exspectávit cor meum, et misériam: et sustínui, qui simul mecum contristarétur, et non fuit: consoléntem me quæsívi, et non invéni.

℣. Dedérunt in escam meam fel, et in siti mea potavérunt me acéto.

Tractus. Isai. 53. Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit.

℣. Et nos putávimus eum quasi leprósum, et percússum a Deo, et humiliátum.

℣. Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra.

℣. Disciplína pacis nostræ super eum: et livóre ejus sanáti sumus.

✠S equéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. c. 19.

IN illo témpore: Sciens Jesus, quia ómnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dixit: Sítio. Vas ergo erat pósitum acéto plenum. Illi autem spóngiam plenam acéto, hyssópo circumponéntes, obtulérunt ori ejus. Cum ergo accepísset Jesus acétum, dixit: Consummátum est. Et inclináto cápite trádidit spíritum. Judæi ergo (quóniam parascéve erat), ut non remanérent in cruce córpora sábbato (erat enim magnus dies ille sábbati), rogavérunt Pilátum, ut frangeréntur eórum crura, et tolleréntur. Venérunt ergo mílites, et primi quidem fregérunt crura, et altérius, qui crucifíxus est cum eo. Ad Jesum autem cum veníssent, ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura: sed unus mílitum láncea

Digitized by Google

latus ejus apéruit, et continuo exívit sanguis et aqua. Et qui vidit, testimónium perhíbuit : et verum est testimónium ejus.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Insurrexérunt in me viri iníqui : absque misericórdia quæsiérunt me interfícere, et non pepercérunt in fáciem meam spúere : lánceis suis vulneravérunt me, et concússa sunt ómnia ossa mea.

Secreta.

MAJESTATI tuæ, quæsumus, Dómine, accépta sint dona, in quibus ipsa Unigéniti tui vúlnera tibi offérimus, nostræ prétia libertátis. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de Cruce.

Communio. Ps. 21. Fodérunt manus meas et pedes meos : dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Postcommunio.

REFECTI vitálibus alimóniis, quæsumus, Dómine Deus noster : ut, qui vúlnera Dómini nostri Jesu Christi hódie devóte cólimus, hæc in nostris córdibus impréssa, móribus et vita teneámus. Per eúmdem Dóminum.

FERIA VI. POST DOM. IV. QUADRAG.

PRETIOSISSIMI SANGUINIS D. N. JESU CHRISTI.

Missa Redemísti, ut in Missali, Dominica I. mensis Julii.

Fit commem. Feriæ, et dicitur ejusdem Evang. in fine.

Post Graduale, loco Allelúia, dicitur Tractus. Gratificávit nos Deus, ut notatur pro Missis votivis post Septuagesimam.

FESTA MARTII.

DIE IV. MARTII.

S. CASIMIRI, REGIS, CONF.

Missa Os justi, de Communi Conf. non Pont. cum Oratione propria ut in Missali, hac die.

Et fit com. Feriæ in Quadrag.; postea S. Lucii, Papæ et Mart. ibid.

DIE V. MARTII.

S. JOANNIS JOSEPHI A CRUCE, CONF. I. ORDINIS.

Missa Justus ut palma, de Communi Conf. non Pont., præter Orationes sequentes.

Oratio.

DEUS, qui beátum Joánnem Josephum Confessórem tuum per árduas paupertátis, humilitátis et patiéntiæ vias cœlésti glória sublimásti : da nobis, quæsumus ; ut carne mortificáti ejus imitémur exémpla, et gáudiis perfruámur ætérnis. Per Dóminum.

Secreta.

Eo charitátis ardóre, quo beátus Joánnes Josephus Agnum immaculátum, qui ábstulit peccáta mundi, mériut immoláre, fac nos propitiatiónis hóstiam tibi dignánter offérre. Per eúmdem Dóminum.

Postcommunio.

CONCEDE, quæsumus, Dómine Jesu Christe : ut, quos salutáribus mystériis

Digitized by Google

reficere dignátus es, beáti Joánnis Josèphi exémplo vivíficæ cruci júgiter adhæréntes, úberem passiónis tuæ fructum percípere mereámur : Qui vivis.

DIE VI. MARTII.

S. COLETÆ, VIRG. II. ORD.

Introitus. *Ps.* 44.

VULTUM tuum deprecabúntur omnes dívites plebis : adducéntur regi vírgines post eam : próximæ ejus adducéntur tibi in lætítia et exsultatióne.

Ps. ibid. Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea regi.

℣. Glória Patri.

Oratio.

DOMINE Jesu Christe, qui beátam Colétam sponsam tuam innúmeris dótibus decorásti : tríbue, quæsumus : ut, quo spíritu seráphicam régulam prístinæ puritáti restítuit, eódem intus reformári mereámur: Qui vivis.

In Quadrag. commem. Feriæ, et ejusdem Evang., in fine.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

1. Cor. 7.

FRATRES : De virgínibus præcéptum Dómini non hábeo : consílium autem do, tamquam misericórdiam consecútus a Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri ? noli quærere solutiónem. Solútus es ab uxóre ? noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccásti, et si núpserit virgo, non peccávit : tribulatiónem tamen carnis habébunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico, fratres : tempus breve est : réliquum est, ut et qui habent uxóres, tamquam non habéntes sint : et qui flent, tamquam non flentes : et qui gaudent, tamquam non gaudéntes : et qui emunt, tamquam non possidéntes : et qui utúntur hoc mundo, tamquam non utántur ; præterit enim figúra hujus mundi. Volo autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollícitus est, quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est, quæ sunt mundi, quómodo pláceat uxóri, et dívisus est. Et múlier innúpta et virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore et spíritu : in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale. Ps. 44. Concupívit rex decórem tuum, quóniam ipse est Dóminus Deus tuus.

℣. Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam.

Tractus. Ps. 44. Quia concupívit rex spéciem tuam.

℣. Vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis : fíliæ regum in honóre tuo.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam : próximæ ejus afferéntur tibi.

℣. Afferéntur in lætítia et exsultatióne : adducéntur in templum regis.

Tempore Paschali omitti-

Digitized by Google

tur Graduale, et ejus loco dicitur :

Allelúia, allelúia.

℣. Hæc est virgo sápiens, et una de número prudéntum. Allelúia.

℣. Sap. 4. O quam pulchra est casta generátio cum claritáte ! Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. c. 25.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quinque prudéntes : sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum : prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes, et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt : Date nobis de óleo vestro, quia lámpades nostræ exstinguúntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes : Ne forte non sufficiat nobis et vobis : Ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus : et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est jánua. Novíssime vero véniunt et réliquæ vírgines, dicéntes : Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait : Amen dico vobis : néscio vos. Vigiláte ítaque, quia nescítis diem, neque horam.

Offertorium. Ps. 44. Afferéntur regi vírgines post eam : próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne : adducéntur in templum regi Dómino.

Secreta.

Accepta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio, pro tuórum honóre Sanctórum : quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Communio. Matth. 13. Símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri, quærénti bonas margarítas : invénta autem una pretiósa margaríta, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Postcommunio.

Satiasti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris : ejus, quæsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

DIE VII. MARTII.

S. THOMÆ AQUINATIS, CONFESSORIS ET DOCTORIS.

Missa ut in Missali, hac die.

Et fit comm. Feriæ in Quadragesima ; postea SS. Perpetuæ et Felicitatis, Mart. ibid.

DIE VIII. MARTII.

S. JOANNIS DE DEO, CONF.

Missa ut in Missali, hac die.

Digitized by Google

DIE IX. MARTII.

S. FRANCISCÆ ROMANÆ, VIDUÆ.

Missa **Cognóvi,** de Communi, cum Oratione propria in Missali, hac die.

DIE X. MARTII.

SS. QUADRAGINTA MART.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XI. MARTII.

S. CATHARINÆ BONONIENSIS, VIRGINIS II. ORDINIS.

Missa **Vultum tuum,** ut supra in festo S. Coletæ, Virg., pag. **36,** præter Orationes sequentes.

Oratio.

Concede nos fámulos tuos, Deus, B. Catharínæ Vírginis suffrágiis adjuvári: cujus odóreunguentórũtráhimurad tua sancta lætántes. Per Dñm.

Secreta.

Illo nos igne in hoc sacrifício offeréndo fac, quæsumus, Dómine, veheménter incéndi, quo beáta Catharína Virgo se ipsam tibi offerébat júgiter famulári. Per Dóminum.

Postcommunio.

Majestatem tuam, Dómine, supplíciter exorámus: ut, sicut beátæ Catharínæ Vírginis corpus incorrúptum servásti; ita nos fácias per hæc sancta, quæ súmpsimus, ab omni culpárum labe servári. Per Dóminum.

DIE XII. MARTII.

S. GREGORII, PAPÆ, CONF. ET DOCTORIS.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XIII. MARTII.

B. ROGERII, CONF. I. ORD.

Missa **Os justi,** de Communi Confessoris non Pontificis, præter Orationem sequentem.

Oratio.

Deus, qui seráphico fámulo tuo Francísco beátum Rogérium et sócium et imitatórem exímium adjunxísti: da nobis utriúsque intervéntu, ambórum ita sequi vestígia, ut assequámur et præmia. Per Dóminum.

DIE XVII. MARTII.

B. PATRITII, EPISC. ET CONF.

Missa **Státuit,** de Communi Conf. Pont., cum Oratione propria ut in Missali, hac die.

DIE XVIII. MARTII.

B. SALVATORIS AB HORTA, CONF. I. ORDINIS.

Missa **Justus ut palma,** de Communi Conf. non Pont., præter Orationem sequentem.

Oratio.

Concede, quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti Salvatóris Confessóris tui memóriam recoléntes, ipsíus intercessióne a cunctis malis liberémur in terris, et ad gáudia sempitérna perveníre mereámur in cœlis. Per Dóminum.

DIE XIX. MARTII.

S. JOSEPH, SPONSI B. M. V. PATRONI ECCLESIÆ.

Missa ut in Missali, hac die.

Digitized by Google

DIE XX. MARTII.

S. CYRILLI, HIEROSOLYMITANI, EPISC. CONF. ET ECCL. DOCT.

Missa ut in Missali, die 18 Martii.

DIE XXI. MARTII.

S. BENEDICTI, ABBATIS.

Missa. **Os justi,** de Communi Abbatum.

DIE XXII. MARTII.

S. BENVENUTI, EPISC. ET CONF. I. ORDINIS.

Missa **Sacerdótes tui,** de Communi Conf. Pont. præter Orationem sequentem.

Oratio.

DEUS, qui beátum Benvenútum, Confessórem tuum atque Pontíficem, pastorali sollicitúdine júgiter vigiláre tribuísti: concéde, quæsumus; ut ejus interventióne, quæ nobis agénda præcipis exsequéntes, ad glóriæ tuæ fastígium felíciter perducámur. Per Dóminum.

Et dicitur **Credo.**

DIE XXIV. MARTII.

S. GABRIELIS ARCHANGELI.

Introitus. *Ps.* 67.

PRÆVENERUNT príncipes conjúncti psaléntibus, in médio juvenculárum tympanistriárum.

Ps. ibid. **Exsúrgat Deus,** et dissipéntur inimíci ejus: et fúgiant, qui odérunt eum, a fácie ejus.

℣. **Glória Patri.**

Oratio.

DEUS, qui inter céteros Angelos, ad annuntiándum Incarnatiónis tuæ mystérium, Gabriélem Archángelum elegísti: concéde propítius; ut, qui festum ejus celebrámus in terris, ipsíus patrocínium sentiámus in cœlis: **Qui vivis.**

In Quadrag. fit commem. Feriæ, et legitur ejusdem Evang. in fine.

Léctio Daniélis Prophétæ. c. 9.

IN diébus illis: Factum est, cum orárem, et confitérer peccáta mea, et peccáta pópuli mei Israel, et prostérnerem preces meas in conspéctu Dei mei pro monte sancto Dei mei: adhuc me loquénte in oratióne, ecce vir Gábriel, quem víderam in visióne a princípio, cito volans tétigit me in témpore sacrifícii vespertíni. Et dócuit me, et locútus est mihi, dixítque: Dániel, nunc egréssus sum, ut docérem te, et intellígeres. Ab exórdio precum tuárum egréssus est sermo: ego autem veni, ut indicárem tibi, quia vir desideriórum es: tu ergo animadvérte sermónem, et intéllige visiónem. Septuagínta hebdómades abbreviátæ sunt super pópulum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummétur prævaricátio, et finem accípiat peccátum, et deleátur iníquitas, et adducátur justítia sempitérna, et impleátur vísio et prophetía, et ungátur Sanctus sanctórum. Scito ergo, et animadvérte: Ab éxitu sermónis, ut íterum ædificétur Jerúsalem, usque ad Christum ducem, hebdómades septem, et hebdómades sexagínta duæ erunt: et rursum ædificábitur platéa et muri in angústia

Digitized by Google

témporum. Et post hebdómades sexagínta duas occidétur Christus: et non erit ejus pópulus, qui eum negatúrus est. Et civitátem et sanctuárium dissipábit pópulus, cum duce ventúro: et finis ejus vástitas, et post finem belli statúta desolátio. Confirmábit autem pactum multis hebdómada una: et in dimídio hebdómadis defíciet hóstia et sacrifícium: et erit in templo abominátio desolatiónis: et usque ad consummatiónem et finem perseverábit desolátio.

Graduale. Luc. 1. Ingréssus Angelus Gábriel ad beátam Vírginem, salutávit eam: Ave grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus.

℣. Quæ cum audísset, turbáta est in sermóne ejus. Ne tímeas, María: invenísti grátiam apud Dóminum.

Tractus. Gaude María Virgo, cunctas hæreses sola interemísti.

℣. Quæ Gabriélis Archángeli dictis credidísti.

℣. Dum Virgo Deum et hóminem genuísti: et post partum Virgo invioláta permansísti.

Tempore Paschali, omissis Graduali et Tractu, dicitur:

Allelúia, allelúia.

℣. ibid. Angelus Dómini nuntiávit Maríæ: et concépit de Spíritu sancto. Allelúia.

℣. Ne tímeas, María: invenísti grátiam apud Dóminum. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 1.

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et ingréssus Angelus ad eam, dixit: Ave grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. Quæ cum audísset, turbáta est in sermóne ejus, et cogitábat, qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei: Ne tímeas, María, invenísti enim grátiam apud Deum: ecce concípies in útero, et páries fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus: et regnábit in domo Jacob in ætérnum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem María ad Angelum: Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens Angelus, dixit ei: Spíritus sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. Ideóque et quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. Et ecce Elísabeth cognáta tua, et ipsa concépit fílium in senectúte sua: et hic mensis sextus est illi, quæ vocátur stérilis: quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum. Dixit autem María: Ecce ancílla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Gábriel An-

Digitized by Google

gelus stans a dextris altáris incénsi, ipse pro nobis óffe-rat oratiónem ad Dóminum, ut acceptábile sibi sit sacrifí-cium nostrum.

Secreta.

ANNUE nobis, miséricors Deus : ut intercedénte beáto Gabriéle Archángelo tuo, hóstias placatiónis et laudis sincéro tibi deferámus obséquio. Per Dóminum.

Communio. Ibid. Gábriel Angelus locútus est Maríæ, dicens : Ave grátia plena : Dóminus tecum, benedícta tu in muliéribus.

Postcommunio.

DA nobis, quæsumus, Dómine Deus noster : ut intercedénte beáto Gabriéle Archángelo tuo, quæ tua sunt júgiter exsequéntes, donis mereámur cœléstibus propinquáre. Per Dóminum.

DIE XXV. MARTII.

IN FESTO ANNUNTIATIONIS B. M. V.

Missa ut in Missali, hac die.

FER. VI. POST DOM. PASS.

IN FESTO SEPTEM DOLORUM B. M. V.

Missa ut in Missali, hac die.

FESTA APRILIS.

DIE II. APRILIS.

S. FRANCISCI DE PAULA, CONF.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE III. APRILIS.

S. BENEDICTI A S. PHILADELPHO, CONFESSORIS I. ORDINIS.

Missa Justus ut palma. de Comm. Conf. non Pont., præter sequent. Orationem.

Oratio.

DEUS, qui beátum Benedíctum Confessórem tuum cœléstibus donis locupletásti, eúmque in Ecclésia tua signis et virtútibus claré-re fecísti : præsta, quæsumus ; ut ejus méritis et précibus tua benefícia capiámus. Per Dóminum.

DIE IV. APRILIS.

S. ISIDORI, EPISC. CONF. ET ECCL. DOCT.

Missa In médio, de Comm. Doct. Et dicitur Credo.

DIE V. APRILIS.

S. VINCENTII FERRERII, CONF.

Missa Os justi, de Communi Conf. non Pont. cum Oratione propria ut in Missali, hac die.

DIE XI. APRILIS.

S. LEONIS I. PAPÆ, CONF. ET ECCL. DOCTORIS.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XIII. APRILIS.

S. HERMENEGILDI, MARTYRIS.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XIV. APRILIS.

S. JUSTINI PHILOSOPHI, MART.

Missa, cum comm. SS. Martyrum Tiburtii, et Soc. ut in Missali, hac die.

DIE XV. APRILIS.

B. LUCHESII, CONF. III. ORD.

Missa Justus ut palma, de Comm. Conf. non Pont., præter Orat. seqq.

Oratio.

DIVES in misericórdia Deus, qui beátum Luchésium ad pœniténtiam evocátum pietátis et misericór-

Digitized by Google

diæ méritis clarére voluísti : da nobis ejus intercessióne et exémplo dignos fácere pœniténtiæ fructus, et indulgéntiam tuam pietátis et caritátis opéribus promeréri. Per Dóminum.

In Quadrag. fit comm. Feriæ.

Secreta.

PER hujus sacrifícii méritum ímmola tibi, Deus, corda nostra eódem igne caritátis, quo beátus Luchésius incénsus se tibi totum consecrávit. Per Dóminum.

Postcommunio.

TU, Dómine, cujus gustávimus in hoc sacraménto delícias, sis pórtio nostra in terra vivéntium : ut cum beáto Luchésio Confessóre tuo ætérnæ misericórdiæ præmium assequámur. Per Dóminum.

DIE XVI. APRILIS.

S. BENEDICTI JOSEPHI LABRE, CONFESSORIS.

Introitus. *Jer.* 12. *Ps.* 85. *et* 26.

RELIQUI domum meam: dimísi hereditátem meam : inops et pauper ego sum : Dóminus autem assúmpsit me. Tempore Paschali. Allelúia, allelúia.

Ps. 41. Quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum, ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui Sanctum Benedíctum Joséphum Confessórem tuum humilitátis stúdio et paupertátis amóre tibi uni adhærére fecísti : da nobis, ejus suffragántibus méritis, terréna cuncta despícere, et cœléstia semper inquírere. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

1. Tim. 6.

CARISSIME : Est quæstus magnus píetas cum sufficiéntia. Nihil enim intúlimus in hunc mundum : haud dúbium, quod nec auférre quid póssumus. Habéntes autem aliménta, et quibus tegámur, his contenti simus. Nam qui volunt dívites fíeri, íncidunt in tentatiónem, et in láqueum diáboli, et desidéria multa inutília et nocíva, quæ mergunt hómines in intéritum, et perditiónem. Radix enim ómnium malórum est cupíditas : quam quidam appeténtes, erravérunt a fide, et inseruérunt se dolóribus multis. Tu autem, o homo Dei, hæc fuge : sectáre vero justítiam, pietátem, fidem, caritátem, patiéntiam, mansuetúdinem. Certa bonum certámen fídei, apprehénde vitam ætérnam.

Tempore Pasch. Allelúia, allelúia.

℣. Ps. 112. Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, et humília réspicit in cœlo et in terra? Allelúia.

℣. Ibid. Súscitans a terra ínopem, et de stércore érigens páuperem : ut cóllocet eum cum princípibus, cum princípibus pópuli sui. Allelúia.

Extra tempus Paschale.

Graduale. Ps. 39. Beátus vir, cujus est nomen Dómi-

Digitized by Google

ni spes ejus, et non respéxit in vanitátes,et insánias falsas.

℣. Ibid. Ego autem mendícus sum et pauper: Dóminus sollícitus est mei. Adjútor meus et protéctor meus tu es.

Allelúia, allelúia.

Ps. 38. Exáudi oratiónem meam, Dómine, et deprecatiónem meam : áuribus pércipe lácrymas meas : quóniam ádvena ego sum apud te, et peregrínus. Allelúia.

Post Septuag., omissis Allelúia, et versu sequenti, dicitur :

Tractus. 1. Joan. 2. Nolíte dilígere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Si quis díligit mundum, non est cáritas Patris in eo.

℣. Ibid. Omne quod est in mundo, concupiscéntia carnis est, et concupiscéntia oculórum, et supérbia vitæ.

℣. Ibid. Et mundus transit, et concupiscéntia ejus ; qui autem facit voluntátem Dei manet in ætérnum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. c. 16.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam : qui autem perdíderit ánimam suam propter me,invéniet eam. Quid enim prodest hómini, si mundum univérsum lucrétur, ánimæ vero suæ detriméntum patiátur ? Aut quam dabit homo commutatiónem pro ánima sua ? Fílius enim hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum Angelis suis: et tunc reddet unicuíque secúndum ópera ejus.

Offertorium. Hebr. 13. Non habémus hic manéntem civitátem, sed futúram inquírimus. Offerámus ergo hóstiam laudis semper Deo, fructum labiórum confiténtium nómini ejus. T. P. Allelúia.

Secreta.

Oblata múnera clementíssime Deus, propítius réspice ; et sancti Benedícti Joséphi Confessóris tui interveniénte suffrágio, in salútem nobis proveníre concéde. Per Dóminum.

Communio. Matth. 5. Beáti páuperes spíritu : quóniam ipsórum est regnum cœlórum. Beáti mundo corde : quóniam ipsi Deum vidébunt. T. P. Allelúia.

Postcommunio.

Sacris, Dómine, refécti munéribus, quæsumus ; ut sancti Benedícti Joséphi Confessóris tui virtútes imitémur, cujus póscimus méritis adjuvári. Per Dóminum nostrum.

DIE XXI. APRILIS.

S. ANSELMI, EPISC. CONF. ET ECCL. DOCT.

Missa In médio, de Comm. Doct. Et dicitur Credo.

DIE XXII. APRILIS.

SS. SOTERIS ET CAJI, PONT. ET MART.

Missa ut in Missali, hac die.

Digitized by Google

DIE XXIII. APRILIS.

B. ÆGIDII ASSISIENSIS, CONF. I. ORDINIS.

Missa **Justus ut palma,** de Comm. Conf. non Pont., præter Orat. seq.

Oratio.

Deus, qui beátum Ægídium Confessórem tuum ad excélsæ contemplatiónis vérticem sublimáre dignátus es: ipsíus intercessióne concéde; ut actiónibus nostris in te semper intenti, pacem quæ exsúperat omnem sensum, consequámur. Per Dóminum.

DIE XXIV. APRILIS.

S. FIDELIS A SIGMARINGA, MART. ORDINIS NOSTRI.

Missa ut in Missali, hac die. Et dicitur **Credo.**

DIE XXV. APRILIS.

S. MARCI, EVANGELISTÆ.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XXVI. APRILIS.

SS. CLETI ET MARCELLINI, PONT. ET MART.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XXVII. APRILIS.

S. GEORGII, MARTYRIS.

Missa ut in Missali, die 23 Aprilis.

DIE XXVIII. APRILIS.

S. PAULI A CRUCE, CONF.

Missa cum comm. S. Vitalis, Mart. ut in Missali, hac die.

DIE XXIX. APRILIS.

S. PETRI, MARTYRIS.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XXX. APRILIS.

S. CATHARINÆ SENENSIS, VIRG.

Missa **Dilexísti,** de Comm. Virg. cum Oratiónibus ut in Missali, hac die.

DOM. II. POST PASCHA.

B.M.V. DIVINI PASTORIS MATRIS.

Introitus.

Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre Beátæ Maríæ Vírginis Divíni Pastóris Matris, de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. T. P. **Allelúia, allelúia.**

Ps. 63. **Protexísti me, Deus, a convéntu malignántium, a multitúdine operántium iniquitátem.**

℣. **Glória Patri.**

Oratio.

Deus, qui univérsum mundum ineffábili providéntia regis atque gubérnas: præsta nobis fámulis tuis; ut intercedénte beáta María semper Vírgine, quæ vígili custódia nos pascit, ab hóstibus defénsi, et fructus tui dulcédine satiáti, ad cœléstem pátriam secúri perducámur. Per Dóminum.

Et fit comm. Dñicæ, cum ejus Evangelio in fine.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 24.

Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris: et flores mei, fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ, et virtútis. Transíte ad

Digitized by Google

me omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini : Spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum : memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient ; et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur : et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Temp. Pasch. **Allelúia, allelúia.**

℣. **Omnes nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinávit. Allelúia.**

℣. **Virgo gloriosíssima, divíni Pastóris Mater, réspice in nos, et dírige nos in viam rectam. Allelúia.**

Extra tempus Paschale.

Graduale. **Pasce hædos tuos juxta tabernácula pastórum.**

℣. Ps. **Omnes nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinávit.**

Allelúia, allelúia.

℣. **Virgo gloriosíssima, divíni Pastóris Mater, réspice in nos, et dírige nos in viam rectam. Allelúia.**

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. c. 19.

In illo témpore : Stabant juxta Crucem Jesu Mater ejus, et soror Matris ejus María Cléophe, et María Magdaléne. Cum vidísset ergo Jesus Matrem et discípulum stantem, quem diligébat, dicit Matri suæ : Múlier, ecce fílius tuus. Deínde dicit discípulo : Ecce Mater tua. Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua.

Et dicitur **Credo.**

Offertorium. **Si quis est párvulus, véniat ad me. Et insipiéntibus locúta est : Veníte, comédite panem meum, et bíbite vinum quod míscui vobis.**

Temp. Pasch. **Allelúia.**

Secreta.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut précibus beátæ Maríæ semper Vírginis, fidéles tui hóstiam salutárem Tibi fervéntius ófferant, et efféctum consequántur. Per Dóminum.

Præfatio. **Et Te in festivitáte.**

Communio. **Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me, et super iram inimicórum meórum exténdes manum tuam, et salvum me fáciet déxtera tua.**

Temp. Pasch. **Allelúia.**

Postcommunio.

Gratias tibi referímus, Dómine, sacro múnere vegetáti, tuam misericórdiam deprecántes, ut ab illécebris carnis, et mundánis oblectaméntis, sub custódia semper Vírginis Maríæ segregáti, cœléstia gáudia indesinénter appetámus. Per Dóminum.

DOM. III. POST PASCHA.

IN FESTO PATROCINII S. JOSEPH, SPONSI B. M. V.

Missa ut in Missali, hac die.

Digitized by Google

Et fit comm. Dñicæ, ejusque Evangelium legitur in fine.

¶Infra Octavam Patrocinii S. Joseph, dicitur Missa sicut in die Festi, et quando non fit comm. Festi simplicis, dicitur secunda Oratio de S. Maria, **Concéde nos,** tertia vero contra persecutores Ecclesiæ, vel pro Papa, ut ponuntur post Dñicam in Albis.

DOM. IV. POST PASCHA.

OCTAVA PATROCINII S. JOSEPH.

Missa ut in die festi, cum comm. Dñicæ, et ejus Evangelio in fine.

DOM. V. POST PASCHA.

IN FESTO DEDICAT. BASILICÆ PATRIARCHALIS ASSISIENSIS.

Missa **Terríbilis,** de Comm. Dedicationis Ecclesiæ. Dicitur **Credo.**

Et fit comm. Dñicæ, et legitur ejusdem Evangelium in fine.

FESTA MAJI.

—

DIE I. MAJI.

SS. PHILIPPI ET JACOBI, APOST.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE II. MAJI.

S. ATHANASII, EPISC., CONF. ET DOCTORIS.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE III. MAJI.

INVENTIONIS SS. CRUCIS.

Missa, cum comm., in Missis privatis, SS. Alexandri et Soc. ut in Missali, hac die.

DIE IV. MAJI.

S. MONICÆ, VIDUÆ.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE V. MAJI.

S. PII V. PAPÆ ET CONFESSORIS.

Missa **Státuit,** de Comm. Conf. Pont. cum Oratione propria ut in Missali, hac die.

DIE VI. MAJI.

S. JOANNIS ANTE PORTAM LATIN.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE VII. MAJI.

S. STANISLAI, EPISC. ET MART.

Missa ut notatur in Missali, hac die.

DIE VIII. MAJI.

IN FESTO APPARIT. S. MICHAELIS, ARCHANG.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE IX. MAJI.

S. GREGORII NAZIANZENI, EPISC. CONF. ET DOCT.

Missa **In médio,** de Comm. Doct. cum Epist. **Justus.** Et dicitur **Credo.**

DIE X. MAJI.

S. ANTONINI, EPISC. ET CONF.

Missa **Státuit,** de Comm. Conf. Pont. cum Oratione propria et comm. SS. Gordiani et Epimachi, Mart. ut in Missali, hac die.

DIE XI. MAJI.

B. BENEDICTI AB URBINO, CONF. ORD. NOSTRI.

Missa **Justus ut palma,** de Comm. Conf. non Pont., præter Orationes sequentes.

Digitized by Google

Oratio.

CONCEDE, quæsumus, omnípotens Deus : ut per crucis mortificatiónem, quam beátus Conféssor tuus Benedíctus, despéctis mundi delíciis, júgiter in suo córpore portávit, abnegántes sæculária desidéria, juste et pie in hoc sæculo vivámus. Per Dóminum.

Secreta.

SUSCIPE, Dómine, quæ offérimus múnera : et præsta ; ut beáti Benedícti Confessóris tui méritis et exémplis carnem cum vítiis et concupiscéntiis crucifigéntes, regnum cœlórum cónsequi mereámur. Per Dóminum.

Postcommunio.

SACRIS, Dómine, sumptis munéribus : tríbue, quæsumus ; ut intercedénte beáto Benedícto Confessóre tuo, abjiciéntes ópera tenebrárum, indúere valeámus Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit.

DIE XII. MAJI.

SS. NEREI, ACHILLEI, DOMITILLÆ, VIRG. ATQUE PANCRATII, MART.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XIII. MAJI.

S. PETRI REGALATI, CONF. I. ORD.

Missa **Os justi**, de Comm. Conf. non Pont. præter sequentem Orationem.

Oratio.

DEUS, qui diléctum fámulum tuum Petrum, carne mortificátum, ad delícias glóriæ tuæ assúmere dignátus es : concéde propítius ; ut ad delectatiónes, quæ in déxtera tua sunt usque in finem, méritis ejus et intercessióne pervenire valeámus. Per Dóminum.

Et dicitur **Credo**.

DIE XIV. MAJI.

S. BONIFACII, MART.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XVI. MAJI.

S. UBALDI, EPISC. ET CONF.

Missa **Státuit**, de Comm. Conf. Pont. cum Oratione propria ut in Missali, hac die.

DIE XVII. MAJI.

S. PASCHALIS BAYLON, CONF. I. ORDINIS.

Introitus. *Eccli.* 47.

IN omni ópere dedit confessiónem Sancto et excélso in verbo glóriæ : de omni corde suo laudávit Dóminum, et diléxit Deum, qui fecit illum. Tempore Paschali. Allelúia, allelúia.

Ps. 102. Bénedic, ánima mea, Dómino : et ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto ejus.

℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui beátum Paschálem Confessórem tuum mirífica erga Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria dilectióne decorásti : concéde propítius ; ut, quam ille ex hoc divíno convívio spíritus percépit pinguédinem, eámdem et nos percípere mereámur : Qui vivis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

1. Cor. 1.

FRATRES : Vidéte vocatiónem vestram, quia non multi sapiéntes secúndum

Digitized by Google

carnem, non multi poténtes, non multi nóbiles : sed quæ stulta sunt mundi, elégit Deus, ut confúndat sapiéntes : et infírma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia : et ignobília mundi, et contemptibília elégit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrúeret : ut non gloriétur omnis caro in conspéctu ejus. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapiéntia a Deo et justítia, et sanctificátio et redémptio : ut, quemádmodum scriptum est : Qui gloriátur, in Dómino gloriétur.

Tempore Paschali. Allelúia, allelúia.

℣. Osee 14. Justus germinábit sicut lílium : et florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúia.

℣. Eccli. 45. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum. Allelúia.

Extra tempus Paschale.

Graduale. Ps. 20. Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

℣. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum sæculi.

Allelúia, allelúia.

℣. Jac. 1. Beátus vir, qui suffert tentatiónem : quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. c. 11.

In illo témpore : Respóndens Jesus, dixit : Confíteor tibi, Pater, Dómine cœli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Ita Pater : quóniam sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo. Et nemo novit Fílium, nisi Pater : neque Patrem quis novit, nisi Fílius, et cui volúerit Fílius reveláre. Veníte ad me omnes, qui laborátis et oneráti estis, et ego refíciam vos. Tóllite jugum meum super vos, et díscite a me, quia mitis sum et húmilis corde : et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea et misericórdia mea cum ipso, et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Tempore Paschali. Allelúia.

Secreta.

Accepta sit tibi, Dómine, hæc hóstia placatiónis et laudis ; et præsta, ut, qui tuum júgiter implorámus auxílium, beáti Paschális intercessióne, quod fidéliter pétimus, efficáciter consequámur. Per Dóminum.

Communio. Matth. 11. Tóllite jugum meum super vos, et díscite a me, quia mitis sum et húmilis corde : et inveniétis réquiem animábus vestris.

Tempore Paschali Allelúia.

Postcommunio.

Córporis tui sacri et pretiósi Sánguinis repléti

Digitized by Google

libámine, quæsumus, Dómine Deus noster : ut intercedénte beáto Paschále Confessóre tuo, cœléstis beatitúdinis tríbuas nos esse consórtes : Qui vivis.

DIE XVIII. MAJI.

S. FELICIS A CANTALICIO, CONF. ORDINIS NOSTRI.

Introitus. 1. *Reg.* 2.

DOMINUS páuperem facit, et ditat : humíliat, et súblevat : súscitat de púlvere egénum, et de stércore élevat páuperem : ut sédeat cum princípibus, et sólium glóriæ téneat. Temp. Pasch. Allelúia, allelúia.

Ps. 68. Vídeant páuperes, et læténtur : quærite Deum, et vivet ánima vestra : quóniam exaudívit páuperes Dóminus.

℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui beátum Felícem Confessórem tuum evangélica simplicitáte, vitæque innocéntia in Ecclésia tua claréscere voluísti : fac nos ejus exémplis erudítos et suffrágiis adjútos, ad Christum Jesum, quem ipse in terris inter ulnas accépit, felíciter pervenire : Qui tecum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Colossénses. c. 3.

FRATRES : Indúite vos sicut elécti Dei, sancti et dilécti, víscera misericórdiæ, benignitátem, humilitátem ; modéstiam, patiéntiam. Supportántes ínvicem, et donántes vobismetípsis, si quis advérsus áliquem habet querélam : sicut et Dóminus donávit vobis, ita et vos. Super ómnia autem hæc, caritátem habéte, quod est vínculum perfectiónis : et pax Christi exsúltet in córdibus vestris, in qua et vocáti estis in uno córpore : et grati estóte. Verbum Christi hábitet in vobis abundánter, in omni sapiéntia docéntes et commonéntes vosmetípsos psalmis, hymnis et cánticis spirituálibus, in grátia cantántes in córdibus vestris Deo. Omne quodcúmque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Jesu Christi, grátias agéntes Deo et Patri per ipsum.

Temp. Pasch. Allelúia, allelúia.

℣. Ps. 26. Unam pétii a Dómino, hanc requíram, ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ : ut vídeam voluptátem Dómini. Allelúia.

℣. Ps. 67. Parásti in dulcédine tua páuperi, Deus. Allelúia.

Extra tempus Paschale.

Graduale. Ps. 17. Misit de summo, et accépit me : et assúmpsit me de aquis multis.

℣. Et retríbuet mihi Dóminus secúndum justítiam meam : et secúndum puritátem mánuum meárum in conspéctu oculórum ejus.

Allelúia, allelúia.

℣. Ps. 30. Benedíctus Dóminus, quóniam mirificávit misericórdiam suam mihi in civitáte munita. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. c. 11.

IN illo témpore : Respóndens Jesus, dixit : Confí-

Digitized by Google

teor tibi, Pater, Dómine cœli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Ita Pater: quóniam sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi tráditа sunt a Patre meo. Et nemo novit Fílium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Fílius, et cui volúerit Fílius reveláre. Veníte ad me omnes, qui laborátis et oneráti estis, et ego refíciam vos. Tóllite jugum meum super vos, et díscite a me, quia mitis sum et húmilis corde: et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Sap. 10. Honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. Temp. Pasch. Allelúia.

Secreta.

HÆSTO votis nostris, clementíssime Deus: ut hæc oblátio salutáris, quæ in honórem beáti Felícis persólvitur, ad delictórum nostrórum véniam impetrándam in odórem suavitátis ascéndat. Per Dóminum.

Communio. Cant. 2. et 3. Diléctus meus mihi, et ego illi: ténui eum, nec dimíttam.

Tempore Paschali. Allelúia.

Postcommunio.

EXUBERET, quæsumus, Dómine, in córdibus nostris percépti grátia sacraménti: quæ nos beáti Felícis Confessóris tui imitatióne purificet, atque intercessióne commúniat. Per Dóminum.

DIE XIX. MAJI.

S. PETRI CŒLESTINI, PAPÆ ET CONFESSORIS.

Missa, cum comm. S. Pudentianæ Virg. ut in Missali, hac die.

DIE XX. MAJI.

S. BERNARDINI SENENSIS, CONF. I. ORDINIS.

Introitus *Ps.* 36.

OS justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus.

Temp. Pasch. Allelúia, allelúia.

Ps. 32. Exsultáte justi in Dómino: rectos decet collaudátio.

℣. Glória Patri.

Oratio.

DOMINE Jesu, qui beáto Bernardíno Confessóri tuo exímium sancti nóminis tui amórem tribuísti: ejus, quæsumus, méritis et intercessióne spíritum nobis tuæ dilectiónis benígnus infúnde: Qui vivis.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccl. 45.

DILECTUS Deo et homínibus, cujus memória in benedictióne est. Símilem illum fecit in glória Sanctórum, et magnificávit eum in timóre inimicórum, et in verbis suis monstra placávit. Glorificávit illum in conspéctu regum, et jussit illi coram pópulo suo, et osténdit illi glóriam suam. In fide et lenitáte ipsíus sanctum fecit illum, et elégit eum ex omni carne. Audívit enim eum, et vocem ipsíus, et indúxit illum in nubem. Et dedit illi co-

Digitized by Google

ram præcépta, et legem vitæ et disciplínæ.

Temp. Pasch. **Allelúia, allelúia.**

℣. Osee 14. **Justus germinábit sicut lílium : et florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúia.**

℣. Jac. 1. **Beátus vir, qui suffert tentatiónem : quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúia.**

Extra tempus Paschale.

Graduale. Ps. 36. **Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium.**

℣. **Lex Dei ejus in corde ipsíus : et non supplantabúntur gressus ejus.**

Allelúia, allelúia.

℣. Osee 14. **Justus germinábit sicut lílium : et florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúia.**

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. c. 19.

In illo témpore : Dixit Petrus ad Jesum : Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te : quid ergo erit nobis ? Jesus autem dixit illis : Amen dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israel. Et omnis, qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit.

Et dicitur **Credo.**

Offertorium. Ps. 20. **In virtúte tua, Dómine, lætábitur justus, et super salutáre tuum exsultábit veheménter : desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.**

Tempore Paschali **Allelúia.**

Secreta.

Præsta nobis, quæsumus, omnípotens Deus : ut nostræ humilitátis oblátio et pro tuórum tibi grata sit honóre Sanctórum, et nos córpore páriter et mente purífícet. Per Dóminum.

Communio. Matth. 19. **Amen dico vobis, quod vos, qui reliquístis ómnia, et secúti estis me, céntuplum accipiétis, et vitam ætérnam possidébitis.**

Temp. Pasch. **Allelúia.**

Postcommunio.

Quæsumus, omnípotens Deus : ut, qui cœléstia aliménta percépimus, intercedénte beáto Bernardíno Confessóre tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

DIE XXI. MAJI.

S. VENANTII, MARTYRIS.

Missa ut in Missali, die 18. Maji.

DIE XXII. MAJI.

S. JOANNIS NEPOMUCENI, MART.

Temp. Paschali, Missa **Protexísti,** ut in Comm. unius Mart., cum Orationibus ut infra, et Evangelio **Nihil est opértum,** ex Missa **Lætábitur.**

Extra tempus Pasch. Missa **Lætábitur,** de eodem Comm.

Digitized by Google

secundo loco, præter Orationes sequentes.

Oratio.

DEUS, qui ob invíctum beáti Joánnis sacramentále siléntium nova Ecclésiam tuam martyrii coróna decorásti : da nobis ejus intercessióne et exémplo linguam caute custodíre, ac ómnia pótius mala, quam ánimæ detriméntum, in hoc sæculo toleráre. Per Dóminum.

Secreta.

PER hæc tua, Dómine, sacra mystéria illo nos caritátis igne accendámur, quo ínclytus Martyr Joánnes éadem peragéndo flagrábat. Per Dóminum.

Postcommunio.

SPIRITUM, Dómine, fortitúdinis hæc nobis tríbuat mensa cœléstis : quæ beáti Mártyris tui Joánnis pro sacraménti honóre tentátam constántiam júgiter áluit ad victóriam. Per Dóminum.

DIE XXIII. MAJI.

B. CRISPINI A VITERBIO, CONF. ORD. NOSTRI.

Missa **Justus ut palma**, de Communi Conf. non Pontificis, præter Orationes sequentes.

Oratio.

DEUS, qui beátum Crispínum Confessórem tuum, in lætítia tibi serviéntem, ad virtútis ápicem perduxísti : da quæsumus ; ut ejus intercessióne et exémplo vias vitæ sectántes in terris, torrénte voluptátis tuæ pérfrui mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Secreta.

DA nobis, quæsumus, Dómine : ut beáti Crispíni Confessóris tui exémplo in simplicitáte cordis nostri tibi offeréntes univérsa, ætérna, cum ipso gáudia lætántes assequámur. Per Dóminum.

Postcommunio.

LÆTIFICA, quæsumus, Dómine, ánimas servórum tuórum : et quos aliméntis cœléstibus satiásti, ad delectatiónes, quæ in déxtera tua sunt, beáti Crispíni précibus pervenire concéde. Per Dóminum.

DIE XXIV. MAJI.

B. MARIÆ V. TITULO AUXILIUM CHRISTIANORUM.

Introitus. *Sedulius.*

SALVE sancta parens, enixa puérpera Regem : qui cœlum terrámque regit in sæcula sæculórum.

Temp. Pasch. **Allelúia, allelúia.**

Ps. 44. **Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea regi.**

℣. Glória Patri.

Oratio.

OMNIPOTENS et miséricors Deus, qui ad defensiónem pópuli christiáni in beatíssima Vírgine María perpétuum auxílium mirabíliter constituísti : concéde propítius ; ut tali præsídio muníti, certántes in vita, victóriam de hoste malígno cónsequi valeámus in morte. Per Dñum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccl. 24.

AB inítio, et ante sæcula creáta sum, et usque

Digitized by Google

ad futúrum sæculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi. Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

Temp. Pasch. **Allelúia, allelúia.**

℣. Num. 17. Virga Jesse flóruit : Virgo Deum et hóminem génuit : pacem Deus réddidit, in se reconcílians ima summis. Allelúia.

℣. Luc. 1. Ave María, grátia plena : Dóminus tecum : benedícta tu in muliéribus. Allelúia.

Extra tempus Paschale.

Graduale. Benedícta et venerábilis es, Virgo María : quæ sine tactu pudóris, invénta es mater Salvatóris.

℣. Virgo Dei génitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit víscera, factus homo.

Allelúia, allelúia.

℣. Post partum, Virgo, invioláta permansísti : Dei génitrix, intercéde pro nobis. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 11.

In illo témpore : Loquénte Jesu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba, dixit illi : Beátus venter, qui te portávit, et úbera, quæ suxísti. At ille dixit : Quinímo beáti, qui áudiunt verbum Dei, et custódiunt illud.

Et dicitur **Credo.**

Offertorium. Ave María, grátia plena : Dóminus tecum : benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. Temp. Pasch. **Allelúia.**

Secreta.

Pro religiónis christiánæ triúmpho hóstias placatiónis tibi, Dómine, immolámus : quæ ut nobis profíciant, opem auxiliátrix Virgo præstet, per quam talis perfécta est victória. Per Dóminum.

Præfatio de B. Maria. **Et te in Festivitáte.**

Communio. Beáta víscera Maríæ Vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium. Temp. Pasch. **Allelúia.**

Postcommunio.

Hæsto, Dómine, pópulis, qui participatióne Córporis et Sánguinis tui refíciúntur : ut sanctíssima tua Genitríce auxiliánte, ab omni malo et perículo liberéntur, et in omni ópere bono custodiántur : Qui vivis.

DIE XXV. MAJI.

TRANSLAT. S. P. N. FRANCISCI, CONFESSORIS.

Introitus. *Gal.* 6.

Mihi autem absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo.

Temp. Pasch. **Allelúia, allelúia.**

Ps. 141. Voce mea ad Dóminum clamávi : voce mea ad Dóminum deprecátus sum.

℣. **Glória Patri.**

Digitized by Google

Oratio.

DEUS, qui translatiónem beáti Patris nostri Francísci gloriósis miráculis decorásti : præsta, quæsumus ; ut ejus méritis et imitatióne mundo commórtui, ad vitam cum ipso resúrgere mereámur ætérnam. Per Dóminum.

Pro comm. S. Urbani Papæ et Martyris.

Oratio.

DA, quæsumus, omnípotens Deus : ut, qui beáti Urbáni, Mártyris tui atque Pontíficis, solémnia cólimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas. c. 6.

FRATRES : Mihi autem absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo. In Christo enim Jesu neque circumcísio áliquid valet, neque præpútium, sed nova creatúra. Et quicúmque hanc régulam secúti fúerint, pax super illos, et misericórdia, et super Israel Dei. De cétero nemo mihi moléstus sit : ego enim stígmata Dómini Jesu in córpore meo porto. Grátia Dómini nostri Jesu Christi cum spíritu vestro, fratres. Amen.

Temp. Pasch. **Allelúia, allelúia.**

℣. **Francíscus pauper et húmilis, cœlum dives ingréditur, hymnis cœléstibus honorátur. Allelúia.**

℣. Ps. 15. **Notas mihi fecísti vias vitæ, adimplébis me lætítia cum vultu tuo : delectatiónes in déxtera tua usque in finem. Allelúia.**

Extra tempus Paschale.

Graduale. Ps. 72. **Quid mihi est in cœlo, et a te quid vólui super terram ?**

℣. **Defécit caro mea et cor meum : Deus cordis mei, et pars mea Deus in ætérnum.**

Allelúia, allelúia.

℣. **Francíscus pauper et húmilis, cœlum dives ingréditur, hymnis cœléstibus honorátur. Allelúia.**

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. c. 11.

IN illo témpore : Respóndens Jesus, dixit : Confíteor tibi, Pater, Dómine cœli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Ita Pater : quóniam sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo. Et nemo novit Fílium, nisi Pater ; neque Patrem quis novit, nisi Fílius, et cui volúerit Fílius reveláre. Veníte ad me omnes, qui laborátis et oneráti estis, et ego refíciam vos. Tóllite jugum meum super vos, et díscite a me, quia mitis sum et húmilis corde : et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve.

Et dicitur **Credo.**

Offertorium. Ps. 72. **Mihi autem adhærére Deo bonum est : pónere in Dómino Deo spem meam.**

Tempore Paschali **Allelúia.**

Secreta.

TUA, Dómine, munéribus altária cumulámus, il-

Digitized by Google

líus córporis translatiónem honóre débito recoléntes, in quo, prærogatíva mirábili, passiónis tuæ sacra stígmata renovásti : Qui vivis.

Pro S. Urbano, Secreta.

HÆC hóstia, Dómine, quæsumus, emúndet nostra delícta : et ad sacrifícium celebrándum, subditórum tibi córpora mentésque sanctífícet. Per Dóminum.

Præfatio. Qui venerándum Confessórem, ut infra die 4 Octobris.

Communio. Luc. 12. Fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam : ut det illis in témpore trítici mensúram.

Tempore Paschali. Allelúia.

Postcommunio.

CŒLESTIBUS, Dómine, refécti mystériis, te supplíciter exorámus : ut qui beáti Patris nostri Francísci translatiónem cólimus ad ætérna gáudia transferámur. Per Dóminum.

Pro S. Urbano.
Postcommunio.

REFECTI participatióne múneris sacri, quæsumus, Dómine Deus noster : ut, cujus exséquimur cultum intercedénte beáto Urbáno, Mártyre tuo atque Pontífice, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

DIE XXVI. MAJI.

S. PHILIPPI NERII, CONF.

Missa, cum comm. S. Eleutherii, Papæ et Mart. ut in Missali, hac die.

DIE XXVII. MAJI.

S. GREGORII VII. PAPÆ ET CONF.

Missa ut in Missali, die 25 Maji. Et fit comm. S. Joannis Papæ et Mart. ut ibidem, hac die.

DIE XXVIII. MAJI.

S. MARIÆ MAGDALENÆ DE PAZZIS, VIRGINIS.

Missa Dilexísti de Comm. Virg. cum Oratione propria, ut in Missali, die 27 Maji.

DIE XXIX. MAJI.

B. HUMILIANÆ, VIDUÆ, III. ORD.

Missa Cognóvi, de Comm. nec Virg. nec Mart. præter Orationem sequentem.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, dulcédo córdium et præmium Beatórum, qui beátam Humiliánam, tuo amóre succénsam, suavíssima contemplatiónis dulcédine replevísti : concéde propítius; ut ejus méritis et imitatióne tibi júgiter adhæréntes, tuæ celsitúdinis spéciem contemplári perpétuo mereámur. Per Dóminum.

DIE XXX. MAJI.

S. FERDINANDI REGIS, CONF. III. ORDINIS.

Missa Justus ut palma, de Comm. Conf. non Pont. præter Orationes sequentes.

Oratio.

DEUS, qui beáto Confessóri tuo Ferdinándo præliári prælia tua, et fídei inimícos superáre dedísti : concéde : ut ejus nos intercessióne muníti, ab hóstibus mentis et córporis liberémur. Per Dóminum.

Digitized by Google

Et fit com. S. Felicis, Papæ et Mart.

Oratio.

INFIRMITATEM nostram réspice, omnípotens Deus: et quia pondus própriæ actiónis gravat beáti Felícis, Mártyris tui atque Pontíficis, intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Pro S. Felice, Secreta.

HOSTIAS tibi, Dómine, beáti Felícis, Mártyris tui atque Pontíficis, dicátas méritis, benígnus assúme: et ad perpétuum nobis tríbue provenire subsídium. Per Dóminum.

Pro S. Felice. Postcommunio.

REFECTI participatióne múneris sacri, quæsumus, Dómine Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Felíce, Mártyre tuo atque Pontífice, sentiámus effectum. Per Dóminum.

DIE XXXI. MAJI.

B. FELICIS A NICOSIA, CONF. ORD. CAPUCC.

Missa Os justi, de Comm. Conf. non Pont. j. loco præter Orationes.

Oratio.

DOMINE Deus, qui beátum Felícem Confessórem tuum in simplicitáte et humilitáte tibi servíre, ac mirábiles in corde suo ascensiónes dispónere docuísti: concéde propítius; ut ipsíus exémpla sectántes in terris, ejúsdem glóriæ partícipes efficiámur in cœlis. Per Dóminum.

Et fit comm. S. Petronillæ, Virg. ut notatur in Missali hac die.

Secreta.

AD cœléste sacraméntum fac nos, quæsumus Dómine, ea caritáte fervéntes accédere, qua beáti Felícis cor illud percipiéndo flagrábat. Per Dóminum.

Postcommunio.

DA, quæsumus Dómine, famíliæ tuæ, quam in festivitáte beáti Felícis Córporis et Sánguinis Fílii tui sacraménto refecísti: ut in bonis semper opéribus augeátur, et ad cœléstia præmia capiénda tuæ grátiæ múnere præparétur. Per eúmdem.

FER. VI. POST OCT. SS. CORP. CHRISTI.

IN FESTO SS. CORDIS JESU.

Introitus. *Cant.* 3.

EGREDIMINI et vidéte, fíliæ Sion, regem Salomónem in diadémate, quo coronávit eum mater sua in die desponsatiónis ejus, et in die lætítiæ cordis ejus.

Ps. 44. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi.

℣. Glória Patri.

Oratio.

HAC nos, Dómine Jesu, sanctíssimi Cordis tui virtútibus índui, et affléctibus inflammári: ut et imágini bonitátis tuæ confórmes, et tuæ redemptiónis mereámur esse partícipes: Qui vivis et regnas.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. c. 3.

FRATRES: Mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc, in géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, et illumináre

omnes, quæ sit dispensátio sacraménti abscónditi a sæculis in Deo, qui ómnia creávit. Hujus rei grátia flecto génua mea ad Patrem Dómini nostri Jesu Christi, ex quo omnis patérnitas in cœlis et in terra nominátur, ut det vobis secúndum divítias glóriæ suæ, virtúte corrobári per Spíritum ejus in interiórem hóminem : Christum habitáre per fidem in córdibus vestris : et caritáte radicáti et fundáti, ut possítis comprehéndere cum ómnibus sanctis, quæ sit latitúdo et longitúdo, et sublímitas et profúndum : scire étiam supereminéntem sciéntiæ caritátem Christi, ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei.

Graduale. Matth. 21. Dícite fíliæ Sion : Ecce rex tuus venit tibi mansuétus.

℣. Isai. 42. Non erit tristis, neque turbuléntus : non clamábit, nec audiétur vox ejus foris.

Allelúia, allelúia.

℣. Matth. 11. Díscite a me, quia mitis sum et húmilis corde : et inveniétis réquiem animábus vestris. Allelúia.

In Missis votivis post Septuag.

Graduale. Ps. 68. Impropérium exspectávit cor meum, et miséria : et sustínui, qui simul contristarétur, et non fuit : et qui consolarétur, et non invéni.

Tractus. Ps. 21. Ego autem sum vermis, et non homo : oppróbrium hóminum, et abjéctio plebis.

℣. Omnes vidéntes me, derisérunt me : locúti sunt lábiis, et movérunt caput.

℣. Sicut aqua efflúsus sum, et dispérsa sunt ómnia ossa mea : factum est cor meum tamquam cera liquéscens in médio ventris mei.

Temp. Pasch. Allelúia, allelúia.

℣. Ps. 29. Dómine Deus meus, clamávi ad te, et sanásti me : eduxísti ab inférno ánimam meam. Allelúia.

℣. Convertísti planctum meum in gáudium mihi : conscidísti saccum meum, et circumdedísti me lætítia. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. c. 15.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. Manéte in dilectióne mea. Si præcépta mea servavéritis, manébitis in dilectióne mea, sicut et ego Patris mei præcépta servávi, et máneo in ejus dilectióne. Hæc locútus sum vobis, ut gáudium meum in vobis sit, et gáudium vestrum impleátur. Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos. Majórem hac dilectiónem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis. Vos amíci mei estis, si fecéritis, quæ ego præcípio vobis. Jam non dicam vos servos : quia servus nescit, quid fáciat dóminus ejus. Vos autem dixi amícos : quia ómnia quæcúmque audívi a Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegístis, sed ego elégi vos, et pósui vos, ut eátis, et fructum

Digitized by Google

afferátis, et fructus vester máneat: ut quodcúmque petiéritis Patrem in nómine meo, det vobis.

Et dicitur **Credo.**

Offertorium. 1. Paralip. 29.

Dómine Deus, in simplicitáte cordis mei lætus óbtuli univérsa: et pópulum tuum vidi cum ingénti gáudio tibi offérre donária: Deus Israël, custódi hanc voluntátem cordis eórum, allelúia.

Secreta.

Illo nos igne, quæsumus, Dómine, Spíritus sanctus inflámmet, quem Dóminus noster Jesus Christus e penetrálibus Cordis sui misit in terram, et vóluit veheménter accéndi: Qui tecum vivit et regnat in unitáte ejúsdem Spíritus sancti Deus.

Præfatio de Nativitate Domini. Et sic dicitur etiam in Missis votivis a Dñica Trinitatis usque ad Septuag. A Septuag. vero usque ad Pentecosten, Præfatio de Cruce.

Communio. Ps. 33. **Gustáte et vidéte, quóniam suávis est Dóminus: in ætérnum misericórdia ejus, allelúia.**

Postcommunio.

Præbeant nobis, Dómine Jesu, divínum tua sancta fervórem: quo dulcíssimi Cordis tui suavitáte percépta, discámus terréna despícere, et amáre cœléstia: Qui vivis et regnas.

DOM. III. POST PENTEC.

PURISSIMI CORDIS B. M. V.

Introitus. *Ps.* 44.

Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus, in fímbriis áureis circumamícta varietátibus: adducéntur regi vírgines post eam, próximæ ejus afferéntur tibi.

Ps. Ibid. **Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi.**

℣. **Glória Patri.**

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui in Corde beátæ Maríæ Vírginis dignum Spíritus sancti habitáculum præparásti: concéde propítius; ut ejúsdem puríssimi Cordis festivitátem devóta mente recoléntes secúndum Cor tuum vívere valeámus. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

Et fit comm. Dñicæ occurrentis.

Lectio libri Sapiéntiæ. Cant. 8.

Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum: quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio: lámpades ejus lámpades ignis atque flammárum. Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam: si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam.

Graduale. Sap. 7. **Nihil inquinátum in eam incúrrit: candor est lucis ætérnæ, et spéculum sine mácula Dei majestátis, et imágo bonitátis illíus.**

℣. Cant. 6. **Ego dilécto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília.**

Allelúia, allelúia.

℣. Luc. 1. **Magníficat ánima mea Dóminum: et exsul-**

Digitized by Google

távit spíritus meus in Deo salutári meo. Allelúia.

In Missis votivis a Septuag. usque ad Pascha, omissis Allelúia, et versu sequenti, dicitur:

Tractus. Luc. 1. Magníficat ánima mea Dóminum.

℣. Et exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo.

℣. Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ: ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

Temp. Pasch. Allelúia, allelúia.

℣. Sap. 7. Nihil inquinátum in eam incúrrit: candor est lucis ætérnæ, et spéculum sine mácula Dei majestátis, et imágo bonitátis illíus. Allelúia.

℣. Cant. 6. Ego dilécto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 2.

In illo témpore: Dixit mater Jesu ad illum: Fili, quid fecísti nobis sic? ecce pater tuus et ego doléntes quærebámus te. Et ait ad illos: Quid est quod me quærebátis? nesciebátis, quia in his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse? Et ipsi non intellexérunt verbum, quod locútus est ad eos. Et descéndit cum eis, et venit Názareth: et erat súbditus illis. Et mater ejus conservábat ómnia verba hæc in corde suo.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Judith 15. Quia fecísti víriliter, et confortátum est cor tuum, ídeo et manus Dómini confortávit te, et eris benedícta in ætérnum.

Secreta.

Majestati tuæ, Dómine, Agnum immaculátum offeréntes, quæsumus, ut corda nostra ignis ille divínus accéndat, qui Cor beátæ Maríæ Vírginis ineffabíliter inflammávit. Per eúmdem Dóminum.

Alia Secreta Dominicæ.

Præfatio de B. Maria, Et te in Festivitáte.

Communio. Cantic. 2. Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi: et fructus ejus dulcis gútturi meo.

Postcommunio.

Divinis refécti munéribus te, Dómine, supplíciter exorámus: ut beátæ Maríæ Vírginis intercessióne, cujus Puríssimi Cordis solémnia venerándo égimus, a præséntibus perículis liberáti, ætérnæ vitæ gáudia consequámur. Per Dóminum.

Alia Postcommunio Dominicæ.

In fine legitur Evang. ejusdem Dominicæ.

FESTA JUNII.

DIE I. JUNII.

B. JOANNIS DE PRADO, MART. I. ORDINIS.

Tempore Paschali, Missa Protexísti, de Comm. unius Mart. præter Orationes sequentes.

Extra tempus Pasch. Missa In virtúte, de Comm. unius Mart. non Pont. præter Orationes sequentes, et Evang. Si quis vult, ex Missa Sacer-

Digitized by Google

dótes Dei, de Comm. unius Mart. Pont.

Oratio.

DEUS, cui contra Mahumé-ticam pravitátem beátum Joánnem verbi tui præcónem exímium effecísti: concéde; ut, sicut ipse pro tuæ fídei dilatatióne martyrii palmam méruit obtinére, sic nos, ejus intercessióne, fídei nostræ præmia cónsequi mereámur. Per Dóminum.

Secreta.

MUNERIBUS nostris, quæsumus, Dómine, precibúsque suscéptis: et cœléstibus nos munda mystériis, et cleménter exáudi. Per Dóminum.

Postcommunio.

DA, quæsumus, Dómine Deus noster: ut, sicut tuórum commemoratióne Sanctórum, temporáli gratulámur offício; ita perpétuo lætémur adspéctu. Per Dóminum.

DIE II. JUNII.

S. AUGUSTINI, CANTUARIENSIS EPISC. ET CONF.

Missa ut in Missali, die 28 Maji.

Et fit com. SS. Marcellini et Soc. Mart. ut in eodem Missali, hac die.

DIE III. JUNII.

B. ANDREÆ DE HISPELLO, CONF. I. ORDINIS.

Missa **Justus ut palma**, de Comm. Conf. non Pontificis, præter Orationem sequentem.

Oratio.

CLEMENTISSIME Deus, qui beáti Andréæ Confessóris tui méritis et intercessióne áeris serenitátem, et plúviam poscéntibus tribuísti congruéntem: mentes nostras imbre tuæ grátiæ perfúnde; ut sórdibus peccatórum abstérsis, perpétua vultus tui hilaritáte pérfrui mereámur. Per Dóminum.

DIE IV. JUNII.

S. FRANCISCI CARACCIOLO, CONFESSORIS.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE V. JUNII.

S. BONIFACII, EPISC. ET MART.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE VI. JUNII.

S. NORBERTI, EPISC. ET CONF.

Missa **Státuit**, de Communi Conf. Pont., cum Oratione propria ut in Missali, hac die.

DIE VII. JUNII.

S. ANGELÆ MERICI, VIRG.

Missa **Dilexísti**, de Comm. Virg., cum Orationibus propriis, ut in Miss. die 31 Maji.

DIE IX. JUNII.

SS. PRIMI ET FELICIANI, MART.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE X. JUNII.

S. MARGARITÆ, SCOTIÆ REG. VIDUÆ.

Missa **Cognóvi**, de Comm. cum Oratione propria ut in Missali, hac die.

DIE XI. JUNII.

S. BARNABÆ, APOSTOLI.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XII. JUNII.

B. GUIDI DE CORTONA, CONF. I. ORDINIS.

Missa **Os justi**, de Commu-

Digitized by Google

ni Conf. non Pont., cum Evang. **Nolíte timére,** ex Missa **Justus ut palma,** de eodem Communi. Et fit comm. SS. Basilidis et Soc. Mart., ut in Missali, hac die.

DIE XIII. JUNII.

S. ANTONII DE PADUA, CONF. I. ORDINIS.

Introitus. *Eccli.* 15.

In médio ecclésiæ apéruit os ejus: et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus : stolam glóriæ índuit eum.

Ps. 91. **Bonum est confitéri Dómino : et psállere nómini tuo, Altíssime.**

℣. **Glória Patri.**

Oratio.

Ecclesiam tuam, Deus, beáti Antónii Confessóris tui solémnitas votíva lætíficet : ut spirituálibus semper muniátur auxíliis, et gáudiis pérfrui mereátur ætérnis. Per Dóminum.

¶ In Officio votivo per annum, et in Missis votivis, ubi dicitur : **solémnitas votíva,** ejus loco dicatur : **commemorátio votíva.**

Léctio libri Sapiéntiæ.

Sap. 7.

Optavi, et datus est mihi sensus : et invocávi, et venit in me spíritus sapiéntiæ : et præpósui illam regnis et sédibus, et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus : nec comparávi illi lápidem pretiósum: quóniam omne aurum in comparatióne illíus aréna est exígua, et tamquam lutum æstimábitur argéntum in conspéctu illíus. Super salútem et spéciem dilexi illam, et propósui pro luce habére illam : quóniam inexstinguíbile est lumen illíus. Venérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa, et innumerábilis honéstas per manus illíus : et lætátus sum in ómnibus, quóniam antecedébat me ista sapiéntia, et ignorábam, quóniam horum ómnium mater est. Quam sine fictióne dídici, et sine invídia commúnico, et honestátem illíus non abscóndo. Infinítus enim thesáurus est homínibus; quo qui usi sunt, partícipes facti sunt amicítiæ Dei, propter disciplínæ dona commendáti. Mihi autem dedit Deus dícere ex sententia, et præsúmere digna horum, quæ mihi dantur : quóniam ipse sapiéntiæ dux est, et sapiéntium emendátor.

Graduale. Ps. 36. **Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium.**

℣. **Lex Dei ejus in corde ipsíus : et non supplantabúntur gressus ejus.**

Allelúia, allelúia.

℣. Prov. 10. **Argéntum eléctum lingua justi, et lábia illíus erúdiunt plúrimos. Allelúia.**

Post Septuag., omissis **Allelúia,** et Versu sequenti, dicitur :

Tractus. Ps. 111. **Beátus vir, qui timet Dóminum : in mandátis ejus cupit nimis.**

℣. **Potens in terra erit semen ejus : generátio rectórum benedicétur.**

℣. **Glória et divítiæ in domo ejus et justítia ejus manet in sæculum sæculi.**

Digitized by Google

Temp. Pasch. **Allelúia, allelúia.**

℣. Prov. 10. **Argéntum eléctum lingua justi, et lábia illíus erúdiunt plúrimos. Allelúia.**

℣. Osee 14. **Justus germinábit sicut lílium : et florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúia.**

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. c. 5.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur ? ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras, et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscóndi supra montem pósita. Neque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, et glorífícent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Nolíte putáre, quóniam veni sólvere legem aut prophétas : non veni sólvere, sed adimplére. Amen quippe dico vobis, donec tránseat cœlum et terra, jóta unum, aut unus apex non præterfíbit a lege, donec ómnia fiant. Qui ergo sólverit unum de mandátis istis mínimis, et docúerit sic hómines, mínimus vocábitur in regno cœlórum, qui autem fécerit et docúerit, hic magnus vocábitur in regno cœlórum.

Et dicitur **Credo.**

Et dicitur per Octavam, etiam in Festis infra eam occurrentibus.

Offertorium. Ps. 88. **Véritas mea et misericórdia mea cum ipso; et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.**

Secreta.

Præsens oblátio fiat, Dómine, pópulo tuo salutáris : pro quo dignátus es Patri tuo te vivéntem hóstiam immoláre : Qui cum eódem Deo Patre et Spíritu sancto vivis et regnas Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

Communio. Matth. 25. **Dómine, quinque talénta tradidísti mihi : ecceália quinque superlucrátus sum. Euge serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam : intra in gáudium Dómini tui.**

Postcommunio.

Divinis, Dómine, munéribus satiáti, quæsumus : ut beáti Antónii Confessóris tui méritis gloriósis, salutáris víctimæ desiderátum sentiámus efféctum. Per Dóminum.

¶ Infra Octavam S. Antonii, dicitur Missa sicut in die Festi : et quando non fit comm. Festi simplicis, dicitur secunda Oratio de S. Maria, **Concéde nos,** tertia contra persecutores Ecclesiæ, vel pro Papa, ut ponuntur post Dom. in Albis.

DIE XIV. JUNII.

S. BASILII, EPISC. CONF. ET DOCT.

Missa ut in Missali, hac die. Et fit comm. Octavæ S. Antonii.

DIE XV. JUNII.

S. JOANNIS A S. FACUNDO, CONF.

Missa **Os justi,** de Comm. Conf. non Pont., cum Ora-

Digitized by Google

tione propria ut in Missali, die 12 Junii. Et fit comm. Octavæ S. Antonii, ut supra, et postea SS. Viti et Soc. Mart., ut in Missali, hac die. Dicitur **Credo.**

DIEBUS XVI. XVII. ET XVIII. JUNII.

DE DIE INFRA OCT. S. ANTONII.

Missa ut notatur supra.

DIE XVIII. JUNII.

COM. SS. MARCI ET MARCELLIANI, MARTYRUM.

Ut in Missali, hac die.

DIE XIX. JUNII.

S. JULIANÆ DE FALCONERIIS, VIRGINIS.

Missa **Dilexísti,** de Comm. Virg., cum Oratione propria ut in Missali, hac die.

Et fit comm. Octavæ S. Antonii, ac SS. Gervasii et Protasii Mart. ut in Missali. Dicitur **Credo.**

DIE XX. JUNII.

IN OCTAVA S. ANTONII, CONF.

Missa ut supra in die Festi, cum comm. S. Silverii Papæ et Mart., ut in Missali, hac die. Dicitur **Credo.**

DIE XXI. JUNII.

S. ALOYSII GONZAGÆ, CONF.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XXII. JUNII.

S. PAULINI, EPISC. ET CONF.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XXIII. JUNII.

VIGILIA S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XXIV. JUNII.

NATIVIT. S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XXV. JUNII.

S. GULIELMI, ABBATIS.

Missa **Os justi,** de Comm. Abb. cum Oratione propria ut in Missali, hac die. Et fit comm. Octavæ Nativitatis S. Joannis.

DIE XXVI. JUNII.

SS. JOANNIS ET PAULI, MART.

Missa ut in Missali, hac die, cum comm. Octavæ.

DIE XXVII. JUNII.

B. BENVENUTI EUGUBINI, CONF. I. ORDINIS.

Missa **Justus ut palma,** de Comm. Conf. non Pont., præter Orationem sequentem.

Oratio.

Domine Jesu, qui beátum Benvenútum Confessórem perfécta sui abnegatióne imitatórem tui gloriósum effecísti : da nobis, quæsumus: ut voluntátem tuam semper exsequéntes, ejúsdem glóriæ partícipes esse mereámur : Qui vivis.

Et fit comm. Octavæ Nativitatis S. Joannis.

DIE XXVIII. JUNII.

S. LEONIS II, PAPÆ ET CONF.

Missa cum comm. Octavæ S. Joannis Baptistæ et Vigiliæ SS. Apost. ut in Missali, hac die.

DIE XXIX. JUNII.

SS. APOST. PETRI ET PAULI.

Missa ut in Missali, hac die.

Et fit comm. ubi est concessa vel injuncta, omnium SS. Apost. per Orationes sequentes :

Oratio.

Deus qui nos per beátos Apóstolos tuos, ad agni-

Digitized by Google

tiónem tui nóminis veníre tribuísti; da nobis eórum glóriam sempitérnam et proficiéndo celebráre, et celebrándo profícere. Per Dóminum.

Secreta.

GLORIAM, Dómine, Sanctórum Apostolórum tuórum perpétuam veneránte, quæsumus; ut eam sacris mystériis expiáti, dígnius celebrémus. Per Dóminum.

Postcommunio.

PERCEPTIS, Dómine, Sacraméntis, supplíciter exorámus: ut intercedéntibus beátis Apóstolis tuis, quæ pro illórum veneránda gérimus passióne, nobis proficiant ad medélam. Per Dóminum.

DIE XXX. JUNII.

IN COMMEM. S. PAULI, APOST.

Missa ut in Missali Romano, hac die.

Et fit comm. S. Petri, et Oct. S. Joannis Baptistæ.

FESTA JULII.

DOMINICA I. JULII.

PRETIOSISS. SANGUINIS D.N.J.C.

Missa ut in Missali, hac die.

Et fit comm. Dñicæ, ejusque Evangelium legitur in fine.

DIE I. JULII.

IN OCT. NATIV. S. JOANNIS BAPT.

Missa ut in die festi, cum comm. Octavæ SS. Apost. Dicitur **Credo** et Præfatio Apost.

DIE II. JULII.

VISITATIONIS B. MARIÆ V.

Missa ut in Missali, hac die. cum comm. in Missis privatis, SS. Mart. Processi et Martiniani, ibi.

DIE III. ET IV. JULII.

INFRA OCT. SS. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

Missa **Mihi autem nimis honoráti sunt**, ut in Missali.

DIE V. JULII.

SS. CYRILLI ET METHODII, EPISC. ET CONF.

Missa ut in Missali, hac die. Et fit comm. Octavæ SS. Apost. **Credo**, et Præf. de Apost.

DIE VI. JULII.

IN OCT. SS. APOST. PETRI ET PAULI.

Missa propria ut in Missali, hac die.

DIE VII. JULII.

S. LAURENTII A BRUNDUSIO, CONF. SACERDOTIS PROFESSI ORD. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM.

Introitus. *Eccli.* 42.

IN sermónibus Dómini ópera ejus: sol illúminans per ómnia respéxit, et glória Dómini plenum est opus ejus.

Ps. 67. **Exsúrgat Deus, et dissipéntur inimíci ejus, et fúgiant qui odérunt eum, a fácie ejus.**

℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui ad árdua quæque pro nóminis tui glória, et animárum salúte beáto Lauréntio Confessóri tuo spíritum consílii et fortitúdinis contulísti: da nobis in eódem spíritu et agénda cognóscere, et cógnita ejus

intercessióne perfícere. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

2. Cor. 5.

CARITAS Christi urget nos: æstimántes hoc, quóniam si unus pro ómnibus mórtuus est, ergo omnes mórtui sunt : et pro ómnibus mórtuus est Christus : ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mórtuus est et resurréxit. Itaque nos ex hoc néminem nóvimus secúndum carnem. Et si cognóvimus secúndum carnem Christum ; sed nunc jam non nóvimus. Si qua in Christo nova creatúra, vétera transiérunt : ecce facta sunt ómnia nova. Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliávit sibi per Christum, et dedit nobis ministérium reconciliatiónis. Quóniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcílians sibi, non réputans illis delícta ipsórum, et pósuit in nobis verbum reconciliatiónis. Pro Christo ergo legatióne fúngimur, tamquam Deo exhortánte per nos. Obsecrámus pro Christo, reconciliámini Deo. Eum, qui non nóverat peccátum, pro nobis peccátum fecit, ut nos efficerémur justítia Dei in ipso.

Graduale. Exod. 15. Fortitúdo et laus mea Dóminus, et factus est mihi in salútem ; iste Deus meus, et glorificábo eum.

℣. Dóminus quasi vir pugnátor : omnípotens nomen ejus.

Allelúia, allelúia.

℣. Eccl. 46. Invocávit Altíssimum poténtem in oppugnándo inimícos úndique : et audívit illum magnus et sanctus Deus. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 9.

IN illo témpore : Convocátis Jesus duódecim Apóstolis, dedit illis virtútem et potestátem super ómnia dæmónia, et ut languóres curárent. Et misit illos prædicáre regnum Dei, et sanáre infírmos. Et ait ad illos : Nihil tuléritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecúniam, neque duas túnicas habeátis. Et in quamcúmque domum intravéritis, ibi manéte, et inde ne exeátis. Et quicúmque non recéperint vos, exeúntes de civitáte illa, étiam púlverem pedum vestrórum excútite in testimónium supra illos. Egréssi autem circuíbant per castélla, evangelizántes et curántes ubíque.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Isai. 49. Pósuit os meum quasi gládium acútum : in umbra manus suæ protéxit me, et pósuit me sicut sagíttam eléctam.

Secreta.

AD cœléste convívium fac nos, Deus, salutáribus pœniténtiæ lácrymis dignos accédere : quod beáto Lauréntio vitæ candor suavíssimum efficiébat. Per Dóminum.

Communio. Sap. 8. In conspéctu poténtium admirábilis ero, et fácies príncipum mirabúntur me.

Postcommunio.

DIVINITATIS tuæ, Dómine, sempitérna fruitióne satiémur : quam beátus Lauréntius in sacro altáris mystério prægustábat. Per Dóminum.

DIE VIII. JULII.

S. ELISABETH, REG. PORTUGALL. VID. III. ORD.

Missa **Cognóvi**, de Comm. cum Orat. propria ut in Missali, hac die.

DIE IX. JULII.

S. VERONICÆ DE JULIANIS, VIRG. ORDINIS NOSTRI.

Introitus. *Cant.* 4.

QUAM pulchra es, amíca mea, quam pulchra es ! Vulnerásti cor meum, soror mea sponsa, vulnerásti cor meum : emissiónes tuæ paradísus.

Ps. 44. Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea regi.

℣. Glória Patri.

Oratio.

DOMINE Jesu Christe, qui beátam Verónicam Vírginem passiónis tuæ signis mirábilem effecísti : concéde propítius ; ut carnem crucifigéntes ad gáudia ætérna pervenire mereámur : Qui vivis.

Léctio libri Sapiéntiæ. Cap. 6. 7.

DILECTUS meus descéndit in hortum suum ad aréolam arómatum, ut pascátur in hortis, et lília cólligat. Ego dilécto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília. Pulchra es, amíca mea, suávis et decóra sicut Jerúsalem. Ego dilécto meo, et ad me convérsio ejus. Veni, dilécte mi, egrediámur in agrum, commorémur in villis. Mane surgámus ad víneas, videámus, si flóruit vínea, si flores fructus partúriunt. In portis nostris ómnia poma : nova et vétera, dilécte mi, servávi tibi.

Graduale. Judith 12. Benedícta tu a Deo tuo in omni tabernáculo Jacob.

℣. Quóniam in omni gente, quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te Deus Israël.

Allelúia, allelúia.

℣. Gal. 6. Mihi autem absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo. Ego enim stígmata Dómini Jesu in córpore meo porto. Allelúia.

In Missis votivis, post Septuag. omissis **Allelúia**, et versu sequenti, dicitur :

Tractus. Sap. 4. O quam pulchra est casta generátio cum claritáte : immortális est enim memória illíus, quóniam et apud Deum nota est, et apud hómines.

℣. Cum præsens est, imitántur illam, et desíderant eam, cum se edúxerit.

℣. Et in perpétuum coronáta triúmphat, incoinquinatórum certáminum præmia vincens.

Temp. Pasch. **Allelúia**, allelúia.

℣. Ps. 65. Veníte, audíte, et narrábo, omnes qui timétis Deum, quanta fecit ánimæ meæ. Allelúia.

Google

℣. Gal. 6. Mihi autem absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo. Ego enim stígmata Dómini Jesu in córpore meo porto. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum, c. 25.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quinque prudéntes : sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum : prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes, et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt : Date nobis de óleo vestro, quia lámpades nostræ exstinguúntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes : Ne forte non sufficiat nobis et vobis : ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus : et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est jánua. Novíssime vero véniunt et réliquæ vírgines dicéntes : Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait : Amen dico vobis : néscio vos. Vigiláte ítaque, quia nescítis diem, neque horam.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Ps. 41. Quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum, ita desíderat ánima mea ad te, Deus. Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum.

Secreta.

Per hanc immaculátam hóstiam vírgines germinántem, Dómine Jesu Christe, sanctífica, quæsumus, corda et córpora nostra : per quam beáta Virgo Verónica thálamum tuum méruit introíre : Qui vivis.

Communio. Phil. 1. Magnificábitur Christus in córpore meo sive per vitam, sive per mortem : mihi enim vívere Christus est, et mori lucrum.

Postcommunio.

Hæc sacra nos, Dómine, poténti virtúte mundátos, méritis et exémplo beátæ Verónicæ Vírginis tuæ, ad suum fáciant purióres pervenire princípium. Per Dóminum.

DIE X. JULII.

SS. SEPTEM FRATRUM, MART. ET SS. RUFINÆ ET SECUNDINÆ, VIRG. ET MART.

Missa, ut in Missali, hac die.

DIE XI. JULII.

SS. NICOLAI ET SOCIORUM, MART. GORCOMIENSIUM I. ORD.

Introitus. *Ps.* 78.

Intret in conspéctu tuo, Dómine, gémitus compeditórum : redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum : víndica sánguinem

Sanctórum tuórum, qui effúsus est.

Ps. Ibid. Deus venérunt gentes in hereditátem tuam, polluérunt templum sanctum tuum : posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam.

℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui sanctórum Mártyrum tuórum Nicolái et Sociórum ejus gloriósum pro fide tua certámen ætérnitátis láurea decorásti : concéde propítius ; ut eórum méritis et imitatióne certántes in terris, cum ipsis coronári mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Et fit comm. S. Pii, Papæ et Mart.

Oratio.

INFIRMITATEM nostram réspice, omnípotens Deus : et quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Pii, Mártyris tui atque Pontíficis, intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Sap. 3.

JUSTORUM ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori, et æstimáta est afflíctio éxitus illórum, et quod a nobis est iter, extermínium : illi autem sunt in pace. Et si coram homínibus torménta passi sunt, spes illórum immortalitáte plena est. In paucis vexáti, in multis bene disponéntur : quóniam Deus tentávit eos, et invénit illos dignos se. Tamquam aurum in fornáce probávit illos, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos, et in témpore erit respéctus illórum. Fulgébunt justi, et tamquam scintíllæ in arundinéto discúrrent. Judicábunt natiónes, et dominabúntur pópulis, et regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

Graduale. Exodi. 15. Gloriósus Deus in Sanctis suis : mirábilis in majestáte, fáciens prodígia.

℣. Déxtera tua, Dómine, glorificáta est in virtúte : déxtera manus tua confrégit inimícos.

Allelúia, allelúia.

℣. Hæc est vera fratérnitas, quæ vicit mundi crímina : Christum secúta est, ínclyta tenens regna cœléstia. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 21.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Cum audiéritis prælia et seditiónes, nolíte terréri : opórtet primum hæc fíeri, sed nondum statim finis. Tunc dicébat illis : Surget gens contra gentem, et regnum advérsus regnum. Et terræmótus magni erunt per loca, et pestiléntiæ et fames, terroréscque de cœlo, et signa magna erunt. Sed ante hæc ómnia injícient vobis manus suas, et persequéntur, tradéntes in synagógas et custódias, traháentes ad reges et præsides, propter nomen meum : contínget autem vobis in testimónium. Pónite ergo in córdibus vestris non præmeditári, quemádmodum respondeátis. Ego enim dabo vobis os et sapiéntiam, cui non póterunt resístere, et contra-

Digitized by Google

dícere omnes adversárii vestri. Tradémini autem a paréntibus et frátribus, et cognátis et amícis, et morte afficient ex vobis, et éritis ódio ómnibus propter nomen meum : et capíllus de cápite vestro non períbit. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras.

Offertorium. Ps. 67. Mirábilis Deus in Sanctis suis : Deus Israel, ipse dabit virtútem et fortitúdinem plebi suæ: benedíctus Deus, allelúia.

Secreta.

HDESTO, Dómine, supplicatiónibus nostris, quas in Sanctórum tuórum commemoratióne deférimus : ut qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus, eórum, qui tibi placuérunt, méritis adjuvémur. Per Dóminum.

Pro S. Pio. Secreta.

HOSTIAS tibi, Dómine, beáti Pii, Mártyris tui atque Pontíficis, dicátas méritis, benígnus assúme : et ad perpétuum nobis tríbue provenire subsídium. Per Dñum.

Communio. Sap. 3. Et si coram homínibus torménta passi sunt, Deus tentávit eos : tamquam aurum in fornáce probávit eos, et quasi holocáusta accépit eos.

Postcommunio.

QUÆSUMUS, Dómine, salutáribus repléti mystériis : ut, quorum solémnia celebrámus, eórum oratiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

Pro S. Pio. Postcommunio.

REFECTI participatióne múneris sacri, quæsumus, Dómine Deus noster : ut, cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Pio, Mártyre tuo atque Pontífice, sentiámus effectum. Per Dóminum.

DIE XII. JULII.

S. JOANNIS GUALBERTI, ABB.

Missa cum comm. SS. Naboris et Felicis, Mart. ut in Missali, hac die.

DIE XIII. JULII.

S. ANACLETI, PAPÆ ET MART.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XIV. JULII.

S. BONAVENTURÆ, EPISC. CONF. ET ECCL. DOCT. I. ORD.

Introitus. *Eccli.* 15.

IN médio Ecclésiæ apéruit os ejus : et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus : stolam glóriæ índuit eum.

Ps. 91. Bonum est confitéri Dómino : et psállere nómini tuo, altíssime.

℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui Ecclésiæ tuæ beátum Bonaventúram, Confessórem tuum atque Pontíficem, Doctórem mirábilem tribuísti : concéde propítius ; ut apud te hunc pium semper intercessórem habére mereátur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Sap. 8.

SAPIENTIAM amávi, et exquisívi a juventúte mea, et quæsívi sponsam mihi eam assúmere, et amátor factus sum formæ illíus. Generositátem illíus glorificat contubérnium habens Dei : sed et ómnium Dóminus diléxit illam. Doctrix enim est disci-

Digitized by Google

plínæ Dei, et eléctrix óperum illíus. Et si divítiæ appetúntur in vita, quid sapiéntia locuplétius, quæ operátur ómnia? si autem sensus operátur, quis horum, quæ sunt, magis quam illa est ártifex? Et si justítiam quis díligit, labóres hujus magnas habent virtútes: sobrietátem enim et prudéntiam docet, et justítiam et virtútem, quibus utílius nihil est in vita homínibus. Intrans in domum meam conquiéscam cum illa: non enim habet amaritúdinem conversátio illíus, nec tædium convíctus illíus, sed lætítiam et gáudium. Hæc cógitans apud me, et commémorans in corde meo, quóniam immortálitas est in cognatióne sapiéntiæ, et in amicítia illíus delectátio bona, et in opéribus mánuum illíus honéstas sine defectióne, et in certámine loquélæ illíus sapiéntia, et præclaritas in communicatióne sermónum ipsíus: circuíbam quærens, ut mihi illam assúmerem. Puer autem eram ingeniósus, et sortítus sum ánimam bonam.

Graduale. Eccli. 45. Diléctus Deo et homínibus, cujus memória in benedictióne est.

℣. In fide et lenitáte ipsíus sanctum fecit illum, et elégit eum ex omni carne.

Allelúia, allelúia.

℣. Eccli. 47. Erudítus es in juventúte tua, et implétus es, quasi flumen, sapiéntia. Allelúia.

Post Septuag. omissis Allelúia, et Versu sequenti, dicitur:

Tractus. Eccli. 45. Símilem illum fecit in glória Sanctórum, et magnificávit eum in timóre inimicórum, et in verbis suis monstra placávit.

℣. Glorificávit illum in conspéctu regum, et jussit illi coram pópulo suo, et osténdit illi glóriam suam.

℣. Ibid. 47. Erudítus es in juventúte tua, et implétus es, quasi flumen, sapiéntia.

Temp. Pasch. Allelúia, allelúia.

℣. In fide et lenitáte ipsíus sanctum fecit illum, et elégit eum ex omni carne. Allelúia.

℣. Erudítus es in juventúte tua, et implétus es, quasi flumen, sapiéntia. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. c. 5.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras, et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscóndi supra montem pósita. Neque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus, qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, et glorífficent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Nolíte putáre, quóniam veni sólvere legem aut prophétas: non veni sólvere, sed adimplére. Amen quippe dico vobis: donec tránseat cœlum et terra, jóta unum, aut unus apex non præteríbit a lege, donec

Digitized by Google

ómnia fiant. Qui ergo sólverit unum de mandátis istis mínimis, et docúerit sic hómines, mínimus vocábitur in regno cœlórum : qui autem fécerit et docúerit, hic magnus vocábitur in regno cœlórum.

Et dicitur **Credo** per Octavam.

Offertorium. Eccli. 51. Ambulávit pes meus iter rectum: a juventúte mea investigábam sapiéntiam.

Secreta.

INCRUENTUM Fílii tui sacrifícium offeréntes, te supplíciter exorámus, omnípotens Deus : ut, sicut passiónis ejus jugis meditátio intelléctum sancti Bonaventúræ Pontíficis erudívit ; ita mentes et corda nostra igne caritátis inflámmet. Per eúmdem Dóminum.

Communio. Coloss. 3. Indúite vos ergo sicut elécti Dei, sancti et dilécti, víscera misericórdiæ, benignitátem, humilitátem, modéstiam, patiéntiam.

Postcommunio.

OBLATA tibi, Dómine, in solemnitáte sancti Bonaventúræ Doctóris hóstia suavíssima spíritum nobis tuæ dilectiónis infúndat : ut ejus méritis et exémplo te in ómnibus et super ómnia diligéntes, ad perféctæ caritátis pátriam perveníre valeámus. Per Dóminum.

DOM. III. JULII.

IN FESTO SS. REDEMPTORIS.

Introitus. *Isai.* 61.

GAUDENS gaudébo in Dómino, et exsultábit ánima mea in Deo meo : quia índuit me vestiméntis salútis, et induménto justítiæ circúmdedit me.

Ps. 88. Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo : in generatiónem et generatiónem.

℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui unigénitum tuum mundi Redemptórem constituísti, et per eum devícta morte nos misericórditer ad vitam reparásti : concéde ; ut hæc benefícia recoléntes, tibi perpétua caritáte adhærére et ejúsdem redemptiónis fructum percípere mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Et fit comm. Dñicæ occurrentis, et Octavæ S. Bonaventuræ.

Léctio Epístolæ Beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. c. 1.

BENEDICTUS Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui benedíxit nos in omni benedictióne spirituáli in cœléstibus in Christo, sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti et immaculáti in conspéctu ejus in caritáte. Qui prædestinávit nos in adoptiónem filiórum per Jesum Christum in ipsum, secúndum propósitum voluntátis suæ, in laudem glóriæ grátiæ suæ, in qua gratificávit nos in dilécto Fílio suo. In quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum secúndum divítias grátiæ ejus quæ superabundávit in nobis in omni sapiéntia et prudéntia, ut notum fáceret nobis sa-

Digitized by Google

craméntum voluntátis suæ, secúndum beneplácitum ejus, quod propósuit in eo.

Graduale. Ps. 85. **Omnes gentes quascúmque fecísti, vénient, et adorábunt coram te, Dómine, et glorificábunt nomen tuum.**

℣. **Quóniam magnus es tu, et fáciens mirabília : tu es Deus solus.**

Allelúia, allelúia.

℣. Ps. 73. **Deus autem Rex noster ante sæcula, operátus est salútem in médio terræ.** Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. c. 3.

In illo témpore : Dixit Jesus Nicodémo : Nemo ascéndit in cœlum, nisi qui descéndit de cœlo, Fílius hóminis, qui est in cœlo. Et sicut Móyses exaltávit serpéntem in desérto, ita exaltári opórtet Fílium hóminis, ut omnis, qui credit in ipsum, non péreat, sed hábeat vitam ætérnam. Non enim misit Deus Fílium suum in mundum, ut júdicet mundum, sed ut salvétur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non judicátur: qui autem non credit, jam judicátus est : quia non credit in nómine unigéniti Fílii Dei.

Et dicitur **Credo.**

Offertorium. **Salus pópuli ego sum, dicit Dóminus : de quacúmque tribulatióne clamáverint ad me, exáudiam eos : et ero illórum Deus in perpétuum.** Allelúia.

Secreta.

Suscipe, quæsumus, Dómine, oblátum redemptiónis ætérnæ mystérium, et præsta, ut unigéniti Fílii tui gloriósis méritis intercedéntibus, vivíficet nos semper et múniat. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de Cruce. **Qui salútem.**

Communio. Ps. 106. **Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, et mirabília ejus fíliis hóminum,** allelúia.

Postcommunio.

Corporis tui sacri ac pretiósi sánguinis, quo redémpti sumus, Dómine Jesu Christe, partícipes effécti : quæsumus ; ut in nobis tua múnera tueáris, atque a præséntis vitæ malis eréptos, ad bona perdúcas sempitérna : Qui vivis.

In fine legitur Evang. Dñicæ.

DIE XV. JULII.

S. CAMILLI DE LELLIS, CONF.

Missa ut in Missali, die 18 Julii, omissa comm. SS. Symphorosæ et Filiorum. Fit com. Oct. S. Bonaventuræ, ut supra, et dicitur **Credo.**

DIE XVI. JULII.

B. M. V. DE MONTE CARMELO.

Fit comm. Oct. S. Bonaventuræ, ut supra, ac postea comm. Canonizationis S. P. N. Francisci Conf. per Orationes sequentes.

Oratio.

Deus, qui ad sectándas Unigéniti tui vias beátum Patrem nostrum Franciscum ducem ac præceptórem nobis tribúere dignátus es : concéde propítius ; ut, cujus hódie memóriam cóli-

Digitized by Google

mus, ejus in cœlis glóriæ partícipes éffici mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Secreta.

SUSCIPE, Dómine, laudis hóstiam, quam in honórem beáti Patris nostri Francísci tuæ offérimus majestáti : et per eam nosmetípsos tibi pérfice munus ætérnum. Per Dóminum.

Postcommunio.

SACRO pro múnere tibi, Dómine, grátias agéntes, quæsumus : ut, intercedénte beáto Patre nostro Francísco, cujus gaudémus triúmphis, spirituálibus proficiámus auxíliis. Per Dóminum.

DIE XVII. JULII.

S. ALEXII, CONFESSORIS.

Missa ut in Missali. Et fit comm. Octavæ S. Bonaventuræ, ut supra, deinde tertia Oratio de S. Maria. Concéde nos. Dicitur Credo.

DIE XVIII. JULII.

B. SIMONIS DE LIPNICA, CONF. I. ORDINIS.

Missa Justus ut palma, de Comm. Conf. non Pont. præter sequentia.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui beátum Simónem Confessórem tuum evangélicæ prædicatiónis grátia sublimásti : concéde propítius ; ut ejus doctrínæ pábulo nutríti, quæ tibi sunt plácita exsequéntes, per sémitas justítiæ ad cœléstem pátriam felíciter perveníre valeámus. Per Dóminum.

Et fit comm. Octavæ S. Bonaventuræ, ut supra : postea SS. Symphorosæ et filiorum ejus, Mart.

Et dicitur Credo.

Pro SS. Mart. Oratio.

DEUS, qui nos concédis sanctórum mártyrum tuórum Symphorósæ et filiórum ejus natalítia cólere : da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Secreta.

PRÆSTA nobis, quæsumus, omnípotens Deus : ut nostræ humilitátis oblátio et pro tuórum tibi grata sit honóre Sanctórum, et nos córpore páriter et mente puríficet. Per Dóminum.

Pro SS. Mart. Secreta.

MUNERA tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus : quæ et pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Postcommunio.

QUÆSUMUS, omnípotens Deus : ut, qui cœléstia aliménta percépimus, intercedénte beáto Simóne Confessóre tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

Pro SS. Mart.

Postcommunio.

PRÆSTA nobis, quæsumus, Dómine, intercedéntibus sanctis Martyribus tuis Symphorósa et fíliis ejus : ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Digitized by Google

DIE XIX. JULII.

B. JOANNIS DE DUKLA, CONF. I. ORDINIS.

Missa. **Os justi**, de Comm. Conf. non Pont., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Joánnem Confessórem tuum exímiæ humilitátis et patiéntiæ donis decorásti : concéde propítius ; ut ejúsdem imitántes exémpla, consequámur et præmia. Per Dóminum.

Et fit comm. Oct. S. Bonaventuræ.

Evang. **Nolíte timére**, ex Missa **Justus ut palma**, de eodem Comm.

Et dicitur **Credo.**

DIE XX. JULII.

S. MARGARITÆ, VIRG. ET MART.

Missa **Me exspectavérunt**, de Comm. Virg. et Mart. Fit comm. Octavæ S. Bonaventuræ ; et dicitur **Credo.**

DIE XXI. JULII.

IN OCTAVA S. BONAVENTURÆ, EPISC., CONF. ET ECCL. DOCT.

Missa ut supra in die Festi, cum comm. S. Praxedis Virg., ut in Missali, hac die. Dicitur **Credo.**

DIE XXII. JULII.

S. MARIÆ MAGDALENÆ, PŒNIT.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XXIII. JULII.

S. APOLLINARIS, EPISC. ET MARTYRIS.

Missa cum comm. S. Liborii, Episc. et Conf., ut in Missali, hac die.

DIE XXIV. JULII.

S. FRANCISCI SOLANI, CONF. I. ORDINIS.

Introitus. *Ps.* 36.

Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium : lex Dei ejus in corde ipsíus.

Ps. ibid. **Noli æmulári in malignántibus : neque zeláveris faciéntes iniquitátem.**

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui plúrimas Américæ gentes per beátum Francíscum ad sinum Eccléstæ perduxísti : ejus méritis et précibus indignatiónem tuam a peccátis nostris avérte ; et in gentes, quæ te non cognovérunt, timórem nóminis tui benígnus immítte. Per Dóminum.

Et fit comm. Vigiliæ S. Jacobi, Apost.

Oratio.

Da, quæsumus, omnípotens Deus : ut beáti Jacóbi Apóstoli tui, quam prævenímus, veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem.

Deinde comm. S. Christinæ, Virg. et Mart. Oratio.

Indulgentiam nobis, quæsumus, Dómine, beáta Christína Virgo et Martyr implóret : quæ tibi grata semper éxstitit et mérito castitátis, et tuæ professióne virtútis. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 31.

Beatus vir, qui invéntus est sine mácula, et qui

Digitized by Google

post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória ætérna: qui pótuit transgredi, et non est transgréssus, fácere mala, et non fecit: ídeo stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis ecclésia sanctórum.

Graduale. Ps. 91. Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini.

℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúia, allelúia.

℣. Jac. 1. Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum. c. 16.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Qui credíderit, et baptizátus fúerit, salvus erit: qui vero non credíderit, condemnábitur. Signa autem eos, qui credíderint, hæc sequéntur: In nómine meo dæmónia ejícient: linguis loquéntur novis: serpéntes tollent: et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit: super ægros manus impónent, et bene habébunt.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne Sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus et futúris. Per Dóminum.

Pro Vigilia. Secreta.

Apostolici reveréntia cúlminis offeréntes tibi sacra mystéria, Dómine, quæsumus: ut beáti Jacóbi Apóstoli tui suffrágiis, cujus natalítia prævenímus, plebs tua semper et sua vota deprómat, et desideráta percípiat.

Pro S. Christina. Secreta.

Hostias tibi, Dómine, beátæ Christínæ Vírginis et Mártyris tuæ dicátas méritis, benígnus assúme: et ad perpétuum nobis tríbue provenire subsídium. Per Dóminum.

Communio. Matth. 24. Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

Refecti cibo potúque cœlésti, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

Pro Vigilia. Postcommunio.

Sancti Apóstoli tui Jacóbi, quæsumus, Dómine, supplicatióne placátus: et véniam nobis tríbue, et remédia sempitérna concéde.

Digitized by Google

Pro S. Christina.

Postcommunio.

Divini múneris largitáte satiáti, quæsumus, Dómine Deus noster : ut, intercedénte beáta Christína Vírgine et Mártyre tua, in ejus semper participatióne vivámus. Per Dóminum.

In fine legitur Evangelium Vigiliæ, ut in Comm. Vigiliæ unius Apostoli.

DIE XXV. JULII.

S. JACOBI, APOSTOLI.

Missa, ut in Missali, hac die. Et fit, in Missis privatis, comm. S. Christophori, Mart. ut ibidem.

DIE XXVI. JULII.

S. ANNÆ, MATRIS B. M. V.

Missa, ut in Missali, hac die.

DIE XXVII. JULII.

B. CUNEGUNDIS, REG. POLONIÆ, VIRG. II. ORDINIS.

Missa **Dilexísti,** de Comm. Virg. præter Orationem sequentem.

Oratio.

Deus, qui beátam Cunegúndem dulcédinis tuæ benedictiónibus prævenísti, ac vírginem étiam in conjúgio conservásti : præsta, quæsumus ; ut, ipsa intercedénte, per vitæ puritátem tibi júgiter adhærére, et per ejus vestígia gradiéntes ad te perveníre felíciter mereámur. Per Dóminum.

Et fit comm. S. Pantaleonis, Mart.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut, intercedénte beáto Pantaleóne Mártyre tuo, et a cunctis adversitátibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

Pro S. Pantaleone. Secreta.

Accepta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio : et ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cujus solemnitáte defértur. Per Dóminum.

Pro S. Pantaleone.

Postcommunio.

Refecti participatióne múneris sacri, quæsumus, Dómine Deus noster : ut, cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Pantaleóne Mártyre tuo, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

DIE XXVIII. JULII.

SS. NAZARII, CELSI ET VICTORIS, MART. AC INNOCENTII, PAPÆ, CONFESSORIS.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XXIX. JULII.

S. MARTHÆ, VIRGINIS.

Missa cum comm. SS. Felicis et Soc. Mart. ut in Missali, hac die.

DIE XXX. JULII.

S. VINCENTII A PAULO, CONF.

Missa, ut in Missali, die 19 Julii. Et fit comm. SS. Abdon et Sennen, Mart. ut in Missali, hac die.

DIE XXXI. JULII.

S. IGNATII, CONFESSORIS.

Missa ut in Missali, hac die.

FESTA AUGUSTI.

DIE I. AUGUSTI.

S. PETRI AD VINCULA.

Missa, cum comm. S. Pau-

Digitized by Google

Fiat SS. Machabæorum, Mart. ut in Missali, hac die.

DIE II. AUGUSTI.

DEDICATIONIS ECCL. S. MARIÆ ANGELORUM.

Missa Terríbilis de Comm. Dedicat. Eccl. et dicitur Credo. Fit fit comm. S. Stephani, Papæ et Mart., ut in Missali, hac die, in Missis privatis tantum.

DIE III. AUGUSTI.

INVENTIONIS S. STEPHANI, PROTOMARTYRIS.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE IV. AUGUSTI.

S. P. DOMINICI, CONF. ORDINIS PRÆDICAT. FUNDATORIS.

Introitus. *Eccli.* 15.

In médio Ecclésiæ apéruit os ejus ; et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus : stolam glóriæ índuit eum.

℣. Jucunditátem, et exsultatiónem thesaurizávit super eum.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Patris Domínici Confessóris tui illumináre dignátus es méritis et doctrínis : concéde ; ut ejus intercessióne temporálibus non destituátur auxíliis, et spirituálibus semper proffíciat increméntis. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

2. c. 4.

Carissime : Testíficor coram Deo, et Jesu Christo, qui judicatúrus est vivos et mórtuos, per advéntum ipsíus, et regnum ejus : prædica verbum, insta opportúne, importúne : árgue, óbsecra, íncrepa in omni patiéntia et doctrína. Erit enim tempus, cum sanam doctrínam non sustinébunt, sed ad sua desidéria coacervábunt sibi magístros pruriéntes áuribus : et a veritáte quidem audítum avértent, ad fábulas autem converténtur. Tu vero vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelístæ, ministérium tuum imple. Sóbrius esto. Ego enim jam delíbor, et tempus resolutiónis meæ instat. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. In réliquo repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die, justus judex : non solum autem mihi, sed et iis, qui díligunt advéntum ejus.

Graduale. Ps. 36. Os justi meditábitur sapiéntiam ; et lingua ejus loquétur judícium.

℣. Lex Dei ejus, in corde ipsíus : et non supplantabúntur gressus ejus.

Allelúia, allelúia.

℣. Pie Pater Domínice, tuórum memor óperum : sta coram summo Júdice, pro tuo cœtu páuperum.

Sequentia.

In cœlésti Hierárchia,
Nova sonet harmónia :
Novo ducta cántico.
Cui concórdet in hac via
Nostri chori melódia,
Congáudens Domínico.
Ex Ægypto vastitátis,
Virum suæ voluntátis,

Digitized by Google

Vocat auctor sæculi.

In fiscélla paupertátis,
Flumen transit vanitátis,
Pro salúte pópuli.

In figúra cátuli
Prædicátor sæculi
Matri præmonstrátur

Portans ore fáculam,
Ad amóris régulam
Pópulos hortátur.

Hic est novus Legislátor,
Hic Elías æmulátor,
Et detéstans crímina.

Vulpes díssipat Samsónis,
Et in tuba Gedeónis,
Hostis fugat ágmina.

A defúnctis revocátum,
Matri vivum reddit natum,
Vivens adhuc córpore.

Signo crucis imber cedit,
Turba Fratrum panem edit,
Missum Dei múnere.

Felix per quem gáudia,
Tota jam Ecclésia,
Sumens exaltátur.

Orbem replet sémine,
In cœlórum ágmine,
Tandem collocátur.

Jacet granum occultátum,
Sidus latet obumbrátum,
Sed Plasmátor ómnium,

Ossa Joseph pulluláre,
Sidus jubet radiáre,
In salútem géntium.

O quam probat carnis florem,
Omnem súperans odórem
Túmuli fragrántia !

Ægri currunt, et curántur,
Cæci, claudi reparántur,
Virtútum frequéntia.

Laudes ergo Domínico
Personémus miríffico,
Voce plena.

Clama petens suffrágia,
Ejus sequens vestígia,
Plebs egéna.

Et tu, Pater pie,
Bone pastor gregis, et patróne,
Prece semper sédula,

Apud cúriam summi Regis,
Derelícti vices gregis
Comménda per sæcula.
Amen. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. c. 5.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras, et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscóndi supra montem pósita. Neque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus, qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, et glorífficent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Nolíte putáre, quóniam veni sólvere legem, aut Prophétas: non veni sólvere, sed adimplére. Amen quippe dico vobis: Donec tránseat cœlum et terra, ióta unum, aut unus apex non prætería a lege, donec ómnia fiant. Qui ergo sólverit unum de mandátis istis mínimis, et docúerit sic hómines, mínimus vocábitur in regno cœlórum: qui autem fécerit et docúerit, hic magnus vocábitur in regno cœlórum.

Et dicitur **Credo.**

Offertorium. Ps. 20. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum: posuísti in cápite ejus

Digitized by Google

corónam de lápide pretióso.

Secreta.

QUNERA tibi, Dómine, dicáta sanctífica : ut méritis beáti Domínici Confessóris tui, Patris nostri, nobis profíciant ad medélam. Per Dóminum.

Communio. Luc. 12. Fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam : ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio.

CONCEDE, quæsumus, omnípotens Deus : ut, qui peccatórum nostrórum póndere prémimur, beáti Domínici Confessóris tui, Patris nostri, patrocínio sublevémur. Per Dóminum.

Per Octavam, et in Octava S. Dominici fiunt omnia sicut in die.

DIE V. AUGUSTI.

IN DEDICAT. S. MARIÆ AD NIVES.

Missa Salve, sancta Parens, ut in Missis votivis B. M. V. a Pentecoste ad Adventum.

Et fit comm. Oct. S. P. Dominici. Dicitur Credo, et Præfatio de B. Et te in festivitáte.

DIE VI. AUGUSTI.

TRANSFIGURATIO D. N. J. C.

Missa ut in Missali, hac die. Et fit comm. Oct. S. P. Dominici ac SS. Xysti et Soc. Mart.

DIE VII. AUGUSTI.

S. CAJETANI, CONF.

Missa ut in Missali, hac die. Et fit comm. Oct. S. P. Dominici, ac S. Donati, Episc. et Mart. ibi. Dicitur Credo.

DIE VIII. AUGUSTI.

SS. CYRIACI ET SOC., MART.

Missa ut in Missali, hac die. Et fit comm. Octavæ S. P. Dominici, deinde tertia Oratio de S. Maria, Concéde nos. Et dicitur Credo.

DIE IX. AUGUSTI.

S. HENRICI, IMPERAT. CONF.

Missa Os justi, de Comm. Conf. non Pont., cum Oratione ut in Missali, die 15 Julii.

Et fit comm. Octavæ S. P. Dominici, deinde Vigiliæ S. Laurentii, ac S. Romani, Mart., ut in Missali, hac die.

Et dicitur Credo. In fine legitur Evang. Vigiliæ.

DIE X. AUGUSTI.

S. LAURENTII, MARTYRIS.

Missa ut in Missali, hac die. Et dicitur Credo, propter Oct. S. P. Dominici.

DIE XI. AUGUSTI.

IN OCTAVA S. P. DOMINICI, CONF.

Missa ut supra in die Festi. Et fit comm. Octavæ S. Laurentii, et SS. Tiburtii et Susannæ, Mart., ut in Missali, hac die ; et dicitur Sequentia, et Credo.

Apud Moniales Clarissas, post com. Oct. S. Laurentii, fit comm. Vigiliæ S. Claræ per Orationes sequentes, et ultimo loco SS. Martyrum.

Oratio.

EXAUDI nos, Deus salutáris noster, ut sicut de beátæ Claræ Vírginis tuæ, quam prævenímus, festivitáte gau-

démus, ita piæ devotiónis erudiámur affféctu.

Secreta.

ACCEPTA tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis orátio, pro tuórum honóre Sanctórum : quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium.

Postcommunio.

SATIASTI, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quæsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia prævenímus.

Et ibidem, in fine dicitur Evangelium sequens :

℣. Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 11.

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis : Lucérna córporis tui, est óculus tuus. Si óculus tuus fúerit simplex, totum corpus tuum lúcidum erit ; si autem nequam fúerit, étiam corpus tuum tenebrósum erit. Vide ergo, ne lumen, quod in te est, ténebræ sint. Si ergo corpus tuum totum lúcidum fúerit, non habens áliquam partem tenebrárum, erit lúcidum totum, et sicut lucérna fulgóris illumináb it te.

DIE XII. AUGUSTI.

S. CLARÆ, VIRG. II. ORD. INSTIT.

Introitus. *Ps.* 44.

VULTUM tuum deprecabúntur omnes dívites plebis : adducéntur regi vírgines post eam : próximæ ejus adducéntur tibi in lætítia et exsultatióne.

Ps. ibid. Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea regi.

℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui Ecclésiam tuam beátæ Vírginis Claræ miris illústras virtútum splendóribus, et nova prole fœcúndas : concéde propítius ; ut per ejus vestígia gradiéntes, ætérnæ glóriæ claritátem cónsequi mereámur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Sap. 7.

OMNIUM ártifex dócuit me sapiéntia : est enim in illa spíritus intelligéntiæ sanctus, omnem habens virtútem, ómnia prospíciens, et qui cápiat omnes spíritus, intelligíbilis, mundus, subtílis. Omnibus enim mobílibus mobílior est sapiéntia : attíngit autem ubíque propter suam mundítiam. Vapor est enim virtútis Dei, et emanátio quædam est claritátis omnipoténtis Dei sincéra : et ídeo nihil inquinátum in eam incúrrit.

Graduale. Ps. 44. Concupívit rex decórem tuum, quóniam ipse est Dóminus Deus tuus.

℣. Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam.

Allelúia, allelúia.

℣. Hæc est virgo sápiens, et una de número prudéntum. Allelúia.

Post Septuag. omissis Allelúia et versu sequenti, dicitur :

Tractus. Quia concupívit rex spéciem tuam.

℣. Vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis : fíliæ regum in honóre tuo.

℣. Adducéntur regi vírgines

Digitized by Google

post eam : próximæ ejus afferéntur tibi.

℣. Afferéntur in lætítia et exsultatióne : adducéntur in templum regis.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur :

Allelúia, allelúia.

℣. Hæc est virgo sápiens, et una de número prudéntum. Allelúia.

℣. Sap. 4. O quam pulchra est casta generátio cum claritáte ! Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. c. 25.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quinque prudéntes ; sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum : prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes, et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt : Date nobis de óleo vestro, quia lámpades nostræ exstinguúntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes : Ne forte non suffíciat nobis et vobis : ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus : et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est jánua. Novíssime vero véniunt et réliquæ vírgines, dicéntes : Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait : Amen dico vobis ; néscio vos. Vigiláte ítaque, quia nescítis diem, neque horam.

Et dicitur Credo.

Et dicitur per Octavam.

Offertorium. Ps. 44. Adducéntur regi vírgines post eam : próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne : adducéntur in templum regi Dómino.

Secreta.

Oblata tibi, quæsumus, Dómine, dona sanctífica : quæ majestáti tuæ accépta fáciat beátæ Vírginis tuæ Claræ intercéssio veneránda. Per Dóminum.

Communio. Matth. 25. Quinque prudéntes vírgines accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus : média autem nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit : exíte óbviam Christo Dómino.

Postcommunio.

Protegant, quæsumus, Dómine, plebem tuam glorióse Vírginis tuæ Claræ continuáta præsídia : et sumpta pro illíus glória córporis tui sacri et pretiósi sánguinis sacraménta : Qui vivis.

DIE XIII. AUGUSTI.

S. HIERONYMI ÆMILIANI, CONF.

Missa ut in Missali, die 20 Julii. Et fiunt sequentes commem.

Digitized by Google

Pro Oct. S. Laurentii.
Oratio.

DA nobis, quæsumus, omnípotens Deus: vitiórum nostrórum flammas extínguere: qui beáto Lauréntio tribuísti tormentórum suórum incéndia superáre.

Pro Octava S. Claræ, Oratio.

DEUS, qui Ecclésiam tuam beátæ Vírginis Claræ míris illústras virtútum splendóribus, et nova prole fœcúndas: concéde propítius: ut per ejus vestígia gradiéntes ætérnæ glóriæ claritátem cónsequi mereámur.

Pro SS. Hippolyto et Cassiano, Mart.
Oratio.

DA, quæsumus, omnípotens Deus: ut beatórum Mártyrum tuórum Hippólyti et Cassiáni veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

Et dicitur Credo.

Pro S. Laurentio. Secreta.

ACCIPE, quæsumus, Dómine, múnera dignánter oblàta: et beáti Lauréntii suffragántibus méritis, ad nostræ salútis auxílium proveníre concéde.

Pro S. Clara. Secreta.

OBLATA tibi, quæsumus, Dómine, dona sanctífica: quæ majestáti tuæ accépta fáciat beátæ Vírginis tuæ Claræ intercéssio veneránda.

Pro SS. Mart. Secreta.

RESPICE, Dómine, múnera pópuli tui, Sanctórum festivitáte votíva: et tuæ testificátio veritátis nobis proffciat ad salútem. Per Dóminum.

Pro S. Laurentio.
Postcommunio.

SACRO múnere satiáti, súpplices te, Dómine, deprecámur: ut, quod débitæ servitútis celebrámus offício, intercedénte beáto Lauréntio Mártyre tuo, salvatiónis tuæ sentiámus augméntum.

Pro S. Clara. Postcommunio.

PROTEGANT, quæsumus, Dómine, plebem tuam gloriósæ Vírginis tuæ Claræ continuáta præsídia: et sumpta pro illíus glória córporis tui sacri et pretiósi sánguinis sacraménta.

Pro SS. Martyribus.
Postcommunio.

SACRAMENTORUM tuórum, Dómine, communio sumpta nos salvet: et in tuæ veritátis luce confírmet. Per Dóminum.

DIE XIV. AUGUSTI.

S. ALPHONSI MARIÆ, EPISC. CONF. ET ECCL. DOCT.

Missa, ut in Missali, die 2 Augusti. Et fit comm. Octavarum S. Laurentii et S. Claræ, ut supra die 13, postea Vigiliæ Assumptionis B. M. V. et S. Eusebii Conf. ut sequitur.

Pro Vigilia. Oratio.

DEUS, qui virgináles aulam beátæ Maríæ, in qua habitáres, elígere dignátus es: da, quæsumus; ut sua nos defensióne munítos, jucúndos fácias suæ interésse festivitáti.

Pro S. Eusebio. Oratio.

DEUS, qui nos beáti Eusébii Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas:

Digitized by Google

concéde propítius ; ut, cujus natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum nostrum.

Pro Vigilia. Secreta.

QUNERA nostra, Dómine, apud cleméntiam tuam Dei genitrícis comméndet orátio ; quam idcírco de præsénti sæculo transtulísti, ut pro peccátis nostris apud te fiduciáliter intercédat.

Pro S. Eusebio, Secreta.

LAUDIS tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne Sanctórum ; quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus et futúris. Per Dóminum.

Pro Vigilia. Postcommunio.

CONCEDE, miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsídium : ut, qui sanctæ Dei genitrícis festivitátem prævenímus, intercessiónis ejus auxílio a nostris iniquitátibus resurgámus.

Pro Sancto Eusebio. Postcommunio.

REFECTI cibo potúque cœlésti, Deus noster, te súpplices exorámus : ut, in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

In fine legitur Evangelium Vigiliæ.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 11.

IN illo témpore : Loquénte Jesu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba, dixit illi : Beátus venter, qui te portávit, et úbera quæ suxísti. At ille dixit : Quinímo beáti, qui áudiunt verbum Dei, et custódiunt illud.

DIE XV. AUGUSTI.

IN FESTO ASSUMPTIONIS B. M. V.

Missa ut in Missali, hac die.

DOM. INFRA OCT. ASS.

S. JOACHIM, PATRIS B. M. V.

Missa ut in Missali, hac die. Et fit commem. Dominicæ ; ejusque Evangelium dicitur in fine.

DIE XVI. AUGUSTI.

S. ROCHI, CONF. III. ORDINIS.

Missa Os justi, de Comm. Conf. non Pont., præter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui beáto Rocho per Angelum tuum tábulam eídem afferéntem promisísti, ut, qui ipsum invocáverit, a nullo pestis cruciátu læderétur : præsta, quæsumus ; ut, qui ejus solémnia celebrámus, ipsíus méritis et précibus a mortífera peste córporis et ánimæ liberémur. Per Dóminum.

Et fit comm. Oct. Assumpt.

Oratio.

FAMULORUM tuórum, quæsumus, Dómine, delíctis ignósce : ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus ; genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur.

Deinde Oct. S. Laurentii.

Oratio.

DA nobis, quæsumus, omnípotens Deus : vitiórum nostrórum flammas exstínguere ; qui beáto Lauréntio tribuísti tormentórum suórum incéndia superáre.

Digitized by Google

Postea Octavæ S. Claræ.

Oratio.

DEUS, qui Ecclésiam tuam beátæ Vírginis Claræ miris illústras virtútum splendóribus, et nova prole fœcúndas : concéde propítius ; ut per ejus vestígia gradiéntes, ætérnæ glóriæ claritátem cónsequi mereámur. Per Dóminum.

Dicitur Credo, ratione Octavarum et Præf. de Assumpt.

Pro Oct. Assumpt. Secreta.

SUBVENIAT, Dómine, plebi tuæ Dei genitrícis orátio : quam etsi pro conditióne carnis migrásse cognóscimus ; in cœlésti glória apud te pro nobis intercédere sentiámus.

Pro S. Laurentio. Secreta.

ACCIPE, quæsumus, Dómine, múnera dignánter oblàta ; et beáti Lauréntii suffragántibus méritis, ad nostræ salútis auxílium proveníre concéde.

Pro S. Clara. Secreta.

OBLATA tibi, quæsumus, Dómine, dona sanctífica : quæ majestáti tuæ accépta fáciat beátæ Vírginis tuæ Claræ intercéssio veneránda. Per Dóminum.

Pro Oct. Assumpt. Postcomm.

QUENSÆ cœléstis partícipes effécti, implorámus cleméntiam tuam Dómine Deus noster : ut, qui Assumptiónem Dei genitrícis cólimus, a cunctis malis imminéntibus, ejus intercessióne liberémur.

Pro S. Laurentio.

Postcommunio.

SACRO múnere satiáti, súpplices te, Dómine, deprecámur : ut, quod débitæ servitútis celebrámus offício, intercedénte beáto Lauréntio Mártyre tuo, salvatiónis tuæ sentiámus augméntum.

Pro S. Clara. Postcommunio.

PROTEGANT, quæsumus, Dómine, plebem tuam gloriósæ Vírginis tuæ Claræ continuáta præsídia : et sumpta pro illíus glória córporis tui sacri et pretiósi sánguinis sacraménta : Qui vivis.

DIE XVII. AUGUSTI.

IN OCTAVA S. LAURENTII, MART.

Missa propria ut in Missali, hac die. Et fit comm. Octavarum Assumpt. et S. Claræ, ut supra. Dicitur Credo, et Præfat. Assumpt.

DIE XVIII. AUGUSTI.

S. CLARÆ DE MONTE FALCO, VIRG. III. ORD.

Missa Dilexísti, de Communi Virg., præter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui sanctam Vírginem tuam Claram claríficans, in ipsíus córpore passiónis tuæ et Trinitátis mystéria miríficis signis renovásti : præsta, quæsumus ; ejus précibus et imitatióne, sic nos tuæ passiónis amaritúdinem recordári, ut Trinitátis beatitúdine pérfrui mereámur : Qui cum Patre et Spíritu sancto in Trinitáte vivis et regnas Deus per ómnia sæcula sæculórum.

Et fit comm. Octavarum Assumptionis et S. Claræ, ut supra, postea S. Agapiti, Mart.

Oratio.

LÆTETUR Ecclésia tua, Deus, beáti Agapíti

Digitized by Google

Mártyris tui confísa suffrágiis atque ejus précibus gloriósis et devóta permáneat, et secúra consístat. Per Dñum.

Et dicitur Credo, ratione Octavarum. Præfatio de Assumpt.

Secreta.

ACCEPTA tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio, pro tuórum honóre Sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Pro S. Agapito, Secreta.

SUSCIPE, Dómine, múnera, quæ in ejus tibi solemnitáte deférimus, cujus nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum.

Postcommunio.

SATIASTI, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quæsumus, semper interventióne nos réfove; cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Pro S. Agapito, Postcomm.

DA, quæsumus, Dómine Deus noster: ut, sicut tuórum commemoratióne Sanctórum, temporáli gratulámur offício; ita perpétuo lætémur adspéctu. Per Dóminum.

¶ Si vero festum S. Claræ transferatur, pro S. Agapito erit Postcommunio Satiásti, ut supra ponitur pro S. Clara.

DIE XIX. AUGUSTI.

S. LUDOVICI, EPISC. ET CONF. I. ORDINIS.

Introitus. *Eccli.* 45.

STATUIT ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dignitas in ætérnum.

Ps. 131. Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus.

℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui beátum Ludovícum Confessórem tuum atque Pontíficem cœléste regnum terréno præpónere docuísti, ac puritáte illibáta, et exímia in páuperes caritáte mirabíliter decorásti: concéde; ut ejúsdem virtútes æmulántes in terris, coronári cum ipso mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Et fit commem. diei Octavæ S. Claræ tantum.

Oratio.

DEUS, qui Ecclésiam tuam beátæ Vírginis Claræ miris illústras virtútum splendóribus, et nova prole fœcúndas: concéde propítius; ut per ejus vestígia gradiéntes, ætérnæ glóriæ claritátem cónsequi mereámur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 44. et 45.

ECCE sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus: et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio. Non est invéntus símilis illi, qui conservávit legem Excélsi. Ideo jurejurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. Agnóvit eum in benedictiónibus suis: conservávit illi

Digitized by Google

misericórdiam suam : et invénit grátiam coram óculis Dómini. Magnificávit eum in conspéctu regum : et dedit illi corónam glóriæ. Státuit illi testaméntum ætérnum, et dedit illi sacerdótium magnum : et beatificávit illum in glória. Fungi sacerdótio, et habére laudem in nómine ipsíus ; et offérre illi incénsum dignum, in odórem suavitátis.

Graduale. Eccli. 44. Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo.

℣. Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúia, allelúia.

℣. Rosa vernans caritátis, lílium virginitátis, stella fulgens Ludovícus, vas sanctitátis, ora pro nobis Dóminum. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. c. 24.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vigiláte, quia nescítis, qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Illud autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias, qua hora fur ventúrus esset, vigiláret útique, et non síneret pérfodi domum suam. Ideo et vos estóte paráti : quia qua nescítis hora, Fílius hóminis ventúrus est. Quis, putas, est fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus suus super famíliam suam ut det illis cibum in témpore ? Beátus ille servus, quem, cum vénerit dóminus ejus, invénerit sic faciéntem. Amen dico vobis, quóniam super ómnia bona sua constítuet eum.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Ps. 88. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta.

Sacrificia, Dómine, quæ in honórem sancti Ludovíci, Confessóris tui atque Pontíficis, tuæ offérimus majestáti, nobis sint ad salútem efficácia, et tuæ plácita pietáti. Per Dóminum.

Pro S. Clara. Secreta.

Oblata tibi, quæsumus, Dómine, dona sanctífica : quæ majestáti tuæ accépta fáciat beátæ Vírginis tuæ Claræ intercéssio veneránda. Per Dóminum.

Præfatio de Octava B.M.V.

Communio. Matth. 24. Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem : amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

Immensam cleméntiam tuam, omnípotens Deus, supplíciter exorámus : ut intercedénte beáto Ludovíco, Confessóre tuo atque Pontífice, per hæc sancta, quæ súmpsimus, cuncta nobis adversántia, te adjuvánte, vincámus. Per Dóminum.

Pro S. Clara. Postcommunio.

Protegant, quæsumus, Dómine, plebem tuam glorióse Vírginis tuæ Claræ continuáta præsídia : et sumpta pro illíus glória córpori-

Digitized by Google

tui sacri et pretiósi sánguinis sacraménta : Qui vivis.

DIE XX. AUGUSTI.

S. BERNARDI, ABBATIS, CONF. ET DOCTORIS.

Missa **In médio**, de Comm. Doct. cum Epistola **Justus.** Et fit comm. Oct. Assumpt. Dicitur **Credo**, et Præfatio Assumpt.

DIE XXI. AUGUSTI.

S. HYACINTHI, CONFESSORIS.

Missa **Os justi**, de Comm. Conf. non Pont. Et fit comm. Octavæ Assumpt. et dicitur **Credo**, et Præfatio de eadem Oct.

DIE XXII. AUGUSTI.

IN OCT. ASSUMPTIONIS B. M. V.

Missa ut in die Festi. Et fit comm. SS. Timothei et Soc. Mart. ut in Missali, hac die.

DIE XXIII. AUGUSTI.

S. PHILIPPI BENITII, CONF.

Missa **Justus**, de Communi, cum Oratione propria ut in Missali, hac die.

Ubi Festum S. Bartholomæi celebratur die 24, fit comm. Vigiliæ ejusdem, ut in Missali notatur, cum ejus Evangelio in fine.

DIE XXIV. VEL XXV. AUG.

S. BARTHOLOMÆI, APOSTOLI.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XXV. VEL XXVI. AUG.

S. LUDOVICI REGIS, CONF. III. ORDINIS.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XXVI. AUGUSTI.

S. JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT DE CHANTAL, VIDUÆ.

Missa **Cognóvi**, de Comm. cum tribus Orationibus, ut in Missali, die 21 Augusti.

Et fit comm. S. Zephyrini, Papæ et Mart.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti Zephyríni, Mártyris tui atque Pontíficis, cujus gaudémus méritis, instruámur exémplis. Per Dóminum.

Pro S. Zephyrino. Secreta.

Múnera tibi, Dómine, dicáta sanctífica : et intercedénte beáto Zephyríno, Mártyre tuo atque Pontífice, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum.

Pro S. Zephyrino. Postcommunio.

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine : et intercedénte beáto Zephyríno, Mártyre tuo atque Pontífice, cœléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

¶ Ubi Festum S. Bartholomæi celebratur die xxv. tunc Festum S. Joannæ Franciscæ fit die xxiv. cum sola comm. Vigiliæ ejusdem S. Bartholomæi.

DIE XXVII. AUGUSTI.

S. JOSEPHI CALASANCTII, CONF.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XXVIII. AUGUSTI.

S. AUGUSTINI, EPISC. CONF. ET DOCTORIS.

Missa, cum comm. S. Hermetis, Mart. ut in Missali, hac die.

DIE XXIX. AUGUSTI.

DECOLLAT. S. JOANN. BAPTISTÆ.

Missa, cum comm. S. Sa-

Digitized by Google

binæ, Mart., ut in Missali, hac die.

DIE XXX. AUGUSTI.

S. ROSÆ A S. MARIA, VIRGINIS LIMANÆ.

Missa Dilexísti, de Comm. Virg. cum Oratione propria, ut in Missali, hac die.

Et fit comm. SS. Felicis et Adaucti, Mart. ut ibi.

DIE XXXI. AUGUSTI.

S. RAYMUNDI NONNATI, CONF.

Missa Os justi, de Comm. Conf. non Pont. cum Oratione propria, ut in Missali, hac die.

FESTA SEPTEMBRIS.

DIE I. SEPTEMBRIS.

B. ISABELLÆ, VIRG. II. ORD.

Missa Dilexísti, de Comm. Virg. præter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui beátam Isabéllam Vírginem tuam regáles delícias et mundi glóriam crucis mortificatióni et humilitáti postpónere docuísti : ipsíus méritis precibúsque concéde, mundi hujus blandiménta superáre, et in amplexu tuæ crucis glóriam invenire : Qui vivis.

Et fit comm. S. Ægidii Abb.

Oratio.

INTERCESSIO nos, quæsumus, Dómine, beáti Ægídii Abbátis comméndet : ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur.

Postea SS. duodecim Fratrum, Mart. Oratio.

FRATERNA nos, Dómine, Mártyrum tuórum corona lætíficet : quæ et fídei nostræ præbeat increménta virtútum, et multíplici nos suffrágio consolétur. Per Dóminum.

Secreta.

ACCEPTA tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio, pro tuórum honóre Sanctórum : quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Pro S. Ægidio, Secreta.

SACRIS altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Ægídius Abbas, quæsumus, in salútem nobis proveníre depóscat.

Pro SS. Mart. Secreta.

MYSTERIA tua, Dómine, pro sanctórum Mártyrum tuórum commemoratióne devóta mente tractémus : quibus nobis et præsídium crescat et gáudium. Per Dóminum.

Postcommunio.

SATIASTI, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris : ejus, quæsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Pro S. Ægidio, Postcomm.

PROTEGAT nos, Dómine, cum tui perceptióne sacraménti beátus Ægídius Abbas, pro nobis intercedéndo : ut et conversatiónis ejus experiámur insígnia, et intercessiónis percipiámus suffrágia.

Pro SS. Mart. Postcomm.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus : ut,

Digitized by Google

quorum memóriam sacraménti participatióne recólimus, fidem quoque proficiéndo sectémur. Per Dóminum.

DIE II. SEPTEMBRIS.

S. STEPHANI, HUNGARORUM REGIS, CONF.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE III. SEPTEMBRIS.

BB. JOANNIS ET PETRI, MART. I. ORDINIS.

Missa **Intret**, ut supra die 11 Julii, in festo SS. Nicolai et Soc. Mart. præter Orationem sequentem.

Oratio.

CONCEDE, quæsumus, omnípotens Deus, infirmitáti nostræ præsídium : ut, sicut beatórum Mártyrum tuórum Joánnis et Petri gloriámur triúmphis ; ita eórum constántiam imitári non pígeat, quam celebráre deléctat. Per Dóminum.

DIE IV. SEPTEMBRIS.

S. ROSÆ VITERBIENSIS, VIRG. III. ORDINIS.

Missa **Dilexísti**, de Comm. Virg. præter Orationem sequentem.

Oratio.

DEUS, qui beátam Rosam sanctárum tuárum Vírginum collégio aggregáre dignátus es : tríbue nobis, quæsumus ; ut ejus précibus et méritis a culpis ómnibus expiémur, et tuæ majestátis consórtio perfruámur ætérno. Per Dóminum.

DIE V. SEPTEMBRIS.

S. LAURENTII JUSTINIANI, EPISC. ET CONFESSORIS.

Missa **Státuit**, de Comm. Conf. Pont.

DIE VI. SEPTEMBRIS.

IN ANNIVERSARIO DEDICAT. OMNIUM ECCL. ORDINIS NOSTRI.

Missa **Terríbilis**, de Comm. Dedicat. Ecclesiæ.

Et dicitur **Credo**, per totam Octavam.

DIE VII. SEPTEMBRIS.

INFRA OCT. DEDICATIONIS.

Missa ut in die festi. Secunda Oratio de B. M. V. **Concéde nos**, tertia contra persecutores Ecclesiæ vel pro Papa, ut ponuntur post Dom. in Albis.

DIE VIII. SEPTEMBRIS.

IN FESTO NATIVITATIS B. M. V.

Missa ut in Missali Romano, hac die ; cum commem. in Missis privatis, de S. Adriano, Mart., ut ibi.

DOM. INF. OCT. NATIV.

SS. NOMINIS EJUSDEM B. M. V.

Missa ut in Missali, hac die, cum comm. Dñicæ et ejusdem Evang. in fine.

DIE IX. SEPTEMBRIS.

B. SERAPHINÆ, VIDUÆ II. ORD.

Missa **Cognóvi**, de Comm. non Virg., præter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui per beátam Seraphínam exímium nobis patiéntiæ exémplum tribuísti : præsta supplícibus tuis ; ut et ipsíus instruámur exémplis, et ab ómnibus ejus patrocínio liberémur advérsis. Per Dóminum.

Et fit comm. Oct. Dedicat.

Oratio.

DEUS, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis

Digitized by Google

réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incólumes : exáudi preces pópuli tui, et præsta : ut quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur.

Deinde Oct. Nat. B. M. V.

Oratio.

HAMULIS tuis, quæsumus, Dómine, cœléstis grátiæ munus impertíre : ut, quibus beátæ Vírginis partus éxstitit salútis exórdium, Nativitátis ejus votíva solémnitas pacis tríbuat increméntum.

Postea S. Gorgonii, Mart.

Oratio.

SANCTUS tuus, Dómine, Gorgónius sua nos intercessióne lætíficet : et pia fáciat solemnitáte gaudére. Per Dóminum.

Et dicitur Credo, et Præfatio de Oct. B. M. V.

Secreta.

ACCEPTA tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio, pro tuórum honóre Sanctórum : quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dnum.

Pro Octava Dedicat. Secreta.

ANNUE, quæsumus, Dómine, précibus nostris: (ut, quicúmque intra templi hujus, cujus anniversárium dedicatiónis diem celebrámus, ámbitum continémur, plena tibi atque perfécta córporis et ánimæ devotióne placeámus :) ut, dum hæc vota præséntia réddimus, ad ætérna præmia, te adjuvánte, pervenire mereámur.

℟ Extra Ecclesias consecratas omittitur parenthesis.

Pro Octava Nativit. Secreta.

UNIGENITI tui, Dómine, nobis succúrrat humánitas : ut, qui natus de Vírgine, matris integritátem non mínuit, sed sacrávit ; in Nativitátis ejus solémniis, nostris nos piáculis éxuens, oblatiónem nostram tibi fáciat accéptam Jesus Christus Dóminus noster.

Pro S. Gorgonio, Secreta.

GRATA tibi sit, Dómine, nostræ servitútis oblátio : pro qua sanctus Gorgónius Martyr intervéntor exístat. Per Dóminum.

Postcommunio.

SATIASTI, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris : ejus, quæsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Pro Oct. Dedicat. Postcomm.

DEUS, qui de vivis et eléctis lapídibus ætérnum majestáti tuæ præparas habitáculum : auxiliáre pópulo tuo supplicánti : ut, quod Ecclésiæ tuæ corporálibus próficit spátiis, spirituálibus amplificétur augméntis.

Pro Oct. Nativit. Postcomm.

SUMPSIMUS, Dómine, celebritátis ánnuæ votíva sacraménta ; præsta, quæsumus : ut et temporális vitæ nobis remédia præbeant et ætérnæ.

Pro S. Gorgonio. Postcomm.

FAMILIAM tuam, Deus, suávitas ætérna contíngat et végetet : quæ in Mártyre tuo Gorgónio Christi Fílii tui bono júgiter odóre pascátur: Qui tecum vivit.

Digitized by Google

DIE X. SEPTEMBRIS.

S. NICOLAI DE TOLENT., CONF.

Missa ut in Missali, hac die. Et fit commem. duarum Oct. ut supra.

DIE XI. SEPTEMBRIS.

B. BERNARDI AB OPHYDA, CONF. ORDINIS NOSTRI.

Missa **Justus ut palma**, de Comm. Conf. non Pont., præter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui beáto Bernárdo Confessóri tuo spíritum, quo super egénos et páuperes intellígeret, miserícórditer contulísti : concéde ; ut ejus exémpla secúti, in die mala liberári mereámur. Per Dóminum.

Et fit comm. Octavar. Dedic. et Nativ. B. M. V. ut supra die 9 Sept., postea SS. Proti et Hyacínthi, Mart.

Oratio.

BEATORUM Mártyrum tuórum Proti et Hyacínthi nos, Dómine, fóveat pretiósa conféssio : et pia júgiter intercéssio tueátur. Per Dñum.

Et dicitur **Credo**, et Præfatio de Octava B. M. V.

Pro SS. Mart. Secreta.

PRO sanctórum Mártyrum tuórum Proti et Hyacínthi commemoratióne múnera tibi, Dómine, quæ debémus, exsólvimus : præsta, quæsumus ; ut remédium nobis perpétuæ salútis operéntur. Per Dóminum.

Pro SS. Mart. Postcomm.

UT percépta nos, Dómine, tua sancta purífícent : beatórum Mártyrum tuórum Proti et Hyacínthi, quæsumus, implóret orátio. Per Dóminum.

DIE XII. SEPTEMBRIS.

INFRA OCT. DEDICATIONIS.

Missa ut in die Festi. Et fit comm. Octavæ Nativ. B. M. V. et dic. Orat. iij. de Spíritu sancto, et Præf. de Oct. Nativ.

DIE XIII. SEPTEMBRIS.

IN OCTAVA DEDICAT. OMNIUM ECCL. ORDINIS NOSTRI.

Missa ut in die Festi. Fit comm. Oct. Nativ. B. M. V. et dic. Præfatio de eadem.

DIE XIV. SEPTEMBRIS.

EXALTATIO SS. CRUCIS.

Missa ut in Missali, hac die, cum comm. Oct. Nativ.

DIE XV. SEPTEMBRIS.

OCTAVA NATIVITATIS B. M. V.

Missa ut in die festi, cum comm. S. Nicomedis, Mart., ut in Missali, hac die.

DOM. III. SEPTEMBRIS.

IN FESTO SEPTEM DOLORUM BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Missa ut in Missali Romano, hac die, cum comm. Dñicæ et ejus Evang. in fine.

DIE XVI. SEPTEMBRIS.

SS. CORNELII ET CYPRIANI, PONT. MARTYRUM.

Missa, cum comm. SS. Euphemiæ et Soc. ut in Missali, hac die.

DIE XVII. SEPTEMBRIS.

IN FESTO IMPRESSIONIS SS. STIGMATUM IN CORPORE S. P. N. FRANCISCI, CONFESSORIS.

Introitus. *Gal.* 6.

MIHI autem absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu

Digitized by Google

Christi : per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo.

Ps. 141. Voce mea ad Dóminum clamávi : voce mea ad Dóminum deprecátus sum.

℣. Glória Patri.

Oratio.

DOMINE Jesu Christe, qui frigescénte mundo, ad inflammándum corda nostra tui amóris igne, in carne beatíssimi Patris nostri Francísci passiónis tuæ sacra stígmata renovásti : concéde propítius ; ut ejus méritis et précibus crucem júgiter ferámus, et dignos fructus pœniténtiæ faciámus : Qui vivis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas. c. 6.

FRATRES : Mihi autem absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo. In Christo enim Jesu neque circumcísio áliquid valet, neque præpútium, sed nova creatúra. Et quicúmque hanc régulam secúti fúerint, pax super illos et misericórdia, et super Israël Dei. De cétero nemo mihi moléstus sit : ego enim stígmata Dómini Jesu in córpore meo porto. Grátia Dómini nostri Jesu Christi cum spíritu vestro, fratres. Amen.

Graduale. Ps. 37. Sagíttæ tuæ infíxæ sunt mihi, et confirmásti super me manum tuam.

℣. Dómine, ante te omne desidérium meum, et gémitus meus a te non est abscónditus.

Allelúia, allelúia.

℣. Gal. 2. Christo confíxus sum cruci : vivo autem ego, jam non ego ; vivit vero in me Christus. Allelúia.

In Missis votivis post Septuag., omissis Allelúia, et ℣. sequenti, dicitur :

Tractus. Ps. 20. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei : et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis.

℣. Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur :

Allelúia, allelúia.

℣. Gal. 2. Christo confíxus sum cruci : vivo autem ego, jam non ego ; vivit vero in me Christus. Allelúia.

℣. Francíscus pauper et húmilis, cœlum dives ingréditur, hymnis cœléstibus honorátur. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. c. 16.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam : qui autem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Quid enim prodest hómini, si mundum univérsum lucrétur, ánimæ vero suæ detriméntum patiátur? Aut quam dabit homo commutatiónem pro ánima sua? Fílius enim hóminis

Digitized by Google

ventúrus est in glória Patris sui cum Angelis suis : et tunc reddet unicuíque secúndum ópera ejus.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Ps. 20. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Secreta.

Adsit nobis, quæsumus, Dómine Jesu Christe, beatíssimi Patris nostri Francísci pia, húmilis et devóta supplicátio, in cujus carne, prærogatíva mirábili, passiónis tuæ sacra stígmata renovásti : et præsta ; ut virtúte præséntis oblatiónis, tuæ passiónis circa nos benefícia júgiter sentiámus : Qui vivis.

Præfatio. Qui venerándum Confessórem , ut infra die 4 Octobris.

Communio. Matth. 16. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

Postcommunio.

Deus, qui mira crucis mystéria in beáto Patre nostro Francísco Confessóre tuo multifórmiter demonstrásti : da nobis, quæsumus ; devotiónis suæ semper exémpla sectári, et assídua ejúsdem crucis meditatióne muníri. Per Dóminum.

DIE XVIII. SEPTEMBRIS.

S. JOSEPHI A CUPERTINO, CONF. I. ORDINIS.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XIX. SEPTEMBRIS.

SS. JANUARII, EPISC. ET SOC. MARTYRUM.

Missa Salus autem justórum, de Comm. plurium Martyrum.

DIE XX. SEPTEMBRIS.

SS. EUSTACHII ET SOC., MART.

Missa Sapiéntiam Sanctórum, de Comm. plur. Mart.

Et fit commem. Vigiliæ S. Matthæi, ut in Missali, hac die.

DIE XXI. SEPTEMBRIS.

S. MATTHÆI, APOST. ET EVANG.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XXII. SEPTEMBRIS.

S. THOMÆ A VILLANOVA, EPISC. ET CONFESSORIS.

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont., cum Oratione propria, ut in Missali, hac die. Et fit comm. SS. Mauritii et Soc. Mart., ut ibi.

DIE XXIII. SEPTEMBRIS.

S. LINI, PAPÆ ET MART.

Missa Státuit, de Comm. unius Márt. Pont., cum Orationibus propriis, et comm. S. Theclæ, Virg. et Mart. ut in Missali, hac die.

DIE XXIV. SEPTEMBRIS.

B. MARIÆ VIRG. DE MERCEDE.

Missa Salve sancta Parens, ut in Missis votivis de B. M. V. post Pentec., cum Oratione propria ut in Missali, hac die.

Dicitur Credo, et Præf. de B. M. V. Et te in festivitáte.

DIE XXV. SEPTEMBRIS.

S. PACIFICI A S. SEVERINO, CONF. I. ORDINIS.

Missa Os justi, de Commu-

Digitized by Google

ni Conf. non Pont., præter Orationes sequentes.

Oratio.

LARGITOR ómnium bonórum Deus, qui beátum Pacíficum Confessórem tuum exímiæ patiéntiæ virtúte, et solitúdinis amóre decorásti : ejus nobis intercessióne concéde ; ut per éadem vestígia gradiéntes, éadem assequámur et præmia. Per Dñum.

Secreta.

UT sacrifícium, quod beáti Pacífici interveniénte suffrágio majestáti tuæ offérimus, Dómine, acceptábile tibi, nobísque sit salutáre : fac nos ea cordis humilitáte, eóque spíritus ardóre sacrum mystérium perágere, quo ipse quotídie perégit. Per Dóminum.

Postcommunio.

PRO cœlésti convívio, quo nos excípere dignátus es, Dómine, grátias agéntes, te humíliter deprecámur : ut, qui manducávimus tuam carnem, et bíbimus tuum sánguinem ; intercedénte beáto Pacífico, vitam habeámus ætérnam : Qui vivis.

DIE XXVI. SEPTEMBRIS.

B. LUCIÆ, VIRG. III. ORD.

Missa Dilexísti, de Comm. Virg.

Oratio.

CONCEDE, quæsumus, omnípotens Deus, intercedénte beáta Lúcia Vírgine tua : ut ejus exémplo et imitatióne tibi casto córpore servíre, et mundo corde placére studeámus. Per Dóminum.

Et fit comm. SS. Cypriani et Justinæ, Mart., ut in Missali, hac die.

DIE XXVII. SEPTEMB.

SS. COSMÆ ET DAMIANI, MART.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XXVIII. SEPTEMB.

B. BERNARDINI A FELTRIA, CONF. I. ORD.

Introitus. *Ps.* 71.

LIBERABIT páuperem a poténte, et páuperem, cui non erat adjútor : ánimas páuperum salvas fáciet : ex usúris et iniquitáte rédimet ánimas eórum.

Ps. 40. Beátus, qui intélligit super egénum et páuperem ; in die mala liberábit eum Dóminus.

℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui ad fidéles pópulos e vitiórum cœno liberándos, beátum Bernardínum apostólico zelo inflammáre dignátus es : præsta, quæsumus ; ut ejus intercessióne a peccátis ómnibus expediti, ad cœléstem pátriam perducámur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 45.

DILECTUS Deo et homínibus, cujus memória in benedictióne est. Símilem illum fecit in glória Sanctórum, et magnificávit eum in timóre inimicórum, et in verbis suis monstra placávit. Glorificávit illum in conspéctu regum, et jussit illi coram pópulo suo, et osténdit illi glóriam suam. In fide et lenitáte ipsíus sanctum fecit illum, et elégit eum ex omni carne. Audívit enim eum, et

Digitized by Google

vocem ipsíus, et indúxit illum in nubem. Et dedit illi coram præcépta, et legem vitæ et disciplínæ.

Graduale. Eccli. 48. Surréxit quasi ignis, et verbum ipsíus quasi fácula ardébat.

℣. Sap. 10. In fraude circumveniéntium illum ádfuit illi Dóminus : custodívit illum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : et dedit illi claritátem ætérnam.

Allelúia, allelúia.

℣. Isaiæ 25. Factus est fortitúdo páuperi, fortitúdo egéno in tribulatióne sua. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 9.

In illo témpore : Convocátis Jesus duódecim Apóstolis, dedit illis virtútem et potestátem super ómnia dæmónia, et ut languóres curárent. Et misit illos prædicáre regnum Dei, et sanáre infírmos. Et ait ad illos : Nihil tuléritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecúniam, neque duas túnicas habeátis. Et in quamcúmque domum intravéritis, ibi manéte, et inde ne exeátis. Et quicúmque non recéperint vos, exeúntes de civitáte illa, étiam púlverem pedum vestrórum excútite in testimónium supra illos. Egréssi autem circuíbant per castélla, evangelizántes et curántes ubíque.

Offertorium. Isaiæ 43. Cum transíeris per aquas, tecum ero, et flúmina non opérient te : quia ego Dóminus salvátor tuus.

Secreta.

Immaculatum Agnum, qui tollit peccáta mundi, tibi, Dómine, immolámus, supplíciter exorántes : ut beáto Bernardíno intercedénte, delictórum véniam consequámur. Per eúmdem Dóminum.

Communio. Sap. 10. Dedit illi Dóminus sciéntiam Sanctórum : honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus.

Postcommunio.

Angelorum esca recreáti te, Dómine, humíliter deprecámur : ut per mérita et intercessiónem beáti Bernardíni Confessóris tui, nos fácias ab omni malo córporis et ánimæ liberári. Per Dóminum.

DIE XXIX. SEPTEMBRIS.

IN DEDICAT. S. MICHAELIS, ARCHANGELI.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XXX. SEPTEMBRIS.

S. HIERONYMI, PRESB. CONF. ET DOCTORIS.

Missa In médio, de Comm. Doct., cum Orationibus propriis, ut in Missali, hac die.

FESTA OCTOBRIS.

DOMINICA I. OCTOBRIS.

SS. ROSARII B. MARIÆ VIRGINIS.

Missa ut in Missali, hac die.

Et fit comm. Dñicæ, et dicitur ejus Evang. in fine.

DIE I. OCTOBRIS.

S. REMIGII, EPISC. ET CONF.

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont.

Digitized by Google

DIE II. OCTOBRIS.

SS. ANGELORUM CUSTODUM.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE III. OCTOBRIS.

IN FESTO TRANSLATIONIS S. CLARÆ, VIRG.

Missa Vultum tuum, ut supra, die 12 Augusti, fol. 80, præter seq.

Oratio.

BEATÆ Vírginis tuæ Claræ votívam translatiónem recoléntes, quæsumus, Dómine: ut ejus méritis et imitatióne cœléstium gaudiórum partícipes éffici mereámur. Per Dóminum.

Et fit com. Vigiliæ S. P. N. Francisci, ut in sequenti Missa propria. Et non dicitur Credo.

Secreta.

OBLATA tibi, quæsumus, Dómine, dona sanctífica: quæ majestáti tuæ accépta fáciat beátæ Vírginis tuæ Claræ intercéssio veneránda. Per Dóminum.

Postcommunio.

PROTEGANT, quæsumus, Dómine, plebem tuam gloriósæ Vírginis tuæ Claræ continuáta præsídia: et sumpta pro illíus glória córporis tui sacri et pretiósi sánguinis sacraménta: Qui vivis et regnas.

In fine legitur Evangelium Vigiliæ.

EADEM DIE III. OCT.

IN VIGILIA S. P. N. FRANCISCI, CONFESSORIS.

Introitus. *Ps.* 141.

EDUC de custódia ánimam meam ad confiténdum nómini tuo: me exspéctant justi, donec retríbuas mihi.

Ps. ibid. Voce mea ad Dóminum clamávi: voce mea ad Dóminum deprecátus sum.

℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui supérbis resístis, et grátiam præstas humílibus: da nobis, quæsumus, intercedénte beáto Patre nostro Francísco, cujus solémnia prævenímus, supérbe non sápere, sed tibi plácita humilitáte profícere; ut per ejus vestígia gradiéntes, dona tuæ grátiæ consequámur. Per Dóminum.

Secunda Oratio de S. Maria, Concéde, tertia Ecclésiæ, vel pro Papa.

Léctio Epístolæ beáti Petri Apóstoli. 2. Petri 1.

FRATRES: Magis satágite, ut per bona ópera certam vestram vocatiónem et electiónem fáciátis: hæc enim faciéntes non peccábitis aliquándo. Sic enim abundánter ministrábitur vobis introítus in ætérnum regnum Dómini nostri et Salvatóris Jesu Christi. Propter quod incípiam vos semper commonére de his, et quidem sciéntes et confirmátos vos in præsénti veritáte. Justum autem árbitror, quámdiu sum in hoc tabernáculo, suscitáre vos in commonitióne, certus, quod velox est depositio tabernáculi mei, secúndum quod et Dóminus noster Jesus Christus significávit mihi. Dabo autem óperam, et frequénter habére vos post

Digitized by Google

óbitum meum, ut horum memóriam faciátis.

Graduale. Ps. 141. Clamávi ad te, Dómine, dixi : Tu es spes mea, pórtio mea in terra vivéntium.

℣. Inténde ad deprecatiónem meam, quia humiliátus sum nimis.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 9.

In illo témpore : Dicébat Jesus : Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam quotídie, et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet illam : nam qui perdíderit ánimam suam propter me, salvam fáciet illam. Quid enim próficit homo, si lucrétur univérsum mundum, se autem ipsum perdat, et detriméntum sui fáciat ? Nam qui me erubúerit et meos sermónes, hunc Fílius hóminis erubéscet, cum vénerit in majestáte sua et Patris, et sanctórum Angelórum.

Offertorium. Ps. 141. Effúndo in conspéctu ejus oratiónem meam, et tribulatiónem meam ante ipsum pronúntio.

Secreta.

Sancti Francísci Confessóris tui, Dómine, festivitátem oblátis donis prævenímus, te supplíciter deprecántes : ut his divínis expiáti mystériis, dígnius tanti Patris honorificémus triúmphum. Per Dóminum.

Secunda Secreta de S. Maria, Tua, Dómine, tertia Ecclésiæ, vel pro Papa.

Communio. Ps. 141. In deficiéndo ex me spíritum meum, et tu cognovísti sémitas meas.

Postcommunio.

Cœléstia, quæ súmpsimus, Dómine, sacraménta, beáti Patris nostri Francísci natalítia prævenientes, múniant nos, quæsumus, et inflámment : ut in tuo júgiter simus et obséquio stábiles, et amóre fervéntes. Per Dóminum.

Secunda Postcommunio de S. Maria. Sumptis Dómine, tertia Ecclésiæ, vel pro Papa.

Digitized by Google

DIE IV. OCTOBRIS.

IN SOLEMNITATE

SERAPHICI S. P. N. FRANCISCI, CONF.

TRIUM ORDINUM INCLYTI FUNDATORIS.

Introitus.

GAUDEAMUS omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beáti Francísci : de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei.

Ps. 32. Exsultáte justi in Dómino : rectos decet collaudátio.

℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui Ecclésiam tuam beáti Patris nostri Francísci méritis fœtu novæ prolis amplíficas : tríbue nobis, ex ejus imitatióne terréna despícere, et cœléstium donórum semper participatióne gaudére. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas. c. 6.

FRATRES : Mihi autem absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo. In Christo enim Jesu neque circumcísio áliquid valet, neque præpútium, sed nova creatúra. Et quicúmque hanc régulam secúti fúerint, pax super illos et misericórdia, et super Israel Dei. De cétero nemo mihi moléstus sit: ego enim stígmata Dómini Jesu in córpore meo porto. Grátia Dómini nostri Jesu Christi cum spíritu vestro, fratres. Amen.

Graduale. Ps. 72. Quid mihi est in cœlo ? et a te quid vólui super terram ?

℣. Defécit caro mea et cor meum : Deus cordis mei, et pars mea Deus in ætérnum.

Allelúia, allelúia.

℣. Francíscus pauper et húmilis, cœlum dives ingréditur, hymnis cœléstibus honorátur. Allelúia.

Post Septuagesimam, omissis Allelúia, et Versu sequenti, dicitur :

Tractus. Ps. 111. Beátus vir qui timet Dóminum : in mandátis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen ejus : generátio rectórum benedicétur.

℣. Glória et divítiæ in domo ejus : et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur :

Allelúia, allelúia.

℣. Francíscus pauper et húmilis, cœlum dives ingréditur, hymnis cœléstibus honorátur. Allelúia.

℣. Ps. 15. Notas mihi fecísti vias vitæ, adimplébis me lætítia cum vultu tuo : delectatiónes in déxtera tua usque in finem. Allelúia.

Digitized by Google

✠ sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

C. 11.

In illo témpore : Respóndens Jesus, dixit : Confíteor tibi, Pater, Dómine cœli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Ita Pater : quóniam sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo. Et nemo novit Fílium, nisi Pater : neque Patrem quis novit, nisi Fílius, et cui volúerit Fílius reveláre. Veníte ad me omnes, qui laborátis et onerátí estis et ego refíciam vos. Tóllite jugum meum super vos, et díscite a me, quia mitis sum et húmilis corde : et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve.

Et dicitur Credo, per Octavam.

Offertorium. Ps. 72. Mihi autem adhærére Deo bonum est : pónere in Dómino Deo spem meam.

Secreta.

Dunera tibi, Dómine, dicáta sanctífica : et intercedénte beáto Patre nostro Francísco, ab omni nos culpárum labe purífica. Per Dóminum.

Sequens Præfatio dicitur in omnibus Festis S. Francisci ac per Octavas eorum, in Officio per annum, in Missis votivis de S. Patre, et in Festo Omnium Sanctorum Ordinis Minorum.



Digitized by Google



per et u-bí-que grá-ti-as á-ge-re Dó-mi-ne san-

cte, Pa-ter om-ní-potens, ætér-ne De-us : Qui



ve-ne-rán-dum Con-fes-só-rem, fá-mu-lum tuum be-



á-tum Fran-cí-scum tu-a Deus al-tís-sima bo-



ni-tá-te et cle-mén ti-a, Sanctórum tu-ó-rum mé-



ri-tis et virtú-ti-bus subli-má-sti : men-témque i-



psíus sancti Spíritus opera-ti-ó-ne a-mor ille se-rá-



phi-cus ardentíssime incéndit in-té-ri-us : cujús-



que corpus sacris stigmátibus in-si-gnívit ex-té-ri-us,



signo cruci-fí-xi Jesu Christi Dó-mi-ni no-stri.



Per quem maje-státem tuam lau-dant An-ge-li, ad-

Digitized by Google



Eódem Præfatio sine cantu.

PER ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.

℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

℟. Dignum et justum est.

VERE dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper et ubíque grátias ágere : Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus : Qui venerándum Confessórem, fámulum tuum beátum Francíscum, tua Deus altíssima bonitáte et cleméntia, Sanctórum tuórum méritis et virtútibus sublimásti : mentémque ipsíus sancti Spíritus operatióne amor ille seráphicus ardentíssime incéndit intérius : cujúsque corpus sacris stigmátibus insignívit extérius, signo crucifíxi Jesu Christi Dómini nostri. Per quem majestátem tuam laudant Angeli, adórant Dominatiónes, tremunt Potestátes. Cœli, cœlorúmque Virtútes, ac beáta Séraphim, sócia exsultatióne concélebrant. Cum quibus et nostras voces, ut admítti júbeas deprecámur, súpplici confessióne dicéntes.

Communio. Luc. 12. Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam : ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio.

ECCLESIAM tuam, quæsumus, Dómine, grátia cœléstis amplíficet : quam beáti Patris nostri Francísci Confessóris tui illumináre voluísti gloriósis méritis et exémplis. Per Dóminum.

¶ Quando de S. P. Francisco fit Officium per annum atque in Missis votivis, dici-

Digitized by Google

tur eadem Missa, excepto Introitu, qui dicitur ut sequitur.

Introitus. *Gal.* 6.

QUIHI autem absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo.

Ps. 141. **Voce mea ad Dóminum clamávi : voce mea ad Dóminum deprecátus sum.**

℣. **Glória Patri.**

Et non dicitur **Credo.**

¶ Die crastina, nisi fuerit Dominica vel festum duplex majus occurrens, in toto Ordine Nostro fit Commemoratio omnium Fratrum Defunctorum. Missæ omnes, præter unam tantum Conventualem de die post Tertiam, dicuntur de **Réquiem,** quæ est prima pro Defunctis, et in iis dicitur una Oratio tantum **Deus, véniæ largítor,** cum sua Secreta et Postcommunione, omissis verbis **propínquos et benefactóres.** Missa principalis pro Defunctis dicitur post Nonam.

Si autem sequenti die fuerit Dominica vel festum duplex majus occurrens, dicta Commemoratio omnium Fratrum Defunctorum eodem modo fit die 6 Octobris, non obstante festo S. Brunonis, Conf.

DIE V. OCTOBRIS.

DE OCTAVA S. P. N. FRANCISCI, CONFESSORIS.

Missa ut in die. Et fit commem. SS. Placidi et Soc. Mart., ut in Missali, hac die, et tertia Oratio de S. Maria. **Concéde nos,** ut ponitur post Dominicam in Albis, quæ etiam iij. loco dicitur in festis semiduplicibus infra hanc Oct. occurrentibus.

DIE VI. OCTOBRIS.

S. BRUNONIS, CONFESSORIS.

Missa **Os justi,** de Comm. Conf. non Pont. cum Orat. ut in Missali, hac die.

Fit comm. Oct. S. P. N. Francisci, et dicitur **Credo,** nec non Præf. de Octava.

DIE VII. OCTOBRIS.

S. MARIÆ FRANCISCÆ A V. VULNERIBUS CHRISTI, VIRG. III. ORD.

Missa **Dilexísti,** de Comm. Virginum, præter Orationes sequentes.

Oratio.

DOMINE Jesu, qui beátam MaríamFranciscamVírginem inter céteras dotes in mundi contémptu mirábilem effecísti : ejus, quæsumus, méritis et intercessióne, concéde nobis terréna despícere, et cœléstia semper inquírere : Qui vivis et regnas.

Et fit comm. Oct. S. P. N. Francisci, ut supra ; postea S. Marci, Papæ et Conf., et SS. Sergii, etc. Mart., ut in Missali, hac die. Dicitur **Credo** et Præf. de Octava.

Secreta.

ACCIPE, Dómine, múnera, quæ in beátæ Maríæ Francíscæ Vírginis celebritáte deférimus, cujus nos patrocíniis muníri confídimus. Per Dóminum.

Postcommunio.

QUÆSUMUS, omnípotens Deus : ut, qui cœléstia

Digitized by Google

percépimus aliménta : per hæc, beáta María Francísca Vírgine tua exoránte, ab ómnibus liberémur advérsis. Per Dóminum.

DIE VIII. OCTOBRIS.

S. BIRGITTÆ, VIDUÆ.

Missa ut in Missali, hac die. Et fit commemor. Oct. S. P. N. Francisci. Dicitur Credo, et Præfat. Oct.

DOM. II. OCTOBRIS.

MATERNITATIS B. MARIÆ VIRG.

Introítus. *Sedulius.*

SALVE sancta parens, enísxa puérpera Regem : qui cœlum terrámque regit in sæcula sæculórum.

Ps. 44. Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea regi.

℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti: præsta supplícibus tuis ; ut, qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúmdem Dóminum.

Et fit comm. Dominicæ occurrentis.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 24.

EGO quasi vitis fructificávi suavitátem odóris : et flores mei, fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis : in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini : spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient : et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur : et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Graduale. Isai. 11. Egrediétur virga de radíce Jesse, et flos de radíce ejus ascéndet.

℣. Et requiéscet super eum Spíritus Dómini.

Allelúia, allelúia.

℣. Isai. 7. Ecce Virgo concípiet, et páriet fílium, et vocábitur nomen ejus Emmánuel. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 2.

IN illo témpore : Cum redírent, remánsit puer Jesus in Jerúsalem, et non cognovérunt paréntes ejus. Existimántes autem illum esse in comitátu, venérunt iter diéi, et requirébant eum inter cognátos et notos. Et non inveniéntes regréssi sunt in Jerúsalem, requiréntes eum. Et factum est, post tríduum invenérunt illum in templo, sedéntem in médio doctórum, audiéntem illos et interrogántem eos. Stupébant autem omnes, qui eum audiébant, super prudéntia et respónsis ejus. Et vidéntes admiráti sunt. Et dixit mater ejus ad illum : Fili, quid fecísti nobis sic ? ecce pater

Digitized by Google

tuus et ego doléntes quærebámus te. Et ait ad illos: Quid est quod me quærebátis? nesciebátis, quia in his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse? Et ipsi non intellexérunt verbum, quod locútus est ad eos. Et descéndit cum eis, et venit Názareth: et erat súbditus illis.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Matth. 1. Cum esset desponsáta mater ejus María Joseph, invénta est in útero habens de Spíritu sancto.

Secreta.

TUA, Dómine, propitiatióne, et beátæ Maríæ semper Vírginis, Unigéniti tui matris, intercessióne, ad perpétuam, atque præséntem hæc oblátio nobis proficiat prosperitátem et pacem. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de B. Maria. Et te in Festivitáte.

Communio. Beáta víscera Maríæ Vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium.

Postcommunio.

HÆC nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et intercedénte beáta Vírgine Dei genitríce María, cœléstis remédii fáciat esse consórtes. Per eúmdem Dóminum.

In fine legitur Evang. Dominicæ.

DIE IX. OCTOBRIS.

SS. DIONYSII, RUSTICI ET ELEUTHERII, MART.

Missa ut in Missali, hac die.

Comm. Octavæ S. P. N. Francisci, et 3 Orat. de B., Concéde nos. Dicitur Credo, et Præfatio Octavæ.

DIE X. OCTOBRIS.

S. FRANCISCI BORGIÆ, CONF.

Missa ut in Missali, hac die. Comm. Oct. S. P. N. Francisci, et 3 Orat. de B. Concéde nos. Dicitur Credo, et Præfatio Octavæ.

DIE XI. OCTOBRIS.

IN OCTAVA S. P. N. FRANCISCI, CONFESSORIS.

Missa sicut in die Festi.

DIE XII. OCTOBRIS.

S. SERAPHINI DE MONTE GRANARIO, CONF. ORD. NOSTRI.

Missa Justus ut palma, de Comm. Conf. non Pont., præter Orationem sequentem.

Oratio.

DEUS, qui in corde beáti Seraphíni amóris tui flammas excitásti: ejus, quæsumus, nobis intercessióne concéde; ut illíus vestígia sectántes, ísdem ardóribus accendámur. Per Dóminum.

Et dicitur Credo.

DIE XIII. OCTOBRIS.

SS. DANIELIS ET SOCIORUM, MART. I. ORD.

Introitus. *Eccli.* 45.

SAPIENTIAM Sanctórum narrent pópuli: et laudes eórum núntiet ecclésia: nómina autem eórum vivent in sæculum sæculi.

Ps. 32. Exsultáte justi in Dómino: rectos decet collaudátio.

℣. Glória Patri.

Oratio.

FRATERNA nos, Dómine, Mártyrum tuórum coróna lætíficet: quæ et fídei

Digitized by Google

nostræ præbeat increménta virtútum, et multíplici nos suffrágio consolétur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

2. Cor. 6.

FRATRES : Exhibeámus nosmetípsos sicut Dei ministros in multa patiéntia, in tribulatiónibus, in necessitátibus, in angústiis, in plagis, in carcéribus, in seditiónibus, in labóribus, in vigíliis, in jejúniis, in castitáte, in sciéntia, in longanimitáte, in suavitáte, in Spíritu sancto, in caritáte non ficta, in verbo veritátis, in virtúte Dei, per arma justítiæ a dextris et a sinístris, per glóriam et ignobilitátem, per infámiam et bonam famam : ut seductóres, et veráces : sicut qui ignóti, et cógniti : quasi moriéntes, et ecce vívimus : ut castigáti, et non mortificáti : quasi tristes, semper autem gaudéntes: sicut egéntes, multos autem locupletántes : tamquam nihil habéntes, et ómnia possidéntes.

Graduale. Ps. 33. Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos : et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

℣. Juxta est Dóminus his, qui tribuláto sunt corde : et húmiles spíritu salvábit.

Allelúia, allelúia.

℣. Hæc est vera fratérnitas, quæ vicit mundi crímina : Christum secúta est, ínclyta tenens regna cœléstia. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. 6. 6.

IN illo témpore : Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campéstri, et turba discipulórum ejus, et multitúdo copiósa plebis ab omni Judæa et Jerúsalem, et marítima, et Tyri et Sidónis, qui vénerant, ut audírent eum, et sanaréntur a languóribus suis. Et qui vexabántur a spirítibus immúndis, curabántur. Et omnis turba quærébat eum tángere : quia virtus de illo exíbat, et sanábat omnes. Et ipse, elevátis óculis in discípulos suos, dicébat : Beáti páuperes : quia vestrum est regnum Dei. Beáti, qui nunc esurítis: quia saturabímini. Beáti, qui nunc fletis : quia ridébitis. Beáti éritis, cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint et ejécerint nomen vestrum tamquam malum, propter Fílium hóminis. Gaudéte in illa die, et exsultáte : ecce enim merces vestra multa est in cœlo.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Ps. 140. Exsultábunt Sancti in glória, lætabúntur in cubílibus suis: exaltatiónes Dei in fáucibus eórum. Allelúia.

Secreta.

ITERATA mystéria Dómine, pro sanctórum Mártyrum tuórum commemoratióne devóta mente tractémus : quibus præsídium nobis crescat et gáudium. Per Dóminum.

Communio. Matth. 10. Quod dico vobis in ténebris,

Digitized by Google

dícite in lúmine, dicit Dóminus : et quod in aure audítis, prædicáte super tecta.

Postcommunio.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus : ut, quorum memóriam sacraménti participatióne recólimus, fidem quoque proficiéndo sectémur. Per Dóminum.

DIE XIV. OCTOBRIS.

S. CALLIXTI, PAPÆ ET MART.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XV. OCTOBRIS.

S. TERESIÆ, VIRGINIS.

Missa **Dilexísti**, de Communi Virginum, cum Oratione propria, ut in Missali, hac die.

DOM. III. OCTOBRIS.

PURITATIS B. MARIÆ VIRG.

Introitus. *Sedulius.*

SALVE, sancta parens, enixa puérpera regem: qui cœlum terrámque regit in sæcula sæculórum.

Ps. 44. Eructávit cor meum verbum bonum; dico ego ópera mea regi.

℣. Glória Patri.

Oratio.

DA, quæsumus, omnípotens ætérne Deus : ut purissimæ Vírginis Maríæ integérrimam Virginitátem festíva celebritáte veneránte, ejus intercessióne puritátem mentis et córporis consequámur. Per Dóminum.

Et fit comm. Dñicæ occurr.

Lectio libri Sapiéntiæ. Cant. 2.

EN diléctus meus lóquitur mihi : Surge, própera, amica mea, colúmba mea, formósa mea, et veni. Jam enim hiems tránsiit, imber ábiit et recéssit. Flores apparuérunt in terra nostra : tempus putatiónis advénit : vox túrturis audíta est in terra nostra : ficus prótulit grossos suos : víneæ floréntes dedérunt odórem suum. Surge, amíca mea, speciósa mea, et veni : colúmba mea, in foramínibus petræ, in cavérna macériæ : osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis : vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra.

Graduale. Cant. 2. **Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias.**

℣. **Diléctus meus mihi, et ego illi, qui páscitur inter lília.**

Allelúia, allelúia.

℣. Cant. 6. Quæ est ista, quæ progréditur quasi auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta.

Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 1.

IN illo témpore : Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen vírginis María. Et ingréssus Angelus ad eam, dixit : Ave grátia plena ; Dóminus tecum : benedícta tu in muliéribus. Quæ cum audísset, turbáta est in sermóne ejus : et cogitábat qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei : Ne tímeas María, invenísti enim grátiam apud Deum : ecce

Digitized by Google

concípies in útero et páries fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus : et regnábit in domo Jacob in ætérnum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem María ad Angelum : Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco ? Et respóndens Angelus, dixit ei : Spíritus sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. Et dicitur Credo.

Offertorium. Post partum Virgo inviolàta permansísti ; Dei génitrix, intercéde pro nobis.

Secreta.

UNIGENITI tui, Dómine, nobis succúrrat humánitas : ut, qui natus de Vírgine, matris integritátem non mínuit, sed sacrávit ; in Puritátis ejus solémniis, nostris nos piáculis éxuens, oblatiónem nostram tibi fáciat accéptam Jesus Christus Dóminus noster : Qui tecum vivit et regnat.

Præfátio de B. Maria. Et te in Festivitáte.

Communio. Benedícta et venerábilis es, Virgo María : quæ sine tactu pudóris, invénta es mater Salvatóris.

Postcommunio.

SUMPTIS, Dómine, salútis nostræ subsídiis : da, quæsumus, puríssimæ Vírginis Maríæ patrocíniis nos ubíque prótegi, in cujus veneratióne hæc tuæ obtúlimus majestáti. Per Dóminum.

In hac legitur Evangelium ejusdem Dñice.

DIE XVI. OCTOBRIS.

S. EDUARDI, CONFESSORIS.

Missa Os justi, de Communi Conf. non Pont., cum Oratione propria, ut in Missali, die 13 Octobris.

DIE XVII. OCTOBRIS.

S. HEDWIGIS, VIDUÆ.

Missa Cognóvi, de Communi, cum Oratione propria, ut in Missali, hac die.

DIE XVIII. OCTOBRIS.

S. LUCÆ, EVANGELISTÆ.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XIX. OCTOBRIS.

S. PETRI DE ALCANTARA, CONF. I. ORDINIS.

Introitus. *Ps.* 91.

JUSTUS ut palma florébit, sicut cedrus Líbani multiplicábitur : plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri.

Ps. ibid. Bonum est confitéri Dómino : et psállere nómini tuo, Altíssime.

℣ Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui beátum Petrum Confessórem tuum admirábilis pœniténtiæ, et altíssimæ contemplatiónis múnere illustráre dignátus es : concéde propítius ; ut ejus suffragántibus méritis, carne mortificáti, cœléstium donórum partícipes fíeri mereámur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Philippénses. c. 3.

FRATRES : Quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus sum propter Christum detrimenta. Verúmtamen exístimo ómnia detriméntum

Digitized by Google

esse propter eminéntem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei : propter quem ómnia detrimentum feci, et árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam, et invéniar in illo, non habens meam justítiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi Jesu : quæ ex Deo est justítia in fide, ad cognoscéndum illum, et virtútem resurrectiónis ejus, et societátem passiónum illíus, configurátus morti ejus. Si quo modo occúrram ad resurrectiónem, quæ est ex mórtuis : non quod jam accéperim, aut jam perféctus sim : sequor autem si quo modo comprehéndam, in quo et comprehénsus sum a Christo Jesu.

Graduale. Ps. 36. Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus : et non supplantabúntur gressus ejus.

Allelúia, allelúia.

℣. Crucis cultor óptime, sancte Petre, norma veræ sanctitátis, ímpetra nobis tuis précibus fructus dignos pœniténtiæ, ut tecum simus ætérnæ glóriæ consórtes. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 12.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nolíte timére, pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Véndite, quæ possidétis, et date eleemósynam. Fácite vobis sácculos, qui non veteráscunt, thesáurum non deficiéntem in cœlis, quo fur non appropiat, neque tínea corrúmpit. Ubi enim thesáurus vester est, ibi et cor vestrum erit.

Offertorium. Ps. 20. In virtúte tua, Dómine, lætábitur justus, et super salutáre tuum exsultábit veheménter : desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

Secreta.

Oblationem nostram, quæsumus, Dómine, sancti Petri méritis placátus assúme : quam, dum in carne víveret, puríssimis mánibus contrectávit et óbtulit. Per Dóminum.

Communio. Matth. 19. Amen dico vobis, quod vos, qui reliquístis ómnia, et secúti estis me, céntuplum accipiétis, et vitam ætérnam possidébitis.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut beáti Petri Confessóris tui semper facta sectántes, fructum, quem de cœlésti hoc aliménto percépit, ipsi quoque percípere mereámur. Per Dóminum.

DIE XX. OCTOBRIS.

S. ELZEARII, CONF. III. ORDINIS.

Missa Os justi, de Comm. Conf. non Pont., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Elzeárium Confessórem tuum, inter cétera virtútum insígnia, virgináli pudicítia in conjúgio decorásti : concéde propítius ; ut cujus sacra solémnia celébriter vene-

Digitized by Google

rámur in terris, ejus beáta consórtia felíciter consequámur in cœlis. Per Dóminum.

Evang. Nolíte timére, ex Missa Justus ut palma.

DIE XXI. OCTOBRIS.

SS. URSULÆ ET SOCIARUM, VIRG. ET MART.

Introitus. *Ps.* 118.

LOQUEBAR de testimóniis tuis in conspéctu regum, et non confundébar : et meditábar in mandátis tuis, quæ diléxi nimis.

Ps. ibid. Beáti immaculáti in via : qui ámbulant in lege Dómini.

℣. Glória Patri.

Oratio.

DA nobis, quæsumus, Dómine Deus noster, sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum Ursulæ et Sociárum ejus palmas incessábili devotióne venerári : ut, quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

Et fit com. S. Hilarionis, Abbatis.

Oratio.

INTERCESSIO nos, quæsumus Dómine, beáti Hilariónis Abbátis comméndet : ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

1. Cor. 7.

FRATRES : De virgínibus præcéptum Dómini non hábeo : consílium autem do tamquam misericórdiam consecútus a Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri? noli quærere solutiónem. Solútus es ab uxóre? noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccásti, et si núpserit virgo, non peccávit : tribulatiónem tamen carnis habébunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico, fratres : tempus breve est : réliquum est, ut et qui habent uxóres, tamquam non habéntes sint : et qui flent, tamquam non flentes : et qui gaudent, tamquam non gaudéntes : et qui emunt, tamquam non possidéntes : et qui utúntur hoc mundo, tamquam non utántur : præterit enim figúra hujus mundi. Volo autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollícitus est, quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est, quæ sunt mundi, quómodo pláceat uxóri, et divísus est. Et múlier innúpta, et virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore et spíritu : in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale. Ps. 44. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem.

℣. Propterea unxit te, Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ.

Allelúia, allelúia.

℣. ibid. Adducéntur regi vírgines post eam, próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia. Allelúia.

Digitized by Google

✠Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. c. 25.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quinque prudéntes: sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum: prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt: Date nobis de óleo vestro, quia lámpades nostræ extinguúntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes: Ne forte non sufficiat nobis et vobis: ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus: et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est jánua. Novíssime vero véniunt et réliquæ vírgines dicéntes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait: Amen dico vobis, néscio vos. Vigiláte ítaque, quia nescítis diem, neque horam.

Offertorium. Ps. 44. Afferéntur regi vírgines post eam: próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia et exultatióne: adducéntur in templum regi Dómino.

Secreta.

Intende, quæsumus, Dómine, múnera altáribus tuis pro sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum Ursulæ et Sociárum ejus festivitáte propósita: ut, sicut per hæc beáta mystéria illis glóriam contulísti, ita nobis indulgéntiam largiáris. Per Dóminum.

Pro S. Hilarione. Secreta.

Sacris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Hilárion Abbas, quæsumus, in salútem nobis proveníre depóscat. Per Dóminum.

Communio. Ps. 118. Confundántur supérbi, quia injúste iniquitátem fecérunt in me: ego autem in mandátis tuis exercébor, in tuis justificatiónibus, ut non confúndar.

Postcommunio.

Præsta nobis, quæsumus, Dómine, intercedéntibus sanctis Virgínibus et Martyribus tuis: ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Pro S. Hilarione.

Postcommunio.

Protegat nos, Dómine, cum tui perceptióne sacraménti beátus Hilárion Abbas, pro nobis intercedéndo: ut et conversatiónis ejus experiámur insígnia, et intercessiónis percipiámus suffrágia. Per Dóminum.

DIE XXII. OCTOBRIS.

B. LADISLAI, CONF. I. ORDINIS.

Missa Justus ut palma, de Comm. Conf. non Pont. præter Orationem sequentem.

Digitized by Google

Oratio.

DEUS, qui beátum Ladislaum religiósa perfectióne voluísti ómnibus prælucére; concéde propítius; ut ejus exémplo in virtútibus júgiter proficiámus. Per Dóminum.

DIE XXIII. OCTOBRIS.

S. JOANNIS A CAPISTRANO, CONF. I. ORDINIS.

Introitus. *Habac.* 3

EGO autem in Dómino gaudébo, et exultábo in Deo Jesu meo: Deus Dóminus fortitúdo mea.

Ps. 80. Exultáte Deo adjutóri nostro: jubiláte Deo Jacob.

℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui Ecclésiam tuam beáti Joánnis méritis et doctrínis mirabíliter sublimásti, et per eum de pérfidis tyránnis in virtúte sanctíssimi nóminis Jesu fidéles tuos triumpháre fecísti: præsta, quæsumus; ut de inimícis nostris ejus intercessióne prævaléntes in terris, præmiári cum ipso mereámur in cœlis. Per eúmdem Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Sap. 10.

JUSTUM dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. In fraude circumveniéntium illum ádfuit illi, et honéstum fecit illum. Custodívit illum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, et certámen forte dedit illi, ut vínceret, et sciret, quóniam ómnium poténtior est sapiéntia. Hæc vénditum justum non derelíquit, sed a peccatóribus liberávit eum, descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum.

Graduale. Exodi 15. Fortitúdo et laus mea Dóminus, et factus est mihi in salútem: iste Deus meus, et glorificábo eum.

℣. Dóminus quasi vir pugnátor: omnípotens nomen ejus.

Allelúia, allelúia.

℣. O zelátor fídei, persecútor hæreticórum, lumen virtútum, exterminátor turcárum, prædicátor egrégie, doctor populórum, Joánnes fidelíssime Ordinis Minórum, esto nobis præsídium e regno Beatórum. Allelúia.

✠S equéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 9.

IN illo témpore: Convocátis Jesus duódecim Apóstolis, dedit illis virtútem et potestátem super ómnia dæmónia, et ut languóres curárent. Et misit illos prædicáre regnum Dei, et sanáre infírmos. Et ait ad illos: Nihil tuléritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecúniam, neque duas túnicas habeátis. Et in quamcúmque domum intravéritis, ibi manéte, et inde ne exeátis. Et quicúmque non recéperint vos, exeúntes de civitáte illa, étiam púlverem pedum vestrórum excútite in testimónium supra illos. Egréssi autem circuíbant per

Digitized by Google

castélla, evangelizántes et curántes ubíque.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Eccli. 46. Invocávit Altíssimum poténtem in oppugnándo inimícos úndique : et audívit illum magnus et sanctus Deus.

Secreta.

SACRIFICIUM, Dómine, quod immolámus, placátus intende : ut, intercedénte beáto Joánne Confessóre tuo, ad conteréndas inimicórum insídias nos in tuæ protectiónis securitáte constítuat. Per Dóminum.

Communio. Sap., 10. Decantavérunt, Dómine, nomen sanctum tuum, et victrícem manum tuam laudavérunt.

Postcommunio.

REPLETI alimónia cœlésti et spirituáli póculo recreáti, quæsumus, omnípotens Deus : ut intercedénte beáto Joánne Confessóre tuo nos ab hoste malígno deféndas, et Ecclésiam tuam perpétua pace custódias. Per Dóminum.

DIE XXIV. OCTOBRIS.

S. RAPHAELIS, ARCHANGELI.

Introitus. *Ps.* 102.

BENEDICITE Dóminum omnes Angeli ejus, poténtes virtúte, qui fácitis verbum ejus ad audiéndam vocem sermónum ejus.

Ps. ibid. Bénedic ánima mea Dómino : et ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto ejus.

℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui beátum Raphaélem Archángelum Tobíæ fámulo tuo cómitem dedísti in via : concéde nobis fámulis tuis ; ut ejúsdem semper protegámur custódia, et muniámur auxílio. Per Dóminum.

Léctio libri Tobíæ. c. 12.

IN diébus illis : Dixit Angelus Ráphael ad Tobíam : Etenim sacraméntum regis abscóndere bonum est : ópera autem Dei revelare et confitéri honorificum est. Bona est orátio cum jejúnio, et eleemósyna magis, quam thesáuros auri recóndere : quóniam eleemósyna a morte líberat, et ipsa est, quæ purgat peccáta, et facit invenire misericórdiam et vitam ætérnam. Qui autem fáciunt peccátum et iniquitátem, hostes sunt ánimæ suæ. Manifésto ergo vobis veritátem, et non abscóndam a vobis occúltum sermónem. Quando orábas cum lácrymis, et sepeliébas mórtuos, et derelinquébas prándium tuum, et mórtuos abscondébas per diem in domo tua, et nocte sepeliébas eos, ego óbtuli oratiónem tuam Dómino : et quia accéptus eras Deo, necésse fuit, ut tentátio probáret te. Et nunc misit me Dóminus, ut curárem te, et Saram uxórem fílii tui a dæmónio liberárem. Ego enim sum Ráphael Angelus, unus ex septem, qui adstámus ante Dóminum.

Graduale. Tob. 8. Angelus Dómini Ráphael apprehéndit, et ligávit dæmonem.

Digitized by Google

℣. Ps. 144. Magnus Dóminus noster, et magna virtus ejus.

Allelúia, allelúia.

℣. Ps. 137. In conspéctu Angelórum psallam tibi, adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo, Dómine. Allelúia.

In Missis votivis post Septuag., omissis Allelúia, et ℣. sequenti, dicitur :

Tractus. Ps. 148. Laudáte Dóminum omnes Angeli ejus: laudáte eum omnes virtútes ejus.

℣. Ps. 102. Benedícite Dóminum omnes virtútes ejus : minístri ejus, qui fácitis voluntátem ejus.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur.

Allelúia, allelúia.

℣. Ps. 102. Bénedic ánima mea Dóminum : et ómnia interióra mea nomen sanctum ejus. Allelúia.

℣. Tob. 5. Missus est Angelus Dómini sanctus Ráphael a Deo ad Tobíam, et salutávit eum, et dixit : Gáudium sit tibi semper. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. c. 5.

In illo témpore : Erat dies festus Judæórum, et ascéndit Jesus Jerosólymam. Est autem Jerosólymis probática piscína, quæ cognomináture hebráice Bethsáida, quinque pórticus habens. In his jacébat multitúdo magna languéntium, cæcórum, claudórum, aridórum, expectántium aquæ motum. Angelus autem Dómini descendébat secúndum tempus in piscínam, et movebátur aqua. Et qui prior descendísset in piscínam post motiónem aquæ, sanus fiébat a quacúmque detinebátur infirmitáte.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Apoc. 8. Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuríbulum áureum in manu sua : et data sunt ei incénsa multa, et ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dei.

Secreta.

Hostias tibi, Dómine, laudis offérimus, supplíciter deprecántes : ut eásdem, angélico pro nobis interveniénte suffrágio, et placátus accípias, et ad salútem nostram provenire concédas. Per Dóminum.

Communio. Dan. 3. Benedícite, omnes Angeli Dómini, Dóminum : hymnum dícite, et superexaltáte eum in sæcula.

Postcommunio.

Dirigere dignáre, Dómine Deus, in adjutórium nostrum sanctum Raphaélem Archángelum : et quem tuæ majestáti semper assístere crédimus, tibi nostras exíguas preces benedicéndas assígnet. Per Dóminum.

DIE XXV. OCTOBRIS.

S. WENCESLAI, MARTYRIS.

Missa In virtúte, de Comm. unius Mart. cum Orat. propria ut in Missali, die 28 Septembris.

Et fit comm. SS. Chrysanthi et Dariæ, Mart., ut in Missali, hac die.

Digitized by Google

DIE XXVI. OCTOBRIS.

B. BONAVENTURÆ A POTENTIA, CONF. I. ORDINIS.

Missa **Os justi,** de Communi Conf. non Pont. præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui in beáto Bonaventúra Confessóre tuo exímium obediéntiæ exémplum constitúere dignátus es : præsta, quæsumus ; ut ejus imitatióne voluntátem nostram abnegántes, mandátis tuis perpétuo inhærére valeámus. Per Dóminum.

Et fit comm. S. Evaristi, Papæ et Mart. cum Orationibus de Missa **Státuit,** in Comm. unius Mart. Pont.

DIE XXVII. OCTOBRIS.

S. IVONIS, CONF. III. ORDINIS.

Missa **Justus ut palma,** de Communi Conf. non Pont., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Ivónem Confessórem tuum piis opéribus, signis et virtútibus in Ecclésia tua clarére fecísti : præsta, quæsumus ; ut ejus méritis et précibus tua benefícia capiámus. Per Dóminum.

Evangelium **Sint lumbi,** ex Missa **Os justi,** de eodem Communi.

Fit comm. Vigiliæ SS. Apost. Simonis et Judæ, ut in Missali, hac die, et legitur ejusdem Evang. in fine.

DIE XXVIII. OCTOBRIS.

SS. SIMONIS ET JUDÆ, APOST.

Missa ut in Missali hac die.

DIE XXIX. OCTOBRIS.

S. JOANNIS CANTII, CONF.

Missa ut in Missali, die 20 Octobris.

DIE XXX. OCTOBRIS.

B. ANGELI AB ACRIO, CONF. ORDINIS NOSTRI.

Missa **Justus ut palma,** de Comm. Conf. non Pont., præter Orationem sequentem.

Oratio.

Deus, qui in Sanctis tuis, mirabilis in omnípotens Deus, qui beáti Angeli spíritum ad te ipsum tráhere dignátus es : ejus méritis et intercessióne concéde, cuncta nos terréna respúere et in amóre supérnæ pátriæ contínua cœléstium meditatióne roborári. Per Dóminum.

DIE XXXI. OCTOBRIS.

IN VIGILLIA OMNIUM SANCTORUM.

Missa ut in Missali, hac die.

FESTA NOVEMBRIS.

DIE I. NOVEMBRIS.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Missa ut in Missali Romano.

℣. Infra Octavam Missa dicitur ut in die festi : Oratio secunda de Spíritu sancto, **Deus, qui corda Fidélium.** Tertia **Ecclésiæ tuæ,** vel pro Papa, ut notatur post Missas votivas de B. M. V.

Et dicitur **Credo.**

DIE II. NOVEMBRIS.

IN COMMEMORATIONE OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM.

Missa **Réquiem ætérnam,**

Digitized by Google

quæ est prima pro Defunctis.

¶ Si autem secunda die Novembris fuerit Dñica, dicta Comm. Omnium Fidelium Defunctorum fit Feria secunda sequenti.

DIE IV. NOVEMBRIS.

S. CAROLI BORROMÆI, EPISC. ET CONFESSORIS.

Missa ut in Missali, hac die, cum comm. Octavæ, atque SS. Vitalis et Agricolæ, Martyrum, ibi.

DIE VIII. NOVEMBRIS.

IN OCT. OMNIUM SANCTORUM.

Missa ut in die Festi. Et fit comm. SS. Quatuor Coronatorum, Mart. ut in Missali, hac die.

DOM. II. NOVEMBRIS.

IN FESTO PATROCINII B. M. V.

Missa **Salve, sancta parens,** ut a Pentecoste ad Adventum, cum comm. Dnicæ, et ejus Evangelio in fine. Dicitur **Credo,** et Præfatio : **Et te in Festivitáte.**

DIE IX. NOVEMBRIS.

DEDICATIO BASILICÆ SS. SALVATORIS.

Missa de Comm. Dedicationis. Et fit comm. S. Theodori, Mart. cum Orationibus de Missa **Lætábitur,** in Communi unius Mart.

DIE X. NOVEMBRIS.

S. ANDREÆ AVELLINI, CONF.

Missa **Os justi,** de Comm. Conf. non Pont. cum Oratione propria, ut in Missali, hac die. Et fit comm. SS. Tryphonis et Soc. ut ibi.

DIE XI. NOVEMBRIS.

S. MARTINI, EPISC. ET CONF.

Missa, cum comm. S. Mennæ, Mart., ut in Missali, hac die.

DIE XII. NOVEMBRIS.

S. DIDACI, CONF. I. ORDINIS.

Introitus. *Ps.* 91.

JUSTUS ut palma florébit, sicut cedrus Líbani multiplicábitur : plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri.

Ps. ibid. Bonum est confitéri Dómino : et psállere nómini tuo, Altíssime.

℣. Glória Patri.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui dispositióne mirábili infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas : concéde propítius humilitáti nostræ ; ut piis beáti Dídaci Confessóris tui précibus ad perénnem in cœlis glóriam sublimári mereámur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

I. Cor. i. et 2.

FRATRES : Vidéte vocatiónem vestram, quia non multi sapiéntes secúndum carnem, non multi poténtes, non multi nóbiles : sed quæ stulta sunt mundi, elégit Deus, ut confúndat sapiéntes : et infírma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia : et ignobília mundi, et contemptibília elégit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrúeret : ut non gloriétur omnis caro in conspéctu ejus. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui

Digitized by Google

factus est nobis sapiéntia a Deo et justítia, et sanctificátio et redémptio ; ut, quemádmodum scriptum est : Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Et ego cum veníssem ad vos, fratres, veni non in sublimitáte sermónis aut sapiéntiæ, annúntians vobis testimónium Christi. Non enim judicávi me scire áliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifíxum.

Graduale. Ps. 20. Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

℣. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum sæculi.

Allelúia, allelúia.

℣. Ps. 91. Justus ut palma florébit : sicut cedrus Líbani multiplicábitur. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. c. 18

In illo témpore : Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes : Quis, putas, major est in regno cœlórum ? Et ádvocans Jesus párvulum, státuit eum in médio eórum, et dixit : Amen dico vobis : nisi convérsi fuéritis, et efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cœlórum. Quicúmque ergo humiliáverit se sicut párvulus iste, hic est major in regno cœlórum. Et qui suscéperit unum párvulum talem in nómine meo, me súscipit. Qui autem scandalizáverit unum de pusíllis istis, qui in me credunt, éxpedit ei, ut suspendátur mola asinária in collo ejus, et demergátur in profúndum maris.

Et dicitur **Credo.**

Offertorium. Ps. 20. **In virtúte tua, Dómine, lætábitur justus, et super salutáre tuum exultábit veheménter : desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.**

Secreta.

Hæc hóstia, quæsumus, Dómine, quam in sancti Dídaci Confessóris tui solemnitáte offérimus, ipso étiam intercedénte, et víncula nostræ pravitátis absólvat, et tuæ nobis misericórdiæ dona concíliet. Per Dóminum.

Communio. Matth. 19. **Amen dico vobis, quod vos, qui reliquístis ómnia, et secúti estis me, céntuplum accipiétis, et vitam ætérnam possidébitis.**

Postcommunio.

Deus, qui famíliam tuam, his sacrifíciis purgátam, beáti Dídaci Confessóris tui celebritáte lætíficas : concéde, quæsumus : ut ejus humilitátis et patiéntiæ imitétur vestígia, et ad gáudia pervéniat sempitérna. Per Dóminum.

DIE XIII. NOVEMBRIS.

S. MARTINI, PAPÆ ET MART.

Missa ut in Missali, die 12 Novembris.

DIE XIV. NOVEMBRIS.

B. GABRIELIS, CONF. I. ORDINIS.

Missa **Os justi**, de Comm. Conf. non Pont., præter Orat. seq.

Oratio.

Deus, qui a sede majestátis tuæ humília bení-

Digitized by Google

gnus réspicis, et alta a longe cognóscis : concéde fámulis tuis ; ut beáti Gabriélis Confessóris tui méritis et exémplo, mundi vanitátem ac sæculi desidéria abnegántes, promíssa humílibus præmia cónsequi mereámur. Per Dóminum.

DIE XV. NOVEMBRIS.

S. GERTRUDIS, VIRGINIS.

Missa Dilexísti, de Comm. Virg., cum Oratione propria, ut in Missali, hac die.

DIE XVI. NOVEMBRIS.

S. AGNETIS ASSISIENSIS, SORORIS S. CLARÆ, VIRG. II. ORD.

Missa Dilexísti, de Comm. Virg., præter Orationem sequentem.

Oratio.

DOMINE Jesu Christe, qui beátam Agnétem multis virgínibus evangélicæ perfectiónis exémplum et ducem præposuísti : da, quæsumus ; ut spíritus ille seráphicus, quem sapiénter dócuit ac sanctitátis exémplis mirífice confirmávit, purus in nobis júgiter persevéret : Qui vivis et regnas.

DIE XVII. NOVEMBRIS.

B. SALOMEÆ, VIRG. II. ORD.

Missa Dilexísti, de Comm. Virg. præter Orationem sequentem.

Oratio.

DEUS, qui in beáta Salómea terréni regni contémptum cum virginitátis candóre in connúbio sociásti : concéde nobis, quæsumus ; ut ejus exémplo tibi casto et húmili corde serviéntes, immarcessíbilem corónam glóriæ in cœlis cónsequi mereámur. Per Dóminum.

DIE XVIII. NOVEMBRIS.

DEDICATIO BASILICARUM SS. APOST. PETRI ET PAULI.

Missa de Communi Dedicationis, dicitur Credo.

DIE XIX. NOVEMBRIS.

S. ELISABETH, VIDUÆ III. ORD.

Introitus. *Ps.* 118.

COGNOVI, Dómine, quia æquitas judícia tua, et in veritáte tua humiliásti me : confíge timóre tuo carnes meas : a mandátis tuis tímui.

Ps. ibid. Beáti immaculáti in via : qui ámbulant in lege Dómini.

℣. Glória Patri.

Oratio.

QUORUM corda fidélium, Deus miserátor, illústra : et beátæ Elísabeth précibus gloriósis fac nos próspera mundi despícere ; et cœlésti semper consolatióne gaudére. Per Dóminum.

Et fit comm. S. Pontiani, Papæ et Mart. Oratio.

INFIRMITATEM nostram réspice, omnípotens Deus : et quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Pontiáni Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

1. Tim. 5.

CHARISSIME : Víduas honóra, quæ vere víduæ sunt. Si qua autem vídua fílios aut nepótes habet, discat primum domum suam régere, et mu-

Digitized by Google

tuam vicem réddere paréntibus : hoc enim accéptum est coram Deo. Quæ autem vere vídua est et desoláta, speret in Deum, et instet obsecratiónibus et oratiónibus nocte ac die. Nam quæ in delíciis est, vivens mórtua est. Et hoc præcipe, ut irreprehensíbiles sint. Si quis autem suórum, et máxime domesticórum curam non habet, fidem negávit, et est infidéli detérior. Vídua eligátur non minus sexagínta annórum, quæ fúerit uníus viri uxor, in opéribus bonis testimónium habens, si fílios educávit, si hospítio recépit, si sanctórum pedes lavit, si tribulatiónem patiéntibus subministrávit, si omne opus bonum subsecúta est.

Graduale. Ps. 44. Diffúsa est grátia in lábiis tuis : propterea benedíxit te Deus in ætérnum.

℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Allelúia, allelúia.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. c. 13.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile est regnum cœlórum thesáuro abscóndito in agro ; quem qui invénit homo, abscóndit, et præ gáudio illíus vadit, et vendit univérsa, quæ habet, et emit agrum illum. Iterum símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri, quærénti bonas margarítas. Invénta autem una pretiósa margaríta, ábiit et véndidit ómnia, quæ hábuit, et emit eam. Iterum símile est regnum cœlórum sagénæ missæ in mare, et ex omni génere píscium congregánti. Quam, cum impléta esset, educéntes, et secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in consummatióne sæculi : exíbunt Angeli, et separábunt malos de médio justórum, et mittent eos in camínum ignis : ibi erit fletus et stridor déntium. Intellexístis hæc ómnia ? Dicunt ei : Etiam. Ait illis : Ideo omnis scriba doctus in regno cœlórum, símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesáuro suo nova et vétera.

Offertorium. Ps. 44. Diffúsa est grátia in lábiis tuis : proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, et in sæculum sæculi.

Secreta.

Múnera, Dómine, nostræ devotiónis offérimus : ut tibi grata et nobis salutária beátæ Elísabeth pia supplicatióne reddántur. Per Dóminum.

Pro S. Pontiano, Secreta.

Hóstias tibi, Dómine, beáti Pontiáni, Mártyris tui atque Pontíficis, dicátas méritis, benígnus assúme: et ad perpétuum nobis tríbue provenire subsídium. Per Dóminum.

Communio. Ibid. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : proptérea unxit te

Digitized by Google

Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Postcommunio.

Quos, Dómine, salutáribus dignátus es reparáre mystériis : beátæ Elísabeth, quæsumus, intercessióne cœléstibus semper nútrias aliméntis. Per Dóminum.

Pro S. Pontiano. Postcomm.

Refecti participatióne múneris sacri, quæsumus, Dómine Deus noster : ut, cujus exéquimur cultum, intercedénte beáto Pontiáno, Mártyre tuo atque Pontífice, sentiámus effectum. Per Dóminum.

DIE XX. NOVEMBRIS.

S. FELICIS DE VALOIS, CONF.

Missa Justus, de Comm. cum Oratione propria ut in Missali, hac die.

DIE XXI. NOVEMBRIS.

IN FESTO PRÆSENTATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XXII. NOVEMBRIS.

S. CÆCILIÆ, VIRG. ET MART.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XXIII. NOVEMBRIS.

S. CLEMENTIS, PAPÆ ET MART.

Missa, cum comm. S. Felicitatis, Mart., ut in Missali, hac die.

DIE XXIV. NOVEMBRIS.

S. JOANNIS A CRUCE, CONF.

Missa, cum comm. S. Chrysogoni, Mart., ut in Missali, hac die.

DIE XXV. NOVEMBRIS.

S. CATHARINÆ, VIRG. ET MART.

Missa Loquébar, de Comm. Virg. Mart., cum Oratione propria, ut in Missali, hac die.

DIE XXVI. NOVEMBRIS.

S. LEONARDI A PORTU MAURITIO, CONF. I. ORDINIS.

Introitus. *Isai.* 58.

Dominus implébit splendóribus ánimam tuam, et ossa tua liberábit, et eris quasi hortus irríguus, et sicut fons aquárum, cujus non defíciunt aquæ.

Ps. 80. Exultáte Deo adjutóri nostro : jubiláte Deo Jacob.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui in obstinátis peccatórum córdibus ad pœniténtiam flecténdis beátum Leonárdum Confessórem tuum ópere et sermóne poténtem effecísti ; da quæsumus ; ut per ejus preces et mérita e córdibus nostris contritiónis lácrymas elícere valeámus. Per Dóminum.

Et fit comm. S. Petri Alexandrini, Episc. et Mart.

Oratio.

Infirmitatem nostram réspice, omnípotens Deus : et quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Petri, Mártyris tui atque Pontíficis, intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. c. 1.

Fratres : Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui benedíxit nos in omni benedictióne spirituáli in cœlésti-

Digitized by Google

bus in Christo, sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti et immaculáti in conspéctu ejus in charitáte. Qui prædestinávit nos in adoptiónem filiórum per Jesum Christum in ipsum : secúndum propósitum voluntátis suæ, in laudem glóriæ grátiæ suæ, in qua gratificávit nos in dilécto Fílio suo. In quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum secúndum divítias grátiæ, quæ superabundávit in nobis in omni sapiéntia et prudéntia. Ut notum fáceret nobis sacraméntum voluntátis suæ, secúndum beneplácitum ejus, quod propósuit in eo, in dispensatiónem plenitúdinis témporum, instauráre ómnia in Christo, quæ in cœlis, et quæ in terra sunt in ipso. In quo étiam et nos sorte vocáti sumus, prædestináti secúndum propósitum ejus, qui operátur ómnia secúndum consílium voluntátis suæ : ut simus in laudem glóriæ ejus nos, qui ante sperávimus in Christo. In quo et vos, cum audissétis verbum veritátis (Evangélium salútis vestræ), in quo et credéntes signáti estis in Spíritu promissiónis sancto, qui est pignus hæreditátis nostræ, in redemptiónem acquisitiónis in laudem glóriæ ipsíus.

Graduale. Ps. 91. Justus ut palma florébit : sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini.

℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúia, allelúia.

℣. Isai. 52. Quam pulchri super montes pedes annuntiántis et prædicántis pacem : annuntiántis bonum, prædicántis salútem. Allelúia.

Post Septuag. omissis Allelúia, et versu sequenti, dicitur :

Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum : in mandátis ejus cupit nimis.

℟. Potens in terra erit semen ejus : generátio rectórum benedicétur.

℣. Glória et divítiæ in domo ejus : et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Temp. Pasch. omittitur Graduale, et ejus loco dicitur :

Allelúia, allelúia.

℣. Ibid. Beátus vir, qui timet Dóminum ; in mandátis ejus cupit nimis. Allelúia.

℣. Osee. 14. Justus germinábit sicut lílium, et florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 10.

In illo témpore : Designávit Dóminus et álios septuagínta duos : et misit illos binos ante fáciem suam, in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis : Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite : ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum, neque peram, neque

Digitized by Google

calceaménta : et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite : Pax huic dómui : et si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra : sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes et bibéntes, quæ apud illos sunt : dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitátem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte quæ apponúntur vobis : et curáte infírmos, qui in illa sunt, et dícite illis : Appropinquávit in vos regnum Dei.

Offertorium. 2. Cor. 3.

Non sumus sufficiéntes cogitáre áliquid a nobis, quasi ex nobis : sed sufficiéntia nostra ex Deo est, qui et idóneos nos fecit minístros novi testaménti.

Secreta.

IMMACULATAM hóstiam tibi, Dómine, offérimus deprecántes ; ut, sancti Leonárdi Confessóris interveniénte suffrágio, semper in nobis dilécti Fílii tui passiónis memória persevéret et fructus. Per eúmdem Dóminum.

Pro S. Petro. Secreta.

HOSTIAS tibi, Dómine, beáti Petri, Mártyris tui atque Pontíficis, dicátas méritis, benígnus assúme : et ad perpétuum nobis tríbue provenire subsídium. Per Dóminum.

Communio. 2. Cor. 3. Pro Christo legatióne fúngimur, tamquam Deo exhortánte per nos. Obsecrámus pro Christo, reconciliámini Deo.

Postcommunio.

QUITO antícipent nos misericórdiæ tuæ, quæsumus, Dómine, intercedénte sancto Confessóre tuo Leonárdo : ut a culpis expiáti, in electórum número esse mereámur. Per Dóminum.

Pro S. Petro. Postcomm.

REFECTI participatióne múneris sacri, quæsumus, Dómine Deus noster : ut, cujus exéquimur cultum, intercedénte beáto Petro, Mártyre tuo atque Pontífice, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

Digitized by Google

MISSÆ OFFICIORUM VOTIVORUM

ORDINI CONCESSORUM.

DE SS. SACRAMENTO. Missa **Cibávit** inter votivas in Missali. Dicitur **Glória in excélsis,** sed non **Credo.**

DE IMMAC. CONCEPT. B. M. V. Missa **Gaudens gaudébo,** ut in die festi. Dicitur **Glória in excélsis,** sed non **Credo.** Præfatio: **Et te in Conceptióne Immaculáta.**

DE S. P. N. FRANCISCO. Missa ut in die festi, 4 Octóbris, cum Introitu: **Mihi autem absit,** ut 17 Septembris, et Præfatio propria. Dicitur **Glória in excélsis,** sed non **Credo.**

DE S. CLARA ASSIS. VIRGINE. Missa ut in die festi, 12 Augusti. Dicitur **Glória in excélsis,** sed non **Credo.**

DE S. BONAVENTURA, EPISC., CONF. ET DOCT. Missa ut in die festi, 14 Julii. Dicitur **Glória in excélsis,** sed non **Credo.**

DE S. ANTONIO DE PADUA, CONFESSORE. Missa ut in die festi, 13 Junii. Dicitur **Glória in excélsis,** sed non **Credo.**

Imprimatur.

Mechliniæ, die 7 Januarii 1890.

† PETRUS LAMBERTUS, CARD. GOOSSENS,
Archiepiscopus Mechlinien.

Digitized by Google

DIE XXII. DECEMBRIS.

IN FESTO

B. GRATIÆ A CATHARO

LAICI PROFESSI

ORDINIS EREMITARUM S. AUGUSTINI.

Introitus. Psalm. 91.

JUSTUS ut palma florébit : sicut cedrus Líbani multiplicábitur : plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. Ps. ibid. Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui beátum Grátiam singulári pœniténtiæ virtúte decorásti : præsta quæsumus ; ut post illíus vestígia grádiéntes, dignos fructus pœniténtiæ faciámus. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios

1. Cor. 4. b.

FRATRES : Spectáculum facti sumus mundo, et Angelis, et homínibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudéntes in Christo : nos infírmi, vos autem fortes : vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam et esurímus, et sitímus, et nudi sumus, et cólaphis cædimur, et instábiles sumus, et laborámus operántes mánibus nostris : maledícimur, et benedícimus : persecutiónem pátimur, et sustinémus : blasphemámur, et obsecrámus : tamquam purgaménta hujus mundi facti sumus, ómnium peripséma usque adhuc. Non ut confúndam vos, hæc scribo, sed ut fílios meos caríssimos móneo, in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale. Ps. 36. Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus : et non supplantabúntur gressus ejus.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum : in mandátis ejus cupit nimis. Allelúia.

¶ Post Septuagesimam, omissis Allelúia, et versu sequenti, dicitur :

Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum : in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus : generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória, et divítiæ in domo ejus : et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

¶ Temp. Pasch. omittitur Graduale et ejus loco dicitur : Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum : in mandátis ejus cupit nimis. Allelúia. ℣. Osee 14. Justus germinábit sicut lílium : et florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 12. d.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nolíte timére pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare

Digitized by Google

vobis regnum. Véndite quæ possidétis, et date eleemósynam. Fácite vobis sácculos, qui non veteráscunt, thesáurum non deficiéntem in cœlis : quo fur non appropiat, neque tínea corrúmpit. Ubi enim thesáurus vester est, ibi et cor vestrum erit.

Offertorium. Ps. 20. In virtúte tua, Dómine, lætábitur justus, et super salutáre tuum exsultábit veheménter; desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

Secreta.

OFFERIMUS tibi Dómine immaculátum corpus fílii tui Dómini nostri Jesu Christi ; quem íntuens in Altári beátus Grátia summo gáudio exsultávit. Per eúmdem Dóminum.

Communio. Matth. 19. Amen dico vobis : quod vos, qui reliquístis ómnia et secúti estis me, céntuplum accipiétis, et vitam ætérnam possidébitis.

Postcommunio.

SUMPTA mystéria, quæsumus Dómine, illum córdibus nostris caritátis tuæ ignem infúndant ; quem beátus Grátia ad hanc sacram mensam accédens, præferébat. Per Dóminum.

Imprimi potest.

Mechliniæ, die 26 Martii 1890.

† PETRUS LAMBERTUS, Card. GOOSSENS,
Archiepiscopus Mechlinien.

Digitized by Google

MISSÆ PROPRIÆ SANCTORUM

Civium et Patronorum Urbis Panormi

NOVISSIME ADPROBATÆ.

DIE IX. DECEMBRIS.

SS. EUSTOTII, PROCULI ET GOLBODÆI MART.

Introitus. *Psalm.* 32.

Ecce óculi Dómini super metuéntes eum, et in eis qui sperant super misericórdia ejus, ut éruat a morte ánimas eórum, et alat eos in fame. Ps. ibid. Exsultáte justi in Dómino : rectos decet collaudátio. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Excelsa nos, Dómine, Sanctórum Mártyrum tuórum Eustótii, Próculi et Golbodæi coróna lætíficet, quæ et fídei nostræ præbeat increménta virtútum, et multíplici nos suffrágio consolétur. Per Dóminum.

Léctio libri Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli. Cap. 7.

In diébus illis : Respóndit unus de senióribus, et dixit mihi : Hi, qui amícti sunt stolis albis, qui sunt? et unde venérunt? Et dixi illi : Dómine mi, tu scis. Et dixit mihi : Hi sunt, qui venérunt de tribulatióne magna, et lavérunt stolas suas, et dealbavérunt eas in sánguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei, et sérviunt ei die ac nocte in templo ejus : et qui sedet in throno, habitábit super illos. Non esúrient, neque sítient ámplius, nec cadet super illos sol, neque ullus æstus : quóniam Agnus, qui in médio throni est, reget illos, et dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum, et abstérget Deus omnem lácrymam ab óculis eórum.

Graduale. Ps. 33. Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos, et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos. ℣. Juxta est Dóminus his qui tribuláto sunt corde, et húmiles spíritu salvábit.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 67. Justi epuléntur, et exsúltent in conspéctu Dei, et delecténtur in lætítia. Allelúia.

Evangelium. Sedénte Jesu super montem Olivéti, de Comm. plur. Mart. iij. loco.

Offertorium. Hebr. 11. In solitudínibus errántes, in móntibus, et spelúncis, et in cavérnis terræ.

Secreta.

Hostias tibi, Dómine, pro Sanctórum Mártyrum tuórum Eustótii, Próculi et Golbodæi commemoratióne deférimus, supplíciter deprecántes, ut indulgéntiam nobis páriter cónferant, et salútem. Per Dóminum.

Communio. Eccli. 44. Córpora Sanctórum in pace sepúlta sunt, et nómina eórum vivent in generatiónem, et generatiónem.

Postcommunio.

Corporis sacri et pretiósi sánguinis repléti libámi-

Digitized by Google

ne, quæsumus Dómine Deus noster, ut quod pia devotióne gérimus intercedéntibus sanctis Martyribus tuis Eustótio, Próculo et Golbodæo, certa redemptióne capiámus. Per Dóminum.

DIE X. JANUARII.

SS. AGATHONIS, PAPÆ CONF. PATR. PRINC.

Introitus. *Psalm.* 131.

Sacerdotes tui Dómine, índuant justítiam, et Sancti tui exsúltent : propter David servum tuum non avértas fáciem Christi tui. Ps. ibid. **Meménto Dómine David, et omnis mansuetúdinis ejus.** ℣. Glória Patri.

Oratio.

Pateant aures misericórdiæ tuæ, Dómine, précibus supplicántium, et contínuis tribulatiónibus laborántes, intercedénte beáto Agathóne, Confessóre tuo atque Pontífice, propítius respiráre concéde. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccl. 44. et 45.

Benedictio Dómini super caput justi. Ideo dedit illi Dóminus hereditátem, et divísit illi partem in tríbubus duódecim : et invénit grátiam in conspéctu omnis carnis. Et magnificávit eum in timóre inimicórum, et in verbis suis monstra placávit. Glorificávit illum in conspéctu regum, et jussit illi coram pópulo suo, et osténdit illi glóriam suam. In fide et lenitáte ipsíus sanctum fecit illum, et elégit eum ex omni carne. Et dedit illi coram præcépta, et legem vitæ et disciplínæ, et excélsum fecit illum. Státuit ei testaméntum ætérnum, et circumcínxit eum zona justítiæ, et índuit eum Dóminus corónam glóriæ.

Graduale. Eccl. 44. **Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo.** ℣. **Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.**

Alelúia, allelúia. ℣. Ps. 109. **Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech. Allelúia.**

Evangelium. **Homo péregre.** de Communi Conf. Pont.). loco.

Credo per totam Octavam, Præfatio et **Communicántes** de Epiphania per Octavam ejusdem.

Offertorium. Hebr. 5. **Nec quisquam sibi sumit honórem, sed qui vocátur a Deo tamquam Aaron.**

Secreta.

Hannue nobis, quæsumus Dómine, ut intercessióne beáti Agathónis hæc nobis prosit oblátio, quam immolándo, totíus mundi tribuísti relaxári delícta. Per Dóminum.

Communio. Num. 16. 47. **Obtulit Aaron thymiáma, et pro pópulo deprecátus est, et plaga cessávit.**

Postcommunio.

Quæsumus, Dómine Deus noster, ut quos divínis reparáre non désinis sacraméntis, intercedénte beáto Agathóne, Confessóre tuo atque Pontífice, tuis non destítuas benígnus auxíliis. Per Dóminum.

Digitized by Google

DIE XXI. FEBRUARII.

SS. CLAUDII, SABINI ET MAXIMI, MARTYRUM.

Introitus. *Eccl.* 44.

SAPIENTIAM Sanctórum narrent pópuli, et laudes eórum núntiet Ecclésia : nómina autem eórum vivent in sæculum sæculi. Ps. 32. Exsultáte justi in Dómino : rectos decet collaudátio. ℣. Glória Patri.

Oratio.

MAJESTATEM tuam, Dómine, supplíciter exorámus, ut intercedéntibus sanctis Martyribus tuis Cláudio, Sabíno et Máximo, eorúmque sóciis, a cunctis malis, quibus incessánter afflígimur, te miseránte, liberémur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Cap. 10.

REDDIDIT Deus justis mercédem labórum suórum, et dedúxit illos in via mirábili, et fuit illis in velamento diéi, et in luce stellárum per noctem : tránstulit illos per mare rubrum, et transvéxit illos per aquam níniam. Inimícos autem illórum demérsit in mare, et ab altitúdine inferórum edúxit illos. Ideo justi tulérunt spólia impiórum, et decantavérunt, Dómine, nomen sanctum tuum, et victrícem manum tuam laudavérunt páriter, Dómine Deus noster.

Graduale. Sap. 3. Justórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum mortis. ℣. Visi sunt óculis insipiéntium mori, illi autem sunt in pace.

Tractus. Fulgébunt justi, et tamquam scintíllæ in arundinéto discúrrent. ℣. Judicábunt natiónes, et dominabúntur pópulis. ℣. Et regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

Evang. Cum audiéritis, de Comm. plur. Mart. j. loco.

Offertorium. Ps. 31. Lætámini in Dómino, et exsultáte justi, et gloriámini omnes recti corde.

Secreta.

PRO sanctórum Mártyrum tuórum Cláudii, Sabíni et Máximi eorúmque sociórum commemoratióne, múnera tibi, Dómine, quæ debémus, exsólvimus : præsta quæsumus, ut remédium nobis perpétuæ salútis operéntur. Per Dóminum.

Communio. Ps. 67. Justi epuléntur, et exsúltent in conspéctu Dei, et delecténtur in lætítia.

Postcommunio.

UT percépta nos, Dómine, tua sancti purífícent, beatórum Mártyrum tuórum Cláudii, Sabíni et Máximi eorúmque sociórum, quæsumus, implóret orátio. Per Dóminum.

DIE XXVI. FEBRUARII.

S. JOANNIS THERISTI, ABBATIS.

Introitus. *Psalm.* 36.

OS justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium, lex Dei ejus in corde ipsíus. Ps. ibid. Noli æmulári in malignántibus, neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri.

Oratio.

SUPPLICATIONES pópuli tui, quæsumus Dómine, cle-

ménter exáudi, et intercessióne beáti Joánnis Abbátis temporálibus non destituátur auxíliis, et spirituálibus semper proficiat increméntis. Per Dóminum.

Epistola. Quæ mihi fuérunt lucra. de Comm. Conf. non Pont. iij. loco.

Graduale. Ps. 83. Beátus vir, cujus est auxílium abs te: ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrymárum, in loco quem pósuit. ℣. Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem: vidébitur Deus deórum in Sion.

Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum, in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus, generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus, et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Evangelium. Ecce nos relíquimus ómnia. de Comm. Abbatum.

Offertorium. Ps. 20. Dómine prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Secreta.

HOSTIAS, Dómine, tuæ plebis inténde et quas in honórem sancti Joánnis devóta mente concélebrat, profícere sibi séntiat ad salútem. Per Dóminum.

Communio. Ps. 20. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Postcommunio.

PROTEGAT nos, Dómine, cum tui perceptióne sacraménti beátus Joánnes abbas pro nobis intercedéndo, ut et conversatiónis ejus experiámur insígnia, et intercessiónis percipiámus suffrágia. Per Dóminum.

DIE VI. APRILIS.

S. PHILARETI, CONFESSORIS.

Introitus. *Psalm.* 9.

JUSTUS ut palma florébit sicut cedrus Líbani multiplicábitur: plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. Ps. ibid. Bonum est confitéri Dómino, et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣. Glória Patri.

Oratio.

AUREM tuam, quæsumus Dómine, précibus nostris accómmoda, et præsta ut intercessióne beáti Philaréti Confessóris tui, inter mundánas varietátes ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gáudia. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

1. Tim. 6.

CARISSIME: Est quæstus magnus píetas cum sufficiéntia. Nihil enim intúlimus in hunc mundum: haud dúbium, quod nec auférre quid póssumus. Habéntes autem aliménta, et quibus tegámur, his conténti simus. Nam qui volunt dívites fieri, íncidunt in tentatiónem, et in láqueum diáboli, et desidéria multa inutília et nocíva, quæ mergunt hómines in intéritum, et perditiónem. Radix enim ómnium malórum est cupíditas: quam quidam appeténtes, erravérunt a fide, et inseruérunt se do-

Digitized by Google

lóribus multis. Tu autem, o homo Dei, hæc fuge: sectáre vero justítiam, pietátem, fidem, caritátem, patiéntiam, mansuetúdinem. Certa bonum certámen fídei, apprehénde vitam ætérnam.

Graduale. Ps. 93. Beátus homo, quem tu erudíeris Dómine, et de lege tua docúeris eum. ℣. Factus est mihi Dóminus in refúgium, et Deus meus in adjutórium spei meæ.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum, in mandátis ejus cupit nimis. Allelúia.

Post Septuagesimam omissis Allelúia, et versu sequenti, dicitur Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum, in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus, generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus, et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Tempore Paschali omissis Graduali, et Tractu dicitur Allelúia, allelúia. ℣. Osee 14. Justus germinábit sicut lílium, et florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúia. ℣. Eccl. 45. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum. Allelúia.

Evangelium. Sint lumbi. de Comm. Conf. non Pont. loco.

Offertorium. Ps. 34. Ego autem induébar cilício, humiliábam in jejúnio ánimam meam.

Secreta.

HOSTIAS, Dómine, quas tibi offérimus, propítius réspice, et intercessióne beáti Philaréti Confessóris tui víncula peccatórum nostrórum absólve. Per Dóminum.

Communio. 1. Corinth. 9. Ego ígitur sic pugno, non quasi áerem vérberans, sed castígo corpus meum, et in servitútem rédigo.

Postcommunio.

QUÆSUMUS, omnípotens Deus, ut qui cœléstia alimenta percépimus intercedénte beáto Philaréto Confessóre tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

DIE VIII. APRILIS.

S. PHILARETI, MARTYRIS.

Introitus. *Psalm.* 15.

NOTAS mihi fecísti vias vitæ, adimplébis me lætítia cum vultu tuo: delectatiónes in déxtera tua usque in finem. Ps. ibid. Consérva me Dómine, quóniam sperávi in te. Dixi Dómino: Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges. ℣. Glória Patri.

Oratio.

ADESTO supplicatiónibus nostris, omnípotens Deus, et intercedénte beáto Philaréto Mártyre tuo, éxsules nos fílios Evæ ab hac lacrymárum valle ad cœléstem pátriam misericórditer tríbuas pervenire. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Cap. 6.

FRATRES: Quicúmque baptizáti sumus in Christo Jesu, in morte ipsíus baptizáti sumus. Consepúlti enim sumus cum illo per baptísmum in mortem, ut quómodo Christus surréxit a mórtuis per glóriam Patris, ita et nos in novitáte vitæ ambulémus. Si enim com-

Digitized by Google

plantáti facti sumus similitúdini mortis ejus, simul et resurrectiónis érimus. Hoc sciéntes, quia vetus homo noster simul crucifíxus est, ut destruátur corpus peccáti et ultra non serviámus peccáto. Qui enim mórtuus est, justificátus est a peccáto. Si autem mórtui sumus cum Christo crédimus quia simul étiam vivémus cum Christo, sciéntes, quod Christus resúrgens ex mórtuis, jam non móritur, mors illi ultra non dominábitur. Quod enim mórtuus est peccáto, mórtuus est semel : quod autem vivit, vivit Deo in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale. Ps. 36. Justus cum cecíderit non collidétur, quia Dóminus suppónit manum suam. ℣. Tota die miserétur, et cómmodat, et semen ejus in benedictióne erit.

Allelúia, allelúia ℣. Joan. 8. Qui séquitur me non ámbulat in ténebris, sed habébit lumen vitæ atérnæ. Allelúia.

Post Septuag. omissis Allelúia, et ℣. seq. dicitur : Tractus. Ps. 20. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis. ℣. Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur : Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 88. Confitebúntur cœli mirabília tua Dómine : étenim veritátem tuam in Ecclésia Sanctórum. Allelúia. ℣. Ps 20. Posuísti Dómine super caput ejus corónam de lápide pretióso. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Cap. 10.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Cum persequéntur vos in civitáte ista, fúgite in áliam. Amen dico vobis, non consummábitis civitátes Israel, donec véniat fílius hóminis. Non est discípulus super magístrum, nec servus super dóminum suum. Súfficit discípulo, ut sit sicut magíster ejus, et servo sicut dóminus ejus. Si patremfamílias Beélzebub vocavérunt, quanto magis domésticos ejus? Ne ergo timuéritis eos. Nihil enim est opértum, quod non revelábitur, et occúltum, quod non sciétur. Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine, et quod in aure audítis, prædicáte super tecta. Et nolíte timére eos, qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere, sed pótius timéte eum, qui potest et ánimam et corpus pérdere in gehénnam.

Offertorium. Joan. 12. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

Secreta.

Accipe, quæsumus Dómine múnera dignánter oblàta, et beáti Philaréti Mártyris tui suffragántibus méritis, ad nostræ salútis auxílium pervenire concéde. Per Dóminum.

Communio. Matth. 16. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

Postcommunio.

SUMPSIMUS, Dómine, pignus redemptiónis ætérnæ, quod sit nobis, quæsumus, intercedénte beáto Philaréto Mártyre tuo, vitæ præséntis auxílium páriter, et futúræ. Per Dóminum.

Hæc eadem Missa dicitur, si hoc festum intra tempus Paschale contingat celebrari, adjunctis tamen Allelúia ad Introitum, Offertorium et Communionem.

DIE XII. MAJI.

S. PHILIPPI DIACONI.

Introitus. *Psalm.* 9.

JUSTUS ut palma florébit, sicut cedrus Líbani multiplicábitur : plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. Allelúia, allelúia. Ps. ibid. Bonum est confitéri Dómino, et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣. Glória Patri.

Oratio.

EXCITA Dómine in Ecclésia tua spíritum, cui beátus Philíppus Levíta servívit, ut eódem nos repléti studeámus terréna cuncta despícere, et sola cœléstia semper inquírere. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

1. Cap. 3.

CARISSIME : Opórtet Diáconos simíliter pudícos esse, non bilíngues, non multo vino déditos, non turpe lucrum sectántes : habéntes mystérium fídei in consciéntia pura. Et hi autem probéntur primum: et sic minístrent, nullum crimen habéntes. Mulíeres simíliter púdicas, non detrahéntes, sóbrias, fidéles in ómnibus. Diáconi sint únius uxóris viri : qui fíliis suis bene præsint, et suis dómibus. Qui enim bene ministráverint, gradum bonum sibi acquírent, et multam fidúciam in fide, quæ est in Christo Jesu.

Graduale. Ps. 72. Quid mihi est in cœlo? Et a te quid vólui super terram? ℣. Defécit caro mea, et cor meum : Deus cordis mei, et pars mea Deus in ætérnum.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 76. Rénuit consolári ánima mea: memor fui Dei, et delectátus sum. Allelúia.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur : Allelúia, allelúia. ℣. Ephes. 1. Elégit nos in Christo ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti, et immaculáti in conspéctu ejus, in caritáte. Allelúia. ℣. 1. Petri 1. Et ipsi in omni conversatióne sancti sitis : quóniam scriptum est : Sancti éritis, quóniam ego sanctus sum. Allelúia.

Evangelium. Nolíte timére. de Comm. Conf. non Pont. ij. loco.

Offertorium. Ps. 15. Dóminus pars hereditátis meæ, et cálicis mei, tu es, qui restítues hereditátem meam mihi. Allelúia.

Secreta.

SUSCIPE, quæsumus Dómine, preces pópuli tui cum oblatiónibus hostiárum, et tua mystéria celebrántes, intercedénte beáto Philíppo, ab ómnibus nos defénde periculis. Per Dóminum.

Communio. Philip. 3. Omnia detriméntum feci, et

árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam. Allelúia.

Postcommunio.

SUMPTA, Dómine, sacraménta cœléstia beáto Philíppo intercedénte precámur, ut et temporális vitæ subsídia nobis cónferant, et ætérnæ. Per Dóminum.

Extra tempus Paschale dicitur hæc eadem Missa, demptis tamen Allelúia ab Introitu, Offertorio et Communione.

DIE X. JUNII.

S. OLIVÆ, VIRGINIS ET MART. PATRONÆ PRINCIP.

Introitus. *Psalm.* 51.

EGO autem sicut olíva fructífera in domo Dómini sperávi in misericórdia Dei mei : et exspectábo nomen tuum, quóniam bonum est ante conspéctum Sanctórum tuórum. Ps. ibid. Quid gloriáris in malítia, qui potens es in iniquitáte? ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS qui beátam Olívam Vírginem pro fídei constántia glorióso martyrio coronásti ; ejus méritis et patrocínio da cunctis, qui christiána religióne censéntur, et illa respúere, quæ huic inimíca sunt nómini, et ea quæ sunt apta sectári. Per Dñum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

1. Cor. 1.

FRATRES : Vidéte vocatiónem vestram, quia non multi sapiéntes secúndum carnem, non multi poténtes, non multi nóbiles, sed quæ stulta sunt mundi elégit Deus, ut confúndat sapiéntes : et infírma mundi elégit Deus, ut confúndat sapiéntes : et infírma mundi elégit Deus, et ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destrúeret : ut non gloriétur omnis caro in conspéctu ejus. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapiéntia a Deo, et justítia, et sanctificátio, et redémptio : ut quemádmodum scriptum est: qui gloriátur in Dómino gloriétur.

Graduale. Ps. 118. Loquébar de testimóniis tuis in conspéctu regum, et non confundébar. Et meditábar in mandátis tuis, quæ diléxi. ℣. Jerem. 11. Olívam úberem, pulchram, fructíferam, speciósam vocávit Dóminus nomen tuum.

Allelúia, allelúia. ℣. Eccl. 24. Quasi olíva speciósa in campis et quasi plátanus exaltáta sum juxta aquam in platéis. Allelúia.

Evangelium. Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, de Comm. Virg. j. loco.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Isaiæ 41. Dabo in solitúdinem cedrum, et spinam, et myrtum, et lignum olívæ.

Secreta.

HOSTIAS, Dómine, quas tibi in honórem beátæ Olívæ, Vírginis et Mártyris tuæ, offérimus, propítius réspice, et ejus intercedéntibus méritis ab omni nos adversitáte custódi. Per Dóminum.

Communio. Genes. 8, 10. Dimísit Noe colúmbam ex arca : at illa venit ad eum ad vésperam, portans ramum olívæ virántibus fóliis in ore suo.

Digitized by Google

Postcommunio.

CŒLESTIS doni benedictióne percépta, súpplices te, Deus omnípotens, deprecámur; ut intercedénte beáta Olíva, Vírgine et Mártyre tua, hoc idem nobis et sacraménti causa sit, et salútis. Per Dóminum.

DIE XVI. JUNII.

S. MAMILLIANI, EPISC. MART. PATRONI PRINC.

Introitus.

GAUDEAMUS omnes in Dómino diem festum celebrántes, sub honóre beáti Mamiliáni, Epíscopi et Mártyris, de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et collaúdant Fílium Dei. Ps. 32. Exsultáte justi in Dómino: rectos decet collaudátio. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS tuórum glória sacerdótum qui beátum Mamiliánum, Mártyrem tuum atque Pontíficem, virtúte constántiæ in passióne roborásti: tríbue nobis, quæsumus, ejus méritis et exémplo ómnia adversántia fórtiter superáre. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. Cap. 13.

FRATRES: Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei: quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem. Jesus Christus heri, et hódie; ipse et in sæcula. Doctrínis váriis et peregrínis nolíte abdúci. Optimum est enim grátia stabilíre cor, non escis, quæ non profuérunt ambulántibus in eis. Habémus altáre, de quo édere non habent potestátem qui tabernáculo desérviunt. Quorum enim animálium infértur sanguis pro peccáto in sancta per pontíficem, horum córpora cremántur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificáret per suum sánguinem pópulum, extra portam passus est. Exeámus ígitur ad eum extra castra, impropérium ejus portántes. Non enim habémus hic manéntem civitátem, sed futúram inquírimus. Per ipsum ergo offerámus hóstiam laudis semper Deo, idest fructum labiórum confiténtium nómini ejus. Beneficéntiæ autem et communiónis nolíte oblísci: tálibus enim hóstiis promerétur Deus. Obedíte præpósitis vestris, et subjacéte eis. Ipsi enim pervígilant, quasi ratiónem pro animábus vestris redditúri.

Graduale. Ps. 8. Glória et honóre coronásti eum. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Allelúia, allelúia. ℣. Hic est sacérdos, quem coronávit Dóminus. Allelúia.

Evangelium. Si quis venit ad me. de Comm. unius Mart. Pont. j. loco.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Ps. 20. Posuísti Dómine in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Secreta.

PRÆSTA, quæsumus, Dómine, ut beáti Mártyris tui et Epíscopi Mamiliáni intercessióne, quem ad laudem nóminis tui dicátis munéribus honorámus, piæ nobis fructus devotiónis accréscat. Per Dóminum.

Digitized by Google

Communio. Ps. 88. **Semel jurávi in sancto meo, semen ejus in ætérnum manébit: et sedes ejus sicut sol in conspéctu meo, et sicut luna perfécta in ætérnum, et testis in cœlo fidélis.**

Postcommunio.

OMNIPOTENS et miséricors Deus, qui nos sacramentórum tuórum et partícipes éfficis, et minístros, præsta, quæsumus, ut intercedénte beáto Mamilián̄o, Mártyre tuo atque Pontífice, ejúsdem proficiámus et fídei consórtio, et digno servítio. Per Dóminum.

DIE XXIV. JULII.

S. CHRISTINÆ, VIRG. ET MART. PATRONÆ PRINC.

Introitus. *Ps.* 118.

QUI exspectavérunt peccatóres, ut pérderent me; testimónia tua, Dómine, intellexi: omnis consummatiónis vidi finem: latum mandátum tuum nimis. Ps. ibid. **Beáti immaculáti in via, qui ámbulant in lege Dómini.** ℣. Glória Patri.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus qui infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas, concéde propítius ut qui beátæ Christínæ Vírginis et Mártyris tuæ solémnia cólimus, ejus apud te patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Epistola. **Confitébor tibi Dómine.** de Comm. Virg. et Mart. j. loco.

Graduale. Cant. 8. **Fortis est ut mors diléctio, dura sicut infernus æmulátio: lámpades ejus, lámpades ignis, atque flammárum.** ℣. **Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam.**

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 117. **Fortitúdo mea et laus mea Dóminus; factus est mihi in salútem. Allelúia.**

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur: **Allelúia, allelúia.** ℣. Cant. 6, 2. **Ego dilécto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília. Allelúia.** ℣. Cor. 15, 57. **Deo autem grátias, qui dedit mihi victóriam per Dóminum nostrum Jesum Christum. Allelúia.**

Evangelium. **Símile est regnum cœlórum thesáuro.** de eodem Comm. ij. loco.

Et dicitur **Credo.**

Offertorium. Ps. 118. **Confundántur superbi, quia injúste iniquitátem fecérunt in me: ego autem in mandátis tuis exercébor, in tuis justificatiónibus, ut non confúndar.**

Secreta.

SUSCIPE Dómine múnera, quæ in beátæ Christínæ Vírginis et Martyris tuæ solemnitáte deférimus, cujus nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum.

Communio. Matth. 25. **Quinque prudéntes vírgines accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus: média autem nocte clamor factus est; ecce sponsus venit; exíte óbviam Christo Dómino.**

Postcommunio.

DIVINI múneris largitáte satiáti, quæsumus, Dómine Deus noster: ut intercedénte beáta Christína, Vírgine et Mártyre tua, in ejus

Digitized by Google

semper participatióne vivámus. Per Dóminum.

DIE XVII. AUGUSTI.

TRANSLAT. BRACHII S. AGATHÆ VIRG. ET MART. PATRONÆ PRINC.

Introitus.

GAUDEAMUS omnes in Dómino, diem festum celebrántes, sub honóre beátæ Agathæ Vírginis et Mártyris; de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. Ps. 44. Eructávit cor meum verbum bonum, dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui in translatióne sanctæ Agathæ Vírginis et Mártyris tuæ pretióso nos potentíssimæ protectiónis pígnore locupletásti: quæsumus, ut super pópulum tuum, qui implórat ejus auxílium, contra omnes nequítias irruéntes dexteram tuæ propitiatiónis exténdas. Per Dóminum.

Léctio libri Regum.

II, Cap. 6, 11.

IN diébus illis: Habitávit arca Dómini in domo Obédedom Gethéi tribus ménsibus: et benedíxit Dóminus Obédedom, et omnem domum ejus. Nuntiatúmque est regi David, quod benedixísset Dóminus Obédedom, et ómnia ejus propter arcam Dei. Abiit ergo David, et addúxit arcam Dei de domo Obédedom in civitátem David cum gáudio: et erant cum David septem chori, et víctima vítuli. Cumque transcendíssent qui portábant arcam Dómini sex passus, immolábat bovem et aríetem. Et David saltábat totis víribus ante Dóminum. Porro David erat accínctus ephod líneo. Et David et omnis domus Israel ducébant arcam testaménti Dómini in júbilo et in clangóre búccinæ. Cumque intrásset arca Dómini in civitátem David, Michol fília Saul prospíciens per fenéstram, vidit regem David, subsiliéntem, atque saltántem coram Dómino: et despéxit eum in corde suo. Et introduxérunt arcam Dómini, et imposuérunt in loco suo in médio tabernáculi quod teténderat ei David: et óbtulit David holocáusta et pacífica coram Dómino. Cumque complésset ófferens holocáusta et pacífica, benedíxit pópulo in nómine Dómini exercítuum.

Graduale. Exodi 13. Tulit quoque Móyses ossa Joseph secum: eo quod adjurásset fílios Israel, dicens: ℣. ibid. Visitávit vos Deus, efférte ossa mea hinc vobíscum.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 50. Audítui meo dabis gáudium et lætítiam, et exsultábunt ossa humiliáta. Allelúia.

Evangelium. Símile est regnum cœlórum thesáuro. de Communi ij. loco.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Ps. 35. Omnia ossa mea dicent: Dómine, quis símilis tibi? Erípiens ínopem de manu fortiórum ejus.

Secreta.

SUSCIPE, Dómine, múnera, quæ in beátæ Agathæ Vírginis et Mártyris tuæ solemnitáte deférimus, cujus

Digitized by Google

nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum.

Communio. Ps. 33. Custódit Dóminus ómnia ossa eórum, unum ex his non conterétur.

Postcommunio.

REFECTI participatióne múneris sacri, quæsumus, Dómine Deus noster, ut cujus exséquimur cultum, intercedénte beáta Agatha, Vírgine et Mártyre tua, sentiámus effectum. Per Dóminum.

DIE XII. SEPTEMBRIS.

S. COSMÆ EPISC. AFRICANI, ET CONFESSORIS.

Introitus. *Ps.* 131.

SACERDOTES tui Dómine, índuant justítiam, et Sancti tui exsúltent : propter David servum tuum non avértas fáciem Christi tui. Ps. ibid. Meménto Dómine David, et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DA nobis, quæsumus Dómine, perseverántem tua voluntáte famulátum, ut beáto Cosma, Confessóre tuo atque Pontífice, cujus hódie solémnia cólimus, intercedénte, in diébus nostris et mérito, et número pópulus tibi sérviens augeátur. Per Dóminum.

Epistola. Plures facti sunt sacerdótes, de Comm. Conf. Pont. ij. loco.

Graduale. Hebr. 5. Omnis póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut ófferat dona et sacrifícia pro peccátis. ℣. Qui condolére possit iis qui ignórant, et errant : quóniam et ipse circúmdatus est infirmitáte.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 131. Sacerdótes ejus índuam salutári ; et sancti ejus exsultatióne exsultábunt. Allelúia.

Evangelium. Vigiláte, quia nescítis, de Comm. Conf. Pont. ij. loco.

Offertorium. Ps. 38. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta.

SANCTI Cosmæ, Confessóris tui atque Pontíficis, quæsumus Dómine, ánnua solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos, ut per hæc piæ placatiónis offícia, et illum beáta retribútio comitétur, et nobis grátiæ tuæ dona concíliet. Per Dóminum.

Communio. Matth. 10. Cum persequéntur vos in civitáte ista, fúgite in áliam.

Postcommunio.

QUÆSUMUS, omnípotens Deus, ut qui cœléstia aliménta percépimus, intercedénte beáto Cosma, Confessóre tuo atque Pontífice, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

DIE III. NOVEMBRIS.

S. SYLVIÆ, VIDUÆ, MATRIS S. GREGORII MAGNI.

Introitus. *Ps.* 118.

CONCUPIVI salutáre tuum, Dómine, et lex tua meditátio mea est. Vivet ánima mea, et laudábit te, et judícia tua adjuvábunt

me. Ps. ibid. **Beáti immaculáti in via, qui ámbulant in lege Dómini.** ℣. **Glória Patri.**

Oratio.

DEUS, qui beátam Sylviam in tríplici vitæ statu, virgínibus, nuptis et víduis præclárum christiánæ perfectiónis exémplar esse voluísti, concéde nobis fámulis tuis, ut in odórem unguentórum ejus curréntes, Christi bonus odor éffici mereámur. Per Dóminum.

Epistola. **Víduas honóra,** de Comm. nec Virg. nec Mart. ij. loco.

Graduale. Ps. 44. **Diffúsa est grátia in lábiis tuis : proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.** ℣. **Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam, et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.**

Allelúia, allelúia. ℣. Prov. 31. **Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem. Allelúia.**

Evangelium. **Símile est regnum cœlórum thesáuro,** de eodem Comm. j. loco.

Offertorium. Prov. 31. **Nóbilis in portis vir ejus, cum séderit cum senatóribus terræ.**

Secreta.

SACRIFICIUM nostrum tibi, Dómine quæsumus, beátæ Sylviæ precátio sancta concíliet : ut in cujus honóre solémniter exhibétur, ejus méritis efficiátur accéptum. Per Dóminum.

Communio. Prov. 31. **Considerávit sémitas domus suæ, et panem otiósa non comédit.**

Postcommunio.

HAESTO nobis, Dómine Deus noster, ut per hæc quæ súmpsimus, méritis beátæ Sylviæ et purgémur a vítiis, et a perículis ómnibus eruámur. Per Dóminum nostrum.

DIE XII. NOVEMBRIS.

S. NYMPHÆ VIRG. ET MART. PATRONÆ PRINC.

Introitus. *Ps.* 44.

DILEXISTI justítiam, et odísti iniquitátem : proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis. Ps. ibid. **Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea regi.** ℣. **Glória Patri.**

Oratio.

DEUS, qui beátam Nympham Vírginem tuam pro Christi fide, despéctis mundi delíciis, martyrium fórtiter subíre docuísti ; concéde plebi tuæ, ut ejus confísa suffrágiis, in confessióne veræ fídei et devóta permáneat, et secúra consístat. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Cant. 3.

SURGAM, et circuíbo civitátem : per vicos et platéas quæram quem díligit ánima mea : quæsívi illum, et non invéni. Invenérunt me vígiles, qui custódiunt civitátem : Num quem díligit ánima mea vidístis? Páululum cum pertransíssem eos, invéni quem díligit ánima mea; ténui eum, nec dimíttam, donec introdúcam illum in domum matris meæ, et in cubículum genitrícis meæ. Adjúro vos fíliæ Jerúsalem per cápreas, cervósque campórum, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis dilectam, do-

nec ipsa velit. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super brácchium tuum : quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio : lámpades ejus, lámpades ignis, atque flammárum. Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam : Si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam.

Graduale. Ps. 46. Adjuvábit eam Deus vultu suo : Deus in médio ejus non commovébitur. ℣. Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei, sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Allelúia, allelúia. ℣. Hæc est virgo sápiens, et una de número prudéntum. Allelúia.

Evangelium. Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, de Comm. Virg. et Mart. j. loco.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Ps. 44. Concupívit Rex decórem tuum, quóniam ipse est Dóminus Deus tuus.

Secreta.

Hostias tibi, Dómine, beátæ Nymphæ Vírginis et Mártyris tuæ dicátis méritis, benígnus assúme, et ad perpétuum nobis tríbue provenire subsídium. Per Dóminum.

Communio. Sap. 4. O quam pulchra est casta generátio cum claritáte ; immortális est enim memória illíus.

Postcommunio.

Sacramentis, Dómine, muniámur accéptis et intercessióne beátæ Nymphæ Vírginis et Mártyris tuæ, contra omnes nequítias irruéntes armis cœléstibus protegámur. Per Dóminum.

Imprimi possunt.

Mechliniæ, die 9 Novembris 1889.

† PETRUS LAMBERTUS, Cardinalis GOOSSENS,
Archiepiscopus Mechlinien.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Missa B. Gratiæ a Catharo. Mechliniæ, 1890. . . . . Fol. 354
Missæ Capuccinorum. Mechliniæ, 1890. 293
" Panormitanæ. Mechliniæ, 1889. 355

Officia Angrensia. Mechliniæ, 1888. 125
" Bogotensia. Ratisbonæ, 1889. 1
" Canadensia. Ratisbonæ, 1886. 101
" Funchalensia. Mechliniæ, 1889. 133
" Goanensia. Mechliniæ, 1890. 157
" Medellensia. Ratisbonæ, 1889. 89
" Oratorii. Antoli Parisiorum, 1878. 221

Officium Apparitionis B. M. V. Immaculatæ. Tornaci, 1891. . . 217

Le Propre comprend aussi les offices des diocèses de : Braganor (Braganoren.), Cochin (Cochinen.), Damao (Damaen.), Mélia pour (Meliapoten.), Mossambique (Mossambicen.).

Digitized by Google